AUGUSTINI SATURNIJ LAZARONEI BUENNATIS, MERCURIJ...

Agostino Saturnio

Digitized by Google

Coll. Rom. Societ. Jesu. Ex inscr. C. R.

AVGVSTI ni Saturnij Laza

RONEI BVENNATIS, MER curij Maioris, siue Grammaticarum Institutionum Libri x.

IN QVIBVS NON PARVM MVL *ta et scitu dignißima, & quæ hactenus uel prorsus ignorata alijs, uel perperam etiam à præcipui nominis Grammaticis tradita sunt, rectius nunc obseruata, optimorumq; autorum testimonijs confirmata reperies.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Adiectus quoque est rerum & uerborum toto opere memorabilium geminus INDEX.

Cum gratia & priuilegio Imp. ad quinquennium.

BASILEAE.

1546.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

MARIVS VICTORINVS IACOminus Crotoniata lectori candido S.

Iam fons ingenuæ pars & cuiuslibet artis
Grammatice potior traxerat ore situm:
Horrida squallore obducto & contempta iacebat,
Et lamata comas, & lacerata genas.
At miseratus eam Saturnius integer, illi
Reddidit antiquum nunc decus atq; suum.
Nec tam præclarum facinus prodisset ab uno
Mortali, totus si foret ingenium,
Ni deus ullus opem scribenti animumq; dedisset,
Vsus Mercurij hic optimus autor ope est.
Quare Maiori huic titulum dedit ipse libello
Mercurio, in lucem prodyt ante Minor.
Ergo grammatica qui iuis citò doctus in arte
Esse, eme Mercurium lector utrunq; tibi.

IOANNIS ANTONII MELI tei Carmen.

Saturni, uiues, dum sidera pascet olympus,
Dum tellus fruges, dum mare habebit aquas.
Dant tibi perpetuum nomen, famamq; perennem,
Mercurius maior, Mercuriusq; minor.

IANVS PYRRHVS

Pincius poëta laureatus, Augustino Saturnio S.D.P.

EQVVM est existimare, qui aliquid scripserunt, eo animo se ad studium accinxisse, ut & nomẽ suum ęternitati cõmendarent, & posteris maximè consulerent. Quapropter quis negauerit his iure habendam esse gratiã, per quos nobis laborẽ detractũ esse cognoscimus? Nos profectò (si tantum nobis licet arrogare) eum mirũ in modũ laudandum censemus, qui & ipse studet præstare, & imbeciliores ad radicẽ cõsistentes animos cupit adiuuare. Suaue hercle eorũ est ingenium, ac liberale, qui laborem propriũ, studiorum uero fructus cõmunes esse proposuere. Quum tu igitur Augustine, uir doctissime, grammaticas institutiones salubres quidẽ, ac frugiferas tradideris, & ueluti ad legẽ præcepta reddideris, tanta cura & autoritate, ut uidearis inter recẽtiores summa cum laude classem ducere: haud iniuria id dictum sit, si fatebimur nos tibi fore obnoxios, quum & longe pro

fueris, & multum sudoris posteritati de traxeris. Quid enim reliquum est, ut diutius immorentur adolescentes optimi circa radices, in quibus plus ætatis consumi oportebat, quàm satis erat breui hominum uitæ, quũ tu & expeditiorem & breuiorẽ uiam ad apicem ostenderis? Nam fas sit uerũ, & quod sentio, dicere: tu rem quidem & breuiter, & dilucide proponis, narras ac doces, causas subijcis, necessaria colligis, omnia ad utilitatem trahis, ponisq; ante oculos legentium, quę præcipua sunt. Verum ut illustret magis ueritas, citas quãdoq; grammaticorum duces, cum his luctaris tanquam palæstrita, rogas reddant causam sententię suæ. res diu agitur domestice, mox ueluti militari calore accẽsus, quũ cupiat uirtus in campo spectari, in aciẽ progrederis. Laurentium, uirum in re literaria acerrimum, ut alios taceam, in certamen prouocas. Ille obequitans latius pugnat, tu arctius concludis: ille multo acumine occurrit, tu & mucrone & peritia & pondere bellantẽ sustines.

Quum

Quum uerò diu disceptatum sit, pedem referat aduersarius necesse est, & sese dedat. Speciosissimum sanè literarium spectaculum, & incruentum. Tu tamen potitus victoria ita te geris, ut uideatur plus additum quàm diminutũ eius nomini quem fuderis: cui omnino cedendum esse prędicas, & quòd prior fuit, & quòd faces nobis prætulit, quòd superiorum temporum negligentiam castiga uit, quòd literarum sacraria sui sæculi doctissimus aperuit: alia quæ conciderant, reuocauit: alia quę in usum recepta fuerant, ex albo latinitatis abstersit: & quæ multis annis torpuerant ingenia, tanquam latino sermone desueta, ex ore ingenti, ueluti insonanti tuba ad gloriã excitauit, collapsam reipublicę literariæ disciplinam quadam ueluti censura sub Romano uexillo merentibus reddidit. Quib. de rebus & Latio dignitatem, & sibi laudem peperit sempiternam. Nos sanè & qui latinam linguam urbi restituit, & qui imperium Italiæ reddidit, æquè rem cùm omnibus posteris utilem,

tum immortalitate dignam eum feciſſe putamus. Sed ad te redeundum eſt. Tu certè tanto ſtudio præcepta tradidiſti, tanta arte rem excoluiſti, ut uideantur qui antè ſcripſerint, plus ſplendoris abs te recepiſſe, quàm tibi reliquiſſe. Nec mirum, quum tua & breuis & caſtigata ſit oratio, ac longe reijcias Gothicã illam illuuiem, ac ſordidos illos loquendi modos, tanquã adulterinos partus ex Romanorum familia remoueas. quo fateri neceſſe eſt, te uim recte loquendi, non circulatoriã uoluptatẽ ſpectantibus, paraſſe. Nec modo cura eſt docere, ſed & addiſcentes quib. ſæpenumero peccãt, à uitijs deterrere: et ad ea, quæ à doctis probantur, animos uehementius conuertere. Nam profectò quæ præcipis, & breuia, & utilia, feriunt, & uno penè ictu legentes impellũt, ut cognitum ſit, tibi non minus naturæ eſſe, quàm curę. Ita fit, ut oporteat probos iuuenes omnis exempli documenta tua, tanquã illuſtri poſita monumento ardentius intueri, quod autẽ fœdum ſit dictu deuitare.

Ex his

Ex his licet colligi, te & ad publicã utilitatẽ, & ad rei literariæ dignitatẽ natum, in quo uirtutes suas potissimũ experiretur grammatica. Quod si libet sententiã breuius audire, te inter præcipuos huius artis scriptores ponendum existimamus. Atq; id iam nobis persuasum est, eos maxime profecturos, quibus tu maximè placueris. Non negauerim tamen futuros, qui Mercuriũ tuum reprobẽt, atq; explodant, & notent asteriſco quæ legant inuidi: quum doleãt tibi licuisse, quæ ipsi nõ potuere. Nam & solertes apes odere fuci ignaui. Est enim quibusdã nullus finis calumniandi, et cũ singulis penè syllabis cõmorandi. Qui cum careant iudicio, subuertũt quæ non intelligũt. Atq; illud etiã compertum est, uitio sa nonnunquã pluribus placere: & à bonis etiã laudari, quę non placẽt, quũ pudeat à uulgaribus dissentire: laudant tamen docti, quæ iure suo possunt. At critici et bona & mala dant crimini. Multa etiã quę publicè ab eruditis probantur, ex sibilantiũ clamoribus in malũ quandoq;

extorquentur. Cæterum quis est, quo cum tam præclare actum sit, in quē non fuerit districtum atræ inuidiæ supercilium? quum in T. Liuio miræ facundię uiro Asinius Pollio quandam patauinitatem inesse putauerit: quum illa Attica anus Theophrastum, hominem alioqui disertissimum, hospitem dixerit: quum Vectium Lucilius insectatus sit. Ex quibus cōstat, non satis esse, quod libris dicatur, & in exemplum reddit̄, tersum aclimatum, & ad regulam compositum fuisse, nisi etiā nactus fueris lectores & candidos, & æquos, & honesti studij amatores. Quanquā non semper par est humanis uirib. singula ad legē scribere. Nam labant aliquando (ut Fabij uerbis utar) & oneri cedunt ingenia. ut uisus sit Homerus ipse M. Ciceroni, & Demosthenis oratio, dormitare. Quæ quidem sunt argumento, qualiacunq; ediderīs, ea censurā omnino subitura. Non ob id tamen à scribendo deterreri oportet: sed aduerso pectore liuori est occurrendū. Speciosior enim est, quæ

ex per

ex periculis petitur uictoria. Permitte igitur quęso opus tuum auspicatò in lucem prodire. Nam etsi caligent oculi, quum primùm sub solem uenerint, assuescent tamen lumini, & breui ferent coruscantia fulgura. Atq; id ausim polliceri, gratissimos iuuenes Mercurium tuum de lingua latina bene meritum, in sinum suscepturos, nec quidē passuros tam immensum beneficium perire. Venienti occurrent, & amplectentur. Cognoscent eum uerum urbis alumnum, non ciuitate donatum. Vt futurum spe rem, mi Augustine, te intellecturum, iam ad aliquod nomen ingenij te peruenisse. Vale, & Pincium dilige.

nono Calend. Aprilis.

M.D.XXXI.

CAPITVM INDEX.

CAPITA LIB. I.

A facilioribus esse incipiendum Cap. 1
Alias esse partes artis grammaticæ, alias oratio nis 2
Elementa esse octo & uiginti: atq; inibi de potesta te literarum annotatu digna 3
Syllabam ad formandas dictiones esse necessa riam 4
Quid dictio, quidq; prius significet, res ne an con ceptus 5
Orationem esse totius grammaticæ scopum 6
Substantiuum uerbum caput esse ac fontem om nium reliquorum uerborum 7
De uerbis actiuis 8
Actiuorum prima classis 9
Secunda classis 10
Tertia classis 11
Quarta classis 12
Quinta classis 13
Sexta classis 14
Septima classis 15
Octaua classis 16
Actiuorum primum auctarium 17
Secundum auctarium 18
Tertium auctarium 19
De uerbis passiuis 20
De uerbis neutris 21

Omni-

Omnibus uerbis significatiuis Sum uerbum esse in cluſum, obid ſubſtantiuum appellatum 22
Quot & quibus modis uerbum ſubſtantiuum conſtruatur 23
Mihi eſt nomen Iulius 24
Mihi opus eſt hanc rem, latine dici 25
Neutrorum prima claſſis 26
Secunda claſſis 27
Tertia claſſis 28
Quarta claſſis 29
Quinta claſſis 30
Exulo uerbum non eſſe neutrum paſsiuum 31
Sexta claſsis 32
Septima claſsis 33
Octaua claſsis 34
De uerbis communibus 35
De uerbis deponentibus 36
Deponentium prima claſsis 37
Secunda claſsis 38
Tertia claſsis 39
Quarta claſsis 40
Quinta claſsis 41
Sexta claſsis 42
Septima claſsis 43
Octaua claſsis 44
Datiuum præter ordinarios caſus uerbis appoſitum, multiplicem afferre intellectum 45

Tempus continuatum non semper accusatiuo, nec intermissum usq; septimo, contra Noniũ Marcellum adsignificari 46

Non recte, nec latine dici, infra tres dies, pro triduo. nec infra tres annos, pro tribus annis, uel triennio 47

Formulæ dicendi de præterito 48

Formulæ dicendi partim de præsenti, partim de præterito 49

Formulæ dicendi de futuro 50

CAPITA LIB. II.

De aduerbijs localibus 1

Quid aduerbium locale, tum qui ordo eorum: postremò quot requisita ad motum locale. 2

Quatuor modis unumquodq; prædictorum generum in oratione constitui 3

Quo differant hic, istic, illic: adhæc quæ aduerbia duo sibi uerba requirant 4

De aduerbijs in loco 5

De aduerbijs ad locum 6

De aduerbijs è loco 7

De aduerbijs per locum 8

De aduerbijs ad locum uersus 9

De aduerbijs usq; ad locum 10

Obseruata in aduerbijs localibus 11

Nomina aduerbialiter posita non esse aduerbia, contra Donatum, & triuialeis grammaticos: atq;

atq; inibi quid sit aduerbialiter poni 12
De nominibus in loco 13
De nominibus ad locum 14
De nominibus è loco 15
De nominibus per locum 16
De nominibus ad locum uersus 17
De nominibus usq; ad locum 18
Obseruata in aduerbialiter positis 19

CAPITA LIB. III.

De impersonalibus 1
Verba secundum se neq; personalia esse, neq; impersonalia, sed indifferentia 2
Verba nihilo minus esse impersonalia, supposito eis uel infinito, uel clausula: quàm cũ suppositis rectis omnino deficiunt 3
Quot modis infinita supponantur, & quo in sensu propriè impersonalitatem efficiant 4
Falsam esse illorum opinionem, qui docent, uerba tum esse impersonalia, cum appositum habent infinitum 5
Quid uerbũ impersonale: adhæc impersonalitatem non omnimodam personarũ, numerorumq; priuationem dicere: & cur tertia in uoce singulari tantum fiant 6
Totidem uerbis impersonalibus accidere, quot personalibus: & quottuplex ipsorũ genus 7
E quibus uerbis fiant impersonalia passiuæ terminationis,

nationis, & quot modis 8
Contra communem omnium traditionem duplex esse genus impersonaliũ passiuæ terminationis, quædam uera passiua, quædam abusiua 9
Ex abusiuis actiuis, hoc est neutris impersonalia passiuæ uocis quæ descendunt, ea nihil amplius habere passiuitatis, quàm & structuram & uocem 10
Impersonalia passiuæ terminationis non habere intellectũ nominatiui eius rei, quæ in uerbo intelligitur, contra Priscianum, atq; adeò Apollonium ac Theotistum. 11
Non latine dici, legitur libru, amatur Deum, ut læditur manum, frangitur pedem, contra Baptistam Pium 12
Falsam esse Diomedis atq; Antonij Nebrissensis doctrinam, tenentium impersonalia passiuæ uocis generalitatem quandam semper significare 13
E quibus uerbis sunt impersonalia passiuæ, ab his ferè non esse impersonalia actiuæ: & quotuplex eorum genus. 14
Est, erat, impersonale multiplici posteriore structura pollere 15
Interest componi ex præpositione inter & est. 16
Mea, tua, sua, nostra, & uestra, his uerbis applicita, substantiua esse, & casus ablatiui 17

Ratione

Ratione nihil prohiberi, quo minus dicas, legere interest mei, tui, sui, nostri, & uestri, sed usu tantum, & autoritate 18
Quem in modum constituantur Interest & Refert, quidq; significent 19
Quæ his uerbis accedant ad augendam eorũ significationem 20
Nihil referre latinitatis, utrum quis dicat persuadere interest mea oratoris, an mea qui sum orator 21
Falsam esse Laurentij Vallensis ac cæteroriũ quorundam præceptionem, qui uerbis Interest et Refert personalibus nihil aliud supponendũ statuunt, quàm pronomina quædã in neutro genere 22
Impersonalium actiuæ uocis secunda classis 23
Tertia classis 24
Quarta classis 25
Quinta classis 26
De uerbis per genus defectiuis 27
Obseruata in eisdem 28

CAPITA LIB. IIII.

De infinitis 1
Quibus infinita cum impersonalibus conueniant, & quibus dissideant: adhæc cur utraq; sic appellata 2
Infinita uerborum personalium accusatiuum anteriorem

riorem tantum accipere 3
Infinita præsentis pro præteritis imperfectis indicatiui nominatiuum pro accusatiuo ante se capere 4
Esse et Fuisse non semper accusatiuum regere, sed alia & alia structura pollere 5
Non latine dici, Ciceronis interest esse eloquentis. 6
Quo differant infinita passiuorum ab infinitis impersonalium passiuæ terminationis 7
Præterita perfecta impersonaliũ passiuæ uocis, quibus nulla sunt supposita, constare ex priore supino, & uerbo substantiuo 8
Participia præteriti perfecti, & futuri in rus, uim nonnunquam induere infinitam 9
Amatum ire, doctũ ire, & id genus, contra Priscianum, et cæteros, præsentis potius, quàm futuri temporis esse: amatum uero iri, doctum iri, et similia, non minus præsentis quàm futuri. 10
Quàm fœdè Antonius Nebrissensis prolapsus sit, super infinitis amatũ iri, & similibus. 11
Infinitorũ multiplicem esse usum apud autores. 12
Catholica infinitorum declinandi 13
Fore, contra Priscianum, Laurentium, & cæteros, non minus præsentis, quàm futuri temporis esse. ad hæc latine dici, fore amaturum. 14
Quæ perfectæ, quæq; imperfectæ sint uerba qualitatis

tatis, cap. 15
De incohatiuis 16
De frequentatiuis 17
De desideratiuis 18
De meditatiuis 19
De diminutiuis 20

CAPITA LIB. V.

De prouocabulis 1
Contra Priscianũ, interrogatiua, relatiua, reddi-
tiua, infinitiua, distributiua et partitiua quæ
dicuntur, esse pronomina 2
De interrogatiuis 3
De relatiuis 4
De relatiuis substantiæ 5
De relatiuis substantiæ identitatis 6
Qui, quæ, quod, tribus modis referre 7
Orationem, si relatiuũ qui, quæ, quod, anteceden-
ti appellatiuo respondeat, non minus esse latinã,
quàm si proprio consequenti 8
Hic non semper propinquum magis referre, nec
Ille magis remotum 9
Is & ipse dupliciter referre 10
Sui & suus propriè reciproca esse 11
Sui & suus non perpetuò reciproca esse 12
De relatiuis substantiæ diuersitatis 13
Suus esse potius relatiuũ diuersitatis, quàm iden-
De relatiuis accidentis 15. titatis. 14
Nihil referre, utrum quis dicat, decimus tertius,

an tertius decimus: ad hæc, ordinalia duplicem habere significationem 16
Nomina patria in as, contra Priscianum, & plerosq; alios, trium generum esse communia 17
Natale solum cuiuspiam significare uolentibus, barbarè dici, de Roma, de Athenis 18
De redditiuis 19
De infinitis 20
De distributiuis 21
Quid distributiuum 22
Primi generis distributiua 23
Secundi generis distributiua 24
Ambo non usque coniunctim, nec uterque semper disiunctim significare 25
De mutua duorum distributione 26
Tertij generis distributiua 27
Quilibet, & quiuis, contra Laurentiũ & sectatores, non minus esse, quàm dici rectè uniuersalia 28
Nullus, & nemo 29
De partitiuis 30
Primi generis partitiua 31
Catholica partitiuorum dualium constituendi 32
Secundi generis partitiua 33

CAPITA LIBRI VI.

De participijs 1
Quæ participiorum uerior etymologia, quotq; requirantur ut sit participium 2
Quid sit participium 3

Quæ

Quæ participiorum formatio 4
Quot, & quæ è singulis uerborum generibus participia deducantur 5 (nem. 6
Participiorum duplicem esse tantum significatio-
Vim participiorum in primis obseruandã, qui eis rectè uti uolent 7
Pertæsus transitiuum originem uerbi habere 8
Quãdo participijs septimo in casu absolutis uten-dum sit, & quando non 9
Quot, & quibus modis participia exponantur, quamq; multiplex eorum significatio 10
Participijs in ans uel in ens de præterito perfecto & plusquàm perfecto licere uti 11. (cere. 12
Participijs in ans, uel in ens de futuro usitari li-
Participijs in tus, sus, xus, de præsenti licere usi tari 13. (test, licere uti. 14
Participijs, etiamsi relatiuũ in recto esse nonpo-
Obseruata in participijs 15
De participialibus 16
Cõpositione per se participia, nõ fieri nomina. 17
Comparatione participia non fieri nomina. 18
Mutatione significati, constructione, & tempo-ris amissione tantum participia fieri nomina. 19

CAPITA LIB. VII.

De gerundijs 1
Gerundia non esse nomina 2
Gerundia non esse uerba 3
Gerundium esse partem orationis per se 4

Falsam esse Laurentij differentiam, quam ponit inter gerundia, & participia 5.
Quot, & quæ gerundijs accidant, & unde inflectantur. 6
Significationes gerundiorum discernu pro ingenio & natura uerborũ, unde proficiscuntur. 7
Gerundia rectum casum habere. 8
Qui sensus, quæq; ratio construendi gerundiorũ in recto. 9
Qui usus, quæq; structura gerundiorum in genitiuo 10.
Qui usus, quæq; structura gerundiorum in datiuo 12.
Qui usus, quæq; structura gerundiorum in accusatiuo 13.
Qui usus quæq; structura gerundiorum in ablatiuo
Scribendum cum uerbis puto, existimo, censeo, contra Vallam, esse gerundium, non nomen, ad hæc, latine dici, docenda est grãmatica. tum formulæ quædam dicendi annotatæ. demum, quot & quibus modis gerundia septimi casus possint interpretari 14

CAPITA LIB. VIII.

De supinis 1
Supina non esse nomina 2
Supina non esse uerba 3
Supinum esse partem orationis per se 4
De supinis in um 5
Supina in um, uerbis motum ad locum significantibus ferè adiungi, & significationem ferè actiuam habere 6

Alijs etiam uerbis supina in um, quàm ad locum significantibus, nonnunquam accedere 7
Supina in um è uerbis actiuæ perquàm rarò passiuam habere significationem 8
Scitum esse ac perelegans dicendi genus, perditum eo, defensum pergo, pro perdo, defendo. 9
Rectè latinèq; dici, uado legere 10
De supinis in u 11
Supina in u, è uerbis actiuis, communibus, pleraq; è neutris ac deponentibus, nominibus adiectiuis applicita, passiuã habere significationẽ. 12
Inscitè factum à Laurentio, qui negauit supina in u, per uerbalia rectè latinèq; exponi posse: atq; inibi quanta sensus communitas inter supina & uerbalia 13
Peraq; in u supina, è neutris ac deponentibus actiuam habere significationem 14
Substantiuis quibusdam supina in u nonnunquam accedere 15
Rectè dici, uenio lectu 16
Supina in u alijs etiam uerbis, quàm de loco significantibus, passim coniuncta reperiri 17
Supina in u, quicquid suprà disputatum est, nomina potius uideri 18
Quæ sint uera supina, quæq; eorum definitio. 19
De uerbalibus 20

CAPITA LIB. IX.

De gradibus comparationis 1

Positiuorum duplicem oportere esse significationem: & quot modis ex ipsis comparatiua & superlatiua deducantur 2

Quatuor esse partes orationis tantum, unde comparatiua & superlatiua ducuntur 3

Cacophoniam, uel hiatũ nihil impedire, quo minus comparatiua ac superlatiua è positiuis deducantur, quibus extremis in syllabis uocalis est ante uocalem 4

Duobus modis authores positiuis abuti 5

Quid cõparatio, atq; alia inibi annotatu digna. 6

Quot & quibus modis comparatiua ex ui comparationis construantur 7

De quodam remoto comparandi genere 8

Contra Laurentium, ad plures eiusdem comparatiuis licere uti 9

Comparatiua duobus etiamnum alijs modis, praeter antedictos, constrUi, si collatio fiat ad plures eiusdem 10

Comparatiua etiam casus suorum positiuorum accipere 11

Casus ex ui excessus comparatiuis non alia potestate, quàm positiui contingere 12

Comparationem syntaxi partitiua, contra Laurentium, uel inter plures quàm duos, rectè latineq; posse fieri 13

Comparationẽ in uno et eodẽ sensu inter diuersas qualitates uel quãtitates tribus modis fieri. 14

Electionem

Electionẽ superiori comparationi esse quàm similimam 15
Plus & minus 16
Obseruata in comparatiuis 17
Multis modis authores comparatiuis abuti 18
De superlatiuis 19
Quid genus in superlatione, & quotuplex 20
Superlatiuorum uariam esse structuram 21
Quatuor modis authores superlatiuis abuti 22
De obseruatis 23
Contra Laurentium, quisque non minus positiuo, et cõparatiuo, quàm superlatiuo accedere. 24
Contra eundem, omnis non comparatiuo et positiuo tantum, uerùm et superlatiuo subinde coniungi 25
In eundem, quàm pro ualde tam positiuo quàm superlatiuo inniti 26
Quàm pro quantũ omnes gradus admittere. 27
In eundem, per uel superlatiuo, non solum positiuo adiungi 28
In eundẽ, perquam superlatiuus latinè imponi. 29
Vter superlatiuo interdũ coniungi, & Quis comparatiuo 30
Reliquorum, quæ cui gradui conueniant, breuis præceptio 31
Prior æquè de pluribus, ac de duobus dici 32

CAPITA LIB. X.

De figuris constructionis 1

De

INDEX.

De prolepsi 2
De syllepsi 3
De zeugmate 4
De synthesi 5
De antiptosi 6
De ecclesi 7
De epitheee 8
De synecdoche 9
Quicquid utile hoc in libello, id omne in primis Deo, tum deinde Ioanni Taberio Rouatensi acceptum referendum. 10

FINIS.

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS *Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Primus.*

PRAEFATIO.

VEM superioribus annis Mercurium natu grandiorem, atque adeò sapientiorem sponderamus, en ad umbilicum Deo bene propitio deductum, tandem aliquando omnibus legendum exhibeo, uirga (nī fallor) petaso, ac talaribus probè instructū. Principiò, quod totius Grammaticæ artis fossa est ac uallum, Mercurius id pollicetur, nihil se præcepturum, non uel perspicua ratione communitum, uel adamantina authoritate suffultum. Rerum autem precioſißimarum ea natura est, ut quod habent optimum, id in intimis sibi recondant: quod contemptū, oculis statim obijciant. Sic ueritas, qua nihil precioſius, nihil diuinius, multiplex uelamen obtendit, interim heu nimis quàm caliginoſum, minimeq; obuiū. Quo ipſa se in semetipſam abducens, abdensq;, supra se cōsistit, uultu retracto. Cuius in penetrale, adytumq; augustius Grammatici si admitterentur, iam perinde in una ipſa uniuersi consentirent, ut plerique omnes inter seſe paßim nunc

 diſsident.

dißident. Verùm dum alij Priſcianum, nonnulli Laurentium, quidam Seruium, pars Diomedē, alij alium, præter Mercurium, hoc eſt, rectam rationem (ſiquidē authoribus Aegyptijs, Mercurius omni præeſt tum ſapientiæ tum eloquio) ſibi deos conſtituunt, eiſq; ſe ſe nimis addicunt, tantum abeſt, ut optatā ueritatem adſequantur, ut ſpacio tantùm non infinito ab ea diſcedant. Quapropter mihi de recta loquendi ratione diſputaturo, iſtiuſmodi confuſas Grammaticorum lacunas huc illuc millies transfuſas relinquendum fuit, altiusq; ab ipſis fontibus ſyncera ueritas petēda. Itaq; infracto animo, nec minore ſtudio rem longè operoſißimam aggreßi, primùm nullum authorum genus Latinum, idq; receptum prætermiſimus, quod uel attentißima obſeruatione, uel oculis (ut aiunt) aquilinis non perluſtrauerimus. Tum deinde locorum omnium ratione multò diligentißimè perpenſa, atq; perſpecta, inde riuulos noſtræ omnis huius quantulæcunque eruditionis quàm maximè claros ac puros, tanquam ex Mercurij columnis, decem libris, deduximus. Quàm autem cæteris cum Grāmaticis mihi hoc in libello conuenturum ſit, equidem nihil moror, dum ipſi ueritati adhæreſcam, neq; non cultioris literaturæ Candidatis optimè conſulam. Nunquam enim Saturno ſuus defuit Iupiter. Quorum ille cùm uerum ad intellectum, hic impoſtorem ad ſenſum omnes prouocet, inæſtimabile dictu eſt, quàm Iouios quenq; noſtrùm potius, quàm Saturnios eſſe delectet. Tametſi quid

quid est, quòd egomultitudinis consensum, atq; adeò laudem tanti faciam, cum grauissimo authore Seneca, argumentum pessimi turba sit, nec non uulgus ueritatis pessimus interpres existat? Pauci ergo, imò uerò perquàm rari sunt, quos Regina Veritas sibi eligat à secretis. Horum puncta si ego tulero, nihil est, quòd aliorum calculos mihi addendos curem. Quocirca si tam præclarè non agitur cum mortalibus, ut uera pluribus constent, iam mihi hoc nomine à quoquam nec inuidendum, nec succensendum est, si nonnulla (uel pariter incudi redditis, ac uelut recoctis, quæ Mercurius adhuc impuber iuuenili quadam scribendi licẽtia minus prudenter tradidit) ædiderimus, quæ hactenus uel ignorata prorsum, uel parum bene intellecta fuere. In refellendo autem si cubi acerbiores uisi fuerimus, id prorsus eò factum est, non quo quenquam contumelia afficeremus, neq; enim id nobis propositum: sed ut errores, qui deplorata superstitione, ac falsa multorum persuasione inueterarunt, ab imis usque radicibus euelleremus. quemadmodum uetera ulcera, quæ possessis altè suffusa medullis, non Pæonijs herbis, non mitiore manu, sed ferro atque igni curanda sunt. Simulq; temeritas, ac ferrea nonnullorum pertinacia fuit acrius retundenda, nullis omnium peruicacius errata sua propugnantibus, quàm istis, ut ignorantioribus, sic arrogantioribus Grammaticis. Quanquam tota Grammatica ratio hîc mihi haudquaquam suscepta est uel uindicanda, uel explicanda.

plicanda. Neque enim mihi tantum adſumo. nempe his relictis, quæ mihi cæteris cum Grammaticis abunde ſatis conſtant, quæq; ab alijs iam accuratius, copioſiusq; perſcripta ſunt. Sed iam Mercurius eſt uobis audiendus.

A` FACI-

se incipiendum. Caput primum.

T omnis corporum educatio à lacte, cunisq; initium ducit, sic omnis eruditio non ab eo quod naturà prius, ac remotius, ut plerique omnes præpostere faciunt, sed quod apprehensu, intellectuq; apertius, instituenda est. Neq; enim animorum imbecillitatis minor habēda ratio, quàm corporum. Quandoquidem mētes nostræ etsi rerum omnium ideas retinent, ut uolunt Platonici, corporalem tamen, ad quam ut tabula non picta, & imaginariam ad operationem nihil magis postulant, quàm ut à notioribus erudiantur. Itaq; ars ipsa quoniam duobus modis accipitur, altero secundum necessitatem materiæ, altero secundum ideam, nullo commodiore principio uti possumus, atq; si à partibus naturalibus, hoc est literis (nam quis sapiens, qui ab elementis sapere non cœperit?) ad hæc syllabis, ac dictionibus, quibus tota loquendi materia, & uniuersa bene dicendi substantia subministratur, incœperimus. Simul quia quæ sensui subijciuntur, longe faciliorà sunt intellectu. Simul etiam, quia præmonstranda est ipsa ueluti prima materia, quam artifex intellectus expromendis conceptibus effingat, & formet. Quando nihil sensibile fieri potest, nisi aliqua expressum in materia. Hæc ubi perstrinxerimus, quantum nostri pertulerit infirmitas ingenij, tum explicatius, fusiusq; eam Grammati-

cæ partem pertractabimus. quæ uelut intellectus quidam agens præcipit, quæ rectam ad rationem loquẽdi pertinent: quæq; certis, ac minimè titubantibus uestigijs eam ad cognitionem perducat, de cuius prudentissimo præscriptu, constitutione, regula, studiosi & propè uniuersam rectè loquendi uiam percalleant, et clara in luce ueritatis consistant. Nimirũ ea certitudine, ut nihil ratũ, assertumq; habituri simus, nisi quod uel solida ratio, uel inconcussa authoritas ubiq; probauerit. Quæ duo Grammaticus siue docẽdo, seu scribendo qui bona fide non præstiterit, is Pseudogrammaticus, imò ne Grammaticus quidem censendus est. Cum hæc omnium artium und ex professo minimum ratione, plurimùm usu, tota uero authoritate cõstet.

Alias esse partes artis Grammaticæ, alias orationis. Caput II.

PRincipiò igitur ut ars quæq;, & artifex, & opus maximè inter se naturà distant, ita longè alias esse partes artis, alias operis, semper meminerimus: ne si quod est proprium alterutrius, commune utriusq; fecerimus, primo in limine statim impingamus. Quemadmodum pleriq; maximi nominis Grammatici, qui de literatura disputaturi, literam, syllabã, dictionem, ac orationem partes artis Grammaticæ asseruerunt: falsõ quidẽ ipsi arti, quæ partes operis, id est orationis propriæ sunt, attribuentes. Quo quid uel stultius ab ipsis dici, uel ineptius excogitari potuit? Vt igitur Rhetoricæ artis partes quoquo modo à partibus rhetoricæ

toricæ orationis diuersæ existunt, propterea quòd illius sit inuenire, disponere, eloqui, meminisse, ac pronunciare: huius uero, exordiri, narrare, partiri, confirmare, confutare, & concludere. Sic aliæ omnino sint partes Grammaticæ artis, atq; operis, necesse est: quando illius proprium sit de literis, syllabis, dictionibus, ac structuris disputare, uiamq; ac ratione rectè loquendi, rectèq; scribendi ex usu authorum demonstrare: operis uero, id est orationis, nihil horum, sed ex literis, syllabis, ac dictionibus, tanquã ex materia omnino cõstare. Quare Orthographia, cui subijcitur litera, Prosodia, cuius materies est syllaba, Etymologia, cui supponitur dictio, & Syntaxis, cui recta partium orationis cõstructio respondet, partes sint quidẽ propriæ ipsius artis Grammaticæ. Litera uero, syllaba, ac dictio, sint partes naturales, nẽpe ipsa materies unde omnis oratio cõstat. Quanquã ipsa Grãmatice multo latius sese extendit: ut quæ iam non solũ in loquẽdi scribẽdiq; ratione, sed uel enarrãdis in authoribus maximè uersetur. Cuius professio cum sit facta duplex, priorẽ Quintilianus methodicen, Diomedes horisticen: posteriorẽ uero ille historicẽ, hic exegeticen appellauit. Sed nos relicta posteriore, summam, nobilissimamq; methodices partem prosequemur.

Elementa esse octo & uiginti, atq; mihi de potestate literarum annotatu digna. Caput III.

LIteræ uero, authore Martiano, aut effictæ, aut naturales. Effictæ, quatenus in quosdam characteres

certis ductibus delineantur. unde à litura & nomen acceperunt. Naturales, quatenus pronunciantur, in aures q; influunt, nomináq; in loquendi substantiam subministrant. Qua parte uel elementa dictitantur, quòd ex his uniuersa oratio, ut ex quatuor elementis omne corpus constituitur. Est igitur litera, ut præclarè Apollonius, prima materies humanæ uocis indiuidua. Constituendas enim, formandasq; ad literatas uoces his ueluti elementis nihil prius ingreditur. Literæ uero accidunt quinq;, nomen, figura, potestas, cognatio, & ordo. De quibus singulis quid ego sentiã, paucis expediam.

Nomen est, quo dicitur. Quanquam mihi subtilius, preßiusq; intuenti, nostrate lingua quid nomen ab elemento differat, non satis constat. Nam si elementum est, quod pronunciatur, & nomen, quo dicitur, neq; non utriusq; est una eademq; uox, equidem quid utrunq; ab altero intersit, non cerno.

Figura, qua scribitur. In qua excogitanda, non minor artis, quàm naturæ laus industriæ. Etenim quas humano ex ore literas illa sapientißimè finxit, has ipsa non minus prudenter certis proprijsq; lineolis naturam secuta describere, oculisq; subijcere excogitauit.

Potestas. Hic uero est, in quo maximè à Prisciano dissentiam. Nam quæ ridicula opinio, uel potius insania illius est, elementum et potestatem iuxtà pronunciationem appellantis? An sumus usqueadeò hebetes, tardiq;

tardiq; ingenio, ut nesciamus longè aliud esse, quod accidit, & cui accidit? Itaq; si elementum est substantia, & hæc pronunciatur, potestas uero accidens, longè aliud sit potestas, quàm pronunciatio, necesse est. Alioqui & pronunciatio ipsa sibi accideret, & inter elementum ac potestatem nihil interesset. imò ne potestas quidem ab ipso nomine quicquam differret. Quo quid absurdius? Sit igitur elementum, cui potestas accidit, ipsum quod pronunciatur. Potestas uero uis ipsa, quid quæq; litera ualeat, quidq; inter se differant, intelligendi. Ea uero est duplex: Communis, qua primùm uocales à consonantibus, rursum semiuocales à mutis discriminãtur: Et propria, qua quid quæq; per se ualeant, quidq; singulæ inter se distent, percipitur. Vocales nanque sunt, quæ sonantiore quadam uoce, eaq; libera, atq; impromiscua, cæteris omnibus antecellunt. Septem Latinæ, a e i o u. Sexta media inter e & i. Septima sonans inter i & u. De quibus excellentißimus author Quintilianus: Medius (inquit) est quidam i & u literæ sonus. non enim optimum dicimus, ut opimum. Et here neq; e planè, neque i auditur. Est postremò & y psilon, peregrina illa quidem, uocalis tamen, & qua Græcis tantum in dictionibus usitamur. Hanc uetustiores hya dictitasse, uidetur poëta Naso Met. X. insinuare:

Non satis hoc Phœbo (is enim fuit author honoris)
Ipse suos gemitus foliis inscribit, & hya
Flos habet inscriptum, funestaq; littera ducta est.

Quanquam emunctißimæ naris quidam Grammatici longè aliter, uel refragãtibus omnibus exemplaribus, omnino legendum autumant.

Semiuocales sic dictæ, quòd à uocalibus incipientes, uocem per se plenam efficere non possunt: propterea quòd in se ipsas desinunt. quales ef el em en er es ix. I uero & u consonantes ego semper semiuocales esse contenderim: tum quòd ad finitima & cognata facilior est transitus: tum quòd repugnante natura, è uocalibus mutas fieri, nimis q̃ uiolentum est: tum uel maximè, quòd uocem ipsis uocalibus retinent & proximam, & quàm simillimam. Nec refert, utrum præcedente, an sequente uocali eadem in syllaba proferantur: simplices ne, an duplices existant. Non ignoro, Priscianum de litera f multo aliter sentire. Sed nimirum longè aliud est elementũ, aliud ipsius accidentia considerare. Quid, quòd elementa, præsertim consonantia, nisi per se considerentur, quid quæq; ualeant, quidq; sonent, minimè, fallente compositione, dispici potest? Est uero probandũ, eam Prisciani fuisse aciem ingenij, ut abditas literarũ naturas, tenuißimaq; discrimina multo subtilius, quàm uetustißimi illi, ijdẽq; eruditißimi Grãmatici, quorũ nomina transeo, penetrauerit. qui omnes iuxtà mecũ pari consensu tenent f semiuocalem. At quibus tandem rationibus colligit subtilißimus Priscianus, f esse mutam? Nempe quòd pro litera phi ponitur: ut, fama, fagus, fur. O argumẽ tum inexpugnabile. Num nam igitur f muta est? Non

hercle

hercle magis, q̃ s, quæ his in dictionib. mertare, pultare, pro t succeßit. Quid, cum dicimus alligo, arripio, aßideo, num l r s mutæ sunt, quòd pro d posítæ sunt? Nihil minus. Est enim in literis cognatio quædã, atq; affinitas, qua uel aliæ alijs succedant, uel aliæ in alias conuertantur. At f si foret (inquit) semiuocalis, necessariò litera terminalis esset. Actum agis Prisciane. Vt non statim consequitur, b c d t propterea semiuocales esse, quòd nonnullas dictiones finiant: qualia, ab, lac, halec, haud, aliquod, aliquid, illud, istud, caput: Ita nõ necessariò fit, ut f muta sit, quòd nullã dictionẽ cludat. Quid Aeolicum digamma, quod M. Varro, ac Didymus uau appellarunt, cum candẽ uim habeat, quam u consonãs, quam paulo antè semiuocalem pro bauimus, non ne magis à me, quàm à Prisciano facit? Iam illud quàm ineptum, si f semiuocalis foret, præla ta l, aut r, eadẽ in syllaba, qui locus est mutarũ solus, nõ communẽ faceret syllabã. Perinde quasi semiuocalis ipsa uel mutæ prælata, uel alteri semiuocali eadẽ in syllaba cõiuncta, non illud idem efficere queat. Quid igitur sibi uoluit eminẽtißimus poẽta Vergilius, cum dixit, Ponite spes sibi quisq;? Quid Horatius: Euterpe cohibet, nec Polymneia? Quid Sidonius Apollinaris, Dulcia Mnemosyne? Quid Ouidius, In solio Phœbus claris lucẽte smaragdis? Nõ his omnibus locis semiuocalis uel præposita mutæ, uel alteri semiuocali cõiuncta eliquescit, uocalemq; præcedentẽ liquefacta corripit, quam alioqui seruata ui sua producere debuit?

buit? Vt cum & Vergilius, At ſæua ſpeculis: & Catullus, Dulce mnemoſynon mei ſodalis. Eſt enim carmẽ Phalæciũ, cuius primus pes ferè ſpondeus eſt. Non eſt igitur f dicenda muta, quòd prælata l aut r, eadem in ſyllaba communem ſyllabam faciat: cum & s & m uel præpoſita mutæ, uel alteri ſemiuocali coniuncta idem efficiat. Cum hæc in Priſcianũ pro tuenda ueritate mihi dicenda fuere: tum inſulſiſſima illorum opinio, quos neſcias ſtolidiores ne, an uaniores dicas, refellenda, qui literam f, non ef præcedente uocali, ſed fa, uel fi, pronunciandam contendunt. Quorum ineptiſſimam ſententiam, ferreamq; peruicaciam quid ego pluribus retundam, cum Fabius Quintilianus, ſummum illud totius Latinitatis columen eam ſtatim cõminuat? Is enim duodecimo in libro, de quarundam literarum prolatione nimis quàm ſubtiliter diſputans, etſi literam f uocem omnino barbaram, minimeq; humanam iudicat, manifeſtè tamen præſtantiſſimus author inter diſcrimina dentium efflãdo pronunciandam & ſcribit & docet. Nam (inquit) & illa, quæ ſexta eſt noſtrarum, penè non humana uoce, uel omnino non uoce potius, inter diſcrimina dentiũ efflanda eſt. Quapropter ſemiuocales à mutis cum nullo alio certiore argumento diſcernantur, quàm quòd illæ præcedentibus uocalibus, hæ ſubſequẽtibus proferãtur, concludamus, teneamusq;, literam f, quicquid Priſcianus, & cum eo pleriq; alij blatterent, ſemiuocalem eſſe, non mutam.

X etſi

Xetsi plerunq; duplex, idemq; ualet quod cs, uel gs, in principio tamẽ dictionum quia uim simplicem habet, ab elemẽtis haud segreganda. Nam quòd nonnulli Vergilianum illud ex quarto Georgicôn mihi obijciunt, Drymoq;, Xanthoq;: nihil illi quidem aduersum nos cõcludunt. Non hercle magis, quàm cum idem alibi dicit, Euriq;, Zephyriq;. Vbi Z in principio dictionis uim duplicem habere uidetur: cum eadem ipsa enclitica coniunctio, uel simplici consonante subsequente, etiam produci reperiatur. Vt cum idem ipse tum in primo Georgicôn, Cœumq;, Iapetumq; creat: tum in tertio Aeneid. Liminaq;, laurusq; dei: tum etiam in XII. Chloreaq;, Sybarimq;. Et Ouidius XI. Met. Peleusq;, comitesq; rogant. Quibus ex emplis luce clarius constat, q; encliticam coniunctionem in superioribus illis mihi obiectis non alia ratione produci, quàm qua in posterioribus adductis. Quòd autem X & Z in principio dictionum simplices sint consonantes, clarißimè probant simul Lucanus, cum ait lib. 2. Tumidũ super æquora Xersem: simul Vergilius, cum Aeneidos III. Nemorosa Zacynthos.

Mutæ uero id nomen sibi uẽdicarunt, inquit Martianus, quoniam nisi uocales illis associatæ succurrerint, intra oris sonitum ante auspicia commoriantur. Tres exiles, c p t. tres crassæ, ch ph th. quibus si aspirationem subtraxeris, earum et dimidiam substantiã, & propriam significationem sustuleris. tres mediæ,

b d g. Porrò q inuentum est, eliquandam ad uocalem *u.* Cuius id proprium, ut nũquam efferatur, ac ne scribatur quidem, nisi post eliquatam u alia uocalis subsequatur. Z, de qua nonnihil paulo antè, licet aliàs simplex, ut Zeno: aliàs duplex, ut pythagorizo, non proptereà ab elementis exterminanda.

Meminerimus alioqui esse duplex liquescentiæ genus. Priore omneis latinas uocales censeri. quæ quoniam ipsæ sibi minimè constant, nec unam, eandemq; uim perpetuò continent, sed quasi lapsantes nunc longæ, nunc breues reperiuntur, quidni meritò liquidæ appellentur? Altero quasdam literarum, quæ uim, rigoremq; suum remittentes quodam modo languescere, atq; euanescere dicitantur. Quod genus u post q. cui cum postponitur, nõne semper eliquatur? ut qualis, queror. At uero eadem si ponatur post g, uel s, nõ semper. Quoniã interim constat, ut irriguus, arguo, sueuus, suo. Interim eliquescit, ut lingua, sanguis, suadeo, suetus. Quanquã uel in uocalem commutata non nunquam reperitur. Quale uel Papinianum illud, Quas nox inopina suasit. uel Horatianum, Furesq; fræq; suetæ. Sed & semiuocales quædam, nimirum l m n r & s, sub hoc liquescentiæ genere continẽtur, nempe cum uel mutæ alicui, uel ipsæ sibi coniunctæ uocalem præcedentem, quam alioqui seruata ui sua producere deberent, lapsantes ipsæ, liquescentesq; breuem efficiunt. Quorum omnium exempla passim apud omneis poëtas reperire est.

Cognatio

Cognatio uero est, qua literarum aliæ in alias commutantur. De qua ipsi nihil est hic quòd plura differamus: Quintiliano, Martianoq; Capella de ea non minus copiosè, quàm accuratè disputantibus.

Ordo postremò ratio ipsa demonstrans, quæ litera præponi, quæue supponi in pronunciatione, ac scriptu debeat. Id cum alijs omnibus in literis, tum uero in uocalibus in diphthongon coeuntibus maximè cernitur. Quãdo a o y semper antecedunt, i & u semper subsequuntur: e uero & præit & sequitur. Ita diphthongus, quæ aliud nihil est, quàm naturalis uel mimitica duarum uocalium in unam intentionem conglutinatio, sexcuplex esse reperitur. æ, in qua supprimitur a, & profertur e, ut Cæsar. au, in qua profertur a, & rapitur u, ut Augustus. ei, ubi supprimitur e, & profertur i, ut Orphei, omneis. eu, in qua profertur e, & rapitur u, ut Orpheus. yi, ubi utraque uocalis in i productam cedit, ut Orithyia. œ, ubi supprimitur o, & profertur e, ut cœlum. Quibus omnibus ita disputatis, facilè colligitur, literas partim nostrates, partim à Græcis mutuatas, quibus nos usitamur, esse octo & uiginti. nempe uocales octo, semiuocales nouem, mutas undecim. H uero etsi figura inter literas scribi potest, re tamẽ uera aliud nihil est, q̃ humani ſpiritus dẽsitudo quædam, qua literarũ soni uegetiores, crassioresq; in pronũciando reddũtur. De qua Ioannes Pontanus, author nostræ tempestatis illustrissimus, cum libellum elegantissimè scriptũ reliquerit, non est quòd

ego

ego de illa pluribus ediſſeram. Atque de literis hæc indicaſſe uerius, quàm docuiſſe, iam ſatis.

Syllabam ad formandas dictiones eſſe neceſſariam. Caput IIII.

Lementa ergo, ut uides, quod ſuum erat, uberem fabricandæ orationi materiem hactenus ſuggeſſerunt. Verum omnis oratio quoniam ex aëre tãquam ex corpore, atq; ex ſignificatione tanquam ex anima conſtat, danda fuit aliqua diſpoſitio, qua literalis iſta materies ſuapte naturà hians, patens, atq; indigeſta, pro ſua cuiuſq; uocis natura formanda, ordinaretur. Sequitur enim ſua quanque diſpoſitionem forma, & actio. Nam oratio cum ſit ordinata quædam uerborũ prolatio, artifex hic aliquis exiſtat neceſſe eſt, qui & materiem diſponat, & formam præſtet. Quando corpuſcula illa aërea indiuidua, per ſe aut fortuitò minimè formandam ad orationem coëant, ſed ratione aliqua neceſſariò ſic diſponẽte. Atq; hic artifex quis alius eſſe poteſt, quàm abditus ille ac diuinus magiſter omnium ſignificationum ut excogitator, ita deprom ptor animus, qui omnia loquitur? Neceſſariò igitur, nec minus prudenter numeroſa illa literarum uel com prehenſio, uel diſpoſitio, quam ueteres illi ſapientiſſi mi tum ſymbolon, tum ſyllabam nuncuparunt, excogitata eſt, qua tanquam nexibus quibuſdam materia ipſa alioqui hiulca atq; patens, in numerum concinnata, expromendis conceptibus noſtris inſeruiat. Atq; ita fit, ut ſyllaba aliud nihil ſit, quàm literarum ordinata

ordinata quædam comprehensio, constituendas ad dictiones accommodata. Huius accidētia quatuor sunt, tempus, tenor, spiritus, & numerus. Quorum scrupulosa magis, quàm subtilis obseruatio cuicui minus perspecta fuerit, næ hic optimam Grammaticæ partem ignoret, necesse est. Quam partem quoniam alij & curiosissimè & copiosissimè perscripserunt, non est hic aliter quòd ipsi laboremus. Tantum locus nobis fuit attingendus.

Quid dictio, quidq; prius significet, res ne, an conceptus. *Caput V.*

SEd aërea ista momenta in numerum comprehensa iam mihi subseruiant expromēdas ad cogitationes. Et susceptæ literatæ illius uocis exacta forma, iam ea sese mihi exhibeāt, quibus nulla mora fiat, quo minus inde statim perfecta oratio constituatur. Etenim literæ, quod suum erat, materiem suppeditarūt. Syllabæ, quod indigestum, disposuere. Ergo quid superest, nisi ut uox illa iam sonet, quæ interpretandis nostris sensibus perquàm apta atq; accommodata existat? Hæc uox quoniam quicquid mente cōcipimus, & profert, & dicit, quidni meritò nomen dictionis sibi uendicarit? Nodosum illud, dictiones quid prius significent, res ne, an conceptus. Ego sic statuerim, res prius ab illis significari anteceßione apprehensionis, tum conceptus. Porrò autem anteceßione pronunciationis, primum conceptus, deinde res ab illis explicari. Superiore modo Grammatici dictiones accipiunt, neque nō in denas partes orationis distribuūt, nomen, pro-

nomen, uerbum, participium, gerundium, supinum, præpositionem, aduerbium, interiectionem, & coniunctionem. Quid est igitur dictio? Nimirum uox significatiua, cuius nulla pars (composita tamẽ semper excepta) significat separata, ex qua statim oratio constituitur, & in eam resoluitur.

Orationem esse totius Grammaticæ ultimum scopon. Caput VI.

CErnis, quantus ædificãdæ orationi apparatus præceßit, etsi per transennam potius ostensus, quàm pro magnitudine rei longè lateq; explicatus? Sed nõ fuit nostri propositi hæc diffusius disputare, ad maiora, & magis utilia properantis. Quòd si partes istæ naturales tantum negocij sibi popoſcerunt, iam in cõstituenda oratione quales esse debemus? Hic est enim ille scopus, quem tota Grammatica petit, ad quem uniuersa præcepta contendunt, cui literæ naturam ministrant, syllabæ se ordinatas præbẽt, dictiones sese componendas ingerunt. Itaq; cum omnia à natura sint nobis ad loquendum abundè suppeditata, munus ipsum per se diuinum, ac singulare: ne ipsi nobis defuisse uideamur, insideat (obsecro) in nobis absoluta aliqua dicendi idea. atq; humanæ cogitationis hic noster efflu-xus per literatas uoces clausula terminatus, quem orationem dicimus, nobis fluat in primis purus, non phaleratus. Oratio inquam nobis fluat in primis mascula, perspicua, sibi ipsa consentiens, distincta, accommodata, & undecunque plausibilis, quæq; rem ostendat potius, quàm uel scriptoris uel dicentis ingenium ostentet.

oſtentet. Hoc autem conſequemur, ſi optimos authores nobis imitandos propoſuerimus. Magno errore eorum, qui Apuleium, & conſimilis notæ authores Ciceroni anteponunt. Non quòd omnia in Apuleio improbemus, ſed quòd plera[illegible]. Qui ſi tam latinus eſſe curaſſet, quàm curioſus & eſſe & uideri uoluit, nō haberemus, quem eloquētia, ingenio, doctrina ei præponeremus. Sed et nimis quàm multum ad perfectam latinitatem [illegible]

Verumenimuero quoniam noſtra omnis diſputatio futura eſt de conſtructione, in qua uerbum primas parteis indubitatò ſibi uendicat, altius paulò de uerbis rē petamus, oportet. Eo enim conſtituto, reliqua omnia & certiora multo, & faciliora ſuccedent.

Subſtantiuum uerbum caput eſſe, ac fontem omnium reliquorum uerborum. Caput VII.

QVi de uiribus humani ingenij multò præter cæteros curioſius ſcripſere, triplicem eius actionem eſſe dixerunt: primam, ſimplicium apprehenſionem: alteram, apprehēſorum compoſitionē: tertiam, compoſitorum ratiocinationem. Duæ primæ nobis cæteris cum philoſophis ſunt communes: tertia dialectico rum propria eſt. Ergo primùm apprehendimus, deinde componimus, poſtremò ratiocinamur. In componendo autem uis aliqua exiſtat neceſſe eſt, ſuapte natura

talis, quæ munus illud componendi non mutuatum habeat, sed proprium, ac minimè accersitum. Quoniam si in omni rerum genere dandum est unum aliquid primum, cuius participatione reliqua in eo genere sint talia, quidni hoc in uerbis faciũdum? Hoc igitur uel nullum aliud, uel certè istuc ipsum est uerbum substãtiuum. Quando suapte ipsius natura sic est uerbum, ut aliunde nihil existat. Nam compositionem illam, [illegible] ut subſtantias ipſas indiuiduas aut agere aut pati contigit, (ſiquidem earum hæc propria ſunt munia) tot ſignificationum facies, tot ueluti corpuſcula, tot figuras ſibi obduxit, induitq;, ut uix cuiquam comprehenſibile fiat, unde fluxerint tot uerborum denominationes. Nam prout quiſpiam amore in alium affectus fuit, inde factum eſt uerbũ amo. Ab eo, quòd quiſpiã aliũ affecit doctrina, factum eſt uerbũ doceo. Ita prorſus, ut quorũ uerborũ ſignificandi rationes intrinſecus profluxerint, actiuam habeant ſignificationem: quorum extrinſecus, paſſiuam. Ergo uerbum ſubſtantiuũ per ſe cum ſit nudũ ac ſimplex, & prorſus aliud nihil ualeat, quàm componere ſuppoſitum cum appoſito, ſignificationes illas ſibi aſſumpſerit extrinſecus neceſſe eſt, ex aliqua aduenticia natura, & ea quidem nominis propria. Quarũ commixtione, & quadam

dam quasi constitutione factum sit, ut inde tot demanarint uerborum formæ. In quibus omnibus duplex natura: altera communis, ex eo quòd unumquodque uim illam habet componendi suppositum cum apposito. qua parte etiam uerba tantum existimanda. Altera indiuidua, quæ est sua cuiusque uerbi significatio propriè singulis attributa. in qua nil prorsus differūt à nomine. Ergo quia quorum uerborū suppositæ sunt agentia, eorum significationes sunt actiuæ: quorum patientia, passiuæ: dandum fuit aliquod accidens, quo actiuitates istæ, ac passiuitates distinguerētur. Id Grāmatici appellant genus. Quod quid aliud est, quàm forma quædam, ac notio, qua naturalis enunciatio uerbi discernitur à placita? Etenim duæ sunt terminationes, o, & or. illa actiua, hæc passiua. Naturalis igitur, ubi uerbum & sensu & uoce actiuum est, uel passiuum, ut amo, doceo, amor, doceor. Placita, ubi alterum istorū deest, ut uapulo, sequor. Hinc quincuplex uerborum genus, (nam de impersonalibus mox) actiuum, passiuum, neutrum, commune, & deponens. De quibus omnibus iam nobis & quàm diligentissimè, & quàm uerissimè disputandū. Quoniam si tota uis orationis in uerbis præcipuè cōsistit, cur his explicādis non optimā & primā operā nauemus? Eo ordine in primis seruato, ut primū de actiuis, dein passiuis, mox neutris, tū cōmunibus, postremò deponētib. etiā singulis generibus in suas classes diuisis. Vel maxima ui exemplorū simul adhibita, sine quibus nihil rectè, nihil tuto in Grammaticis præcipi potest, disseramus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

De uerbis actiuis. Caput VIII.

NOn ignoro, quàm latè à quibuſdam, quamq; prolatis pomœrijs uerbum actiuum ſit definitũ. Sed his prætermißis, id mihi demum ſit uerbum actiuum, quod in o ita deſinit, ut aſſumpta r litera tranſeat in paßiuum, ei conſtituendo tria omnino neceſſaria. Quòd deſinat in o, quòd accuſatiuum ui tranſitiua poſteriorem petat: poſtremò quòd animal rationale eo caſu ſignificari poßit, unde paßiua illa conuerſio per omnes perſonas fieri queat. Tria hæc quæcunque uideris in uerba quadrare, ea ſunto uera ac legitima actiua: quæ aliter faxint, ſuntote neutra. Enimuero quòd omnia à fronte ex æquo nominatiuũ requirant agentis, à tergo accuſatiuum patientis, ſanè eo nihil prorſus inter ſe differunt. Quòd autem alios atque alios ulteriores caſus accipiant, ijs demum diuerſas tribuuntur in ſpecies. Niſi tamen ponãtur abſolutè. Quod genus Ouidianum illud lib. i. de Remedio:

Sæpe tepent alij iuuenes, ego ſemper amaui:
Et ſi quid faciam, nunc quoq; quæris, amo.

Nam huiuſmodi abſoluta tunc potius ego dixerim neutra. Quandoquidem ſi mutatione conſtructionis uerba mutant genus, ceu illudo te, illudo tibi, uindico te, uindico in te: quidni multo magis id faciant abſoluta? Illud etiam candidos lectores uelim exoratum, ne mihi uitio uertant, ſi recognoſcẽdis in uerbis multa prætermiſerimus: quãdo nobis animus eſt, non tam recepta percenſere, quàm pleraq; cõtrouerſa, adhæc perperam uſitata, in priſtinam dignitatem uindicare.

Actiuorum

Actiuorum prima classis.

Caput IX.

HAec solo nominatiuo agente, & accusatiuo patiente orationem finiunt. quale Ouidianum illud, Bacchus amat flores.

Amo as aui atum.

Diligo is exi ectum. Sed leuiter diligimus, uehemẽter amamus. Cicero ad Brutum: L. Clodius ualde nos diligit, aut ut uerius dicam, ualde nos amat. Quæ differentia tamen nonnunquam confunditur. Sunt qui uelint, amare affectus esse, diligere rationis. Id quoque non usque uerum. Aemilius in Pausania: Argilium puerum Pausanias amore uenereo dilexerat.

Suspicio is exi ectum. Lactãt. lib. ij. Factorem ipsum nemo suspicit. id est, ueneratur.

Lego is egi ectum. Huius passiuum metonymicè plenum extat. Ouidius lib. iiij. de Trist. In toto plurimus orbe legor. Et Martialis libro iij. Ore legor multo.

Deficio is eci . ectum. Oënone Pari di: Deficior prudens artis ab arte mea.

Fastidio is iui itum. Vergil. in Bucol. Inuenies aliũ, si te hic fastidit Alexis. hoc est, si fastu quodam te contemnit. Sanè uerbum hoc, cùm significat fastidio habere, semper exigit suppositum agens animatum, idq; rationale. Horatius in Ser. Num esuriẽs fastidis omnia, præter Pauonem rhombumq;? Rursus: At pater ut gnati, sic nos debemus amici, si

quod sit uitium, non fastidire. Seneca epistola cxix. Fastidis omnia præter pauonem. Quo minus audiēdi sunt, qui huic uerbo suppositum patiens adscribunt, cùm Grammatica ratio, cùm Latinitas non recipiat, ut uerbum uoce actiua passionem adsignificans uerbum ex se passiuum gignat. Quod quidem huic esse tam clarum est, quàm quod clarissimum. Liuius libro iiij. Dum nullum fastiditur genus, creuit imperium Romanum. Lucanus: Pars magna senatus fastidita iacet. Ergo ueritatem obseruare, dialectici est: significandi modum, Grammatici.

Perdo is perdidi itum.

Amitto is amisi amissum. Catullus: Ocium reges, prius & beatas Perdidit urbes. Hoc uel secundam in classem cooptari potest. Plaut. in Milite, Quem ego capitis perdam.

Timeo es timui, sine supi.

Metuo is metui. sine supi.

Formido as aui atum. Liui. lib. ij. Ego si in arce habitarem, metui me credere possem à meis ciuibus? Iuuenal. Saty. iij. Tristis & à magno semper timearis amico.

Abhorreo es rui. sine sup. Cicero pro M. Cœlio: Ignoscebam uobis attentè audientibus, propterea quòd egomet tam triste genus orationis abhorrebam.

Excipio is cepi eptum. Et proprie ex cipiuntur errantes, & in calamitatem delapsi. Vergilius Aeneidos iiij. Eiectum littore, egentem, Excepi, & regni

& regni demens in parte locaui.

Exanimo as aui atum. Curtius lib. vi. Multos exanimauit rigor insolitus niuis.

Funero as aui atum. Seneca ad Albinam, Filium meum funeraueras. Plinius libro xxxiij. Qui funerari se iußit sestertijs xi. millibus.

Fundo is fudi fusum. Liuius libro i. Exercitum fundit, fusum persequitur.

Defendo is endi ensum.

Propugno as aui atum. Tacit. lib. iiij. Illi munimenta propugnabant.

Desidero as aui atum. Hoc uerbum reconditam habet elegantiam. Suet. in Aug. Desiderauit nonnunquam & M. Agrippæ patientiam, & Mecœnatis taciturnitatem. hoc est, & Agrippa nonnunquam fuit nimis impatiens, & Mecœnas nimis loquax. Verum adhuc illa reconditior, cum aliquē mortē sublatum significat. Cice. in M. Anton. Ne unum quidem militem desiderauerit. Cæsar lib. iij. Ciuil. bel li: In eo prælio non amplius ducentos milites desiderauit. Et lib. iij. Gal. bel. Compluribus interfectis, paucos ex suis desiderauerunt. Sed hic intellectus multo significantius per paßiuum exprimitur. Idem lib. vij. Gall. bel. Eo die milites sunt paulo minus septingenti desiderati, id est, mortui.

Arguo is argui utum. Verg. iiij. Aen. Degeneres animos timor arguit.

Delecto as aui atum. Huius paßiuum contra communē omnium institutionem extat elegan

tißimum. Cicero in Bruto: Vulgus probat, cum à malo delectatur. Idem in Verrem: Ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quàm decipi putem posse. Et lib. i. de Finib. Existimo te, sicut Triarium, minus ab eo delectari. Vides, ut uerum ac genuinum sit uerbum passiuum delector, nõ autem deponens? Non negauerim tamen, et cum septimo persæpe construi. Aemilius in Dione: Plato delectatus est Dione.

Appello as aui atum. *Seneca lib. v. de Benefic. Fœnerator quosdam debitores non appellat, quos scit decoxisse. id est, in ius non uocat. Fabius lib. iiij. Vxor marito dixit, appellatam se de stupro à priuigno. id est, attentatam.*

Offendo is endi ensum. *Cicero Curioni: Te imparatum offendam. id est, inueniam.*

Eleuo as aui atum. *Suet. in Caligula: Versiculorum fidem eadem hæc eleuant, & eò facilius, quòd hi sine authore sunt. id est, minuunt, deprimunt.*

Inuenio is eni entum.

Reperio is reperi ertum. *Verũ quærentes inuenimus, casu reperimus. Ouidius lib. i. Met. Tu non inuenta, reperta es. Quanquam & confunduntur. Seneca lib. vi. de Benefic. Quem non quæsierat, inuênit.*

Inuado is inuasi inuasum. *Tacitus libro iiij. Altero populatores inuaderentur. Liuius lib. iij. A Quintiano exercitu inuaditur uallum. Possunt nihilo minus & omnia sequentium claßium, amotis*

ulterioribus

ulterioribus casibus, huc remigrare. et inuicem hæc, pro diuersitate casuum, alia aliò demigrare.

Secunda classis. *Caput X.*

HAec præter accusatiuum patientem, genitiuum, uel septimum petunt. Papinius lib. ij. Achill. Mittitur Oemoniam, magni qui Pelea facti Impleat: Vergilius iij. Aeneid. Animum ueris implet Apollo: Sed precium usque ponatur in septimo. Plaut. in Bacch. Ducentis philippis filium emi. Cicero ad Attic. libro i. Domum Rabirianam Neapoli M. Fonteius emit sestertijs ccclxxxxiiij. Sextus Pompeius lib. xi. Aestimabatur bos centussibus, cuis decussibus. Accedunt magno, paruo, multo, pauco, uili, caro, minimo, maximo, nimio, plurimo, immenso. Quibus precio substantiuum licenter addi potest, & demi. Precium tamen uel in genitiuo positum legimus. M. Varro in satyra de edulijs: Pistorem qui norunt, uolunt emere millibus centum: Te qui nouit, nemo centussis. Plin. libro xvi. Vulgò auditur lxxx. nummorum, & pluris malos uenundari. Columel. lib. iij. Quæ uulgus parui æris posse comparari putat. Sextus Pompeius libro xiiij. Tarpeia lege cautum est, ut bos centussis, ouis decussis æstimarentur. Sed hoc ut perrarum, sic minimè usurpãdum. Carius quinetiam emi, quàm tu, uiliusq;, meliusq;, peiusq;, usurpant authores. Cæterum tanti, quanti, pluris, minoris, tantidem, quanticunq;, quantilibet, & quantiuis, excipiantur. Quibus genitiuis (neq; enim aduerbialiter ponuntur, ut quidam falsò autumant) semper utamur absolutis. Cicero in Verrem:

rem: Aiebant se frumentum tantidem æstimasse, quanti sacerdotem. M. Varro lib. iij. rerum rust. Parentes eorum Romæ singula paria ueneunt ducenis nummis. Quos nuper cum mercator tanti emere uellet à L. Axio, minoris quadringentis denarijs daturum negauit.

Emo	is	emi	emptum.
Comparo	as	aui	atum.
Præstino	as	aui	atũ. Plaut. in Epid.

Quanti emi potest minimo. Solinus in Poly. Basilisci reliquias amplo sestertio Pergameni comparauerunt. Apuleius lib. ix. Met. Quis est ille, qui tãto præstinauit? id est, emit.

Do	as	dedi	datum.
Vendo	is	uendidi	uenditum.
Venundo	as	uenundedi	uenundatum.
Distraho	is	axi	actum. Cicero libro ij. de Off. Ne M. quidem Seio uitio datum, quòd in caritate annonæ asse modium populo dedit. Plin. lib. xiiij. Ne quis uinum Græcũ, Amineumq; octonis æris singula quadrantalia uenderet. Apuleius lib. ix. Met. Strenuũ negotiatorẽ nacta sum, qui rem, quam ego iamdudum septem denarijs uendidi, minoris distraxit. Notandum illud, numerum, pondus, ac mensuram huiusmodi in uerbis uel accusatiuo cum præpositione in, uel ablatiuo cum præpositione pro, adsignificari. Cicero in Verrem: Quid ergo, in singulos sestertijs millibus dãnari mauultis? Idem pro M. Fonteio: Titurius Tolosæ quaternos denarios in singulas

uini

uini amphoras portorij nomine exegit. Rursus in Verrem: Ipse pro tritici modijs singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Possunt alioqui & numerus, & pondus, & mensura uel nominatiuo etiam, uel accusatiuo citra præpositionem exprimi, quemadmodum & Varronis & Plinij exemplis iam laudatis liquidò constat.

Addico is ixi ictum. Plinius libro xxix. Cantharides Cato Vticensis sestertijs lx. addixerat.

Conduco is uxi uctum. Plaut. in Pseudulo: Quantulo argenti te conduxit Pseudulus?

Taxo as aui atum. Plin. lib. xxxv. Solebant libræ eius tricenis nummis taxari.

Aestimo as aui atum.

Puto as aui atum. Catullus: Rumores senum unius æstimemus assis. Seneca epistola ciiij. Hanc si magno æstimas, omnia paruo æstimanda sunt. Liuius lib. xxxix. Cato iussit mancipia minora annis xx. quæ x. millibus æris, aut eo pluris uenissent, uti decies tanto pluris, quàm quanti essent, æstimarentur. Cicero in Verrem: Si denarijs quadringentis Cupidinem illum putasset.

Indico as aui atum. Et proprie ad uendentes pertinet. Apul. lib. i. Met. Quid tam magnis precijs pisces friuolos indicatis?

Postulo as aui atum.

Arcesso is iui itum.

Insimulo as aui atum.

Defero ers tuli latum. Cæsar lib. iij. Ciuil. bel. Postulauit L. Affraniũ proditionis apud Pompeium. Tacitus lib. iij. Priscus Cæsium proconsulem postulauit repetundis. Idem lib. ij. Apuleiam Variliam maiestatis delator arcessebat. Cic. in Verrem: C. Verrem insimulat auaritiæ. Tacitus lib. xiiij. Antistius à Capitone maiestatis delatus est. Ne ratio qui dem eorũ usquequaque uera, qui uitia speciatim dicta genitiuo tantum, generatim posita ablatiuo exprimi cõtendunt. Apul. in Apolog. Numquam profectò tam cunctanter hominem extraneum tot, tantorumq; criminum postulasset. Plinius lib. xviij. Necari iubebant grauius, quàm homicidio conuictum.

Arguò is argui utum.

Accuso as aui atum. Flaut. in Amphitr. Eccum uideo, qui me arguit stupri, dedecoris. Suet. in Cæsare: Ne hospitem aut negligentiæ, aut rusticitatis uideretur arguere. Seneca lib. iij. Contro. Filius accusat patrem dementiæ. Cice. pro A. Clu. Cum illi debuerint potius accusari de pecunijs repetundis, quàm ambitus.

Incuso as aui atum.

Castigo as aui atum. Tacit. lib. ij. Piso incusat Germanicum luxus, & superbiæ. Et lib. xij. Agrippina Narcisum incusat cupidinis, & prædarum. Lactant. lib. vi. Quem errati piget, castigat se ipsum dementiæ.

Increpo as increpui, uel increpaui, increpitum, uel atum.

Vrged

Vrgeo es ursi, sine sup. Suet. in Caligula: Nihil non fraudis adhibuit, auaritiæ singulos increpans. Apuleius in Apolog. Vltro ipse leuitatis & inconstantiæ increpitus. Tacitus libro v. Labeo malè administratæ prouinciæ, aliorum'que criminum urgebatur.

Plecto is plexi, uel plexui plectum. Apul. in Apolog. Vt obtentu eius ætatis ipse insimulationis falsæ non plecteretur.

Alligo as aui atum.

Obligo as aui atum.

Adstringo is inxi ictum. Cicero pro L. Flacco: Ne L. Flaccus nunc se scelere alliget. Aulus Gellius libro vij. Furti se obligauit. Plaut. in Pœnulo: Iuratus quidem homo furti se adstringet. Quo sensu accipitur etiam Teneor. Tacitus lib. xi. Dena sestertia egressi, repetundarum tenerentur. Aul. Gel. libro xi. Furti tenetur.

Absoluo is absolui utum. Seneca libro iiij. de Benef. Nec audacem timoris absoluimus. Liu. lib. ij. Latæ deinde leges, quæ consulem regni suspicione absoluerent.

Cito as aui atum. Cic. pro C. Rabir. Omnes abs te capitis citantur.

Iudico as aui atum.

Damno as aui atum. Aul. Gell. lib. xx. Quantæ pecuniæ iudicati essent, prædicabatur. Cic. in Verrem: Cedò mihi unum, qui octupli damnatus sit. Rursus: Qui porrò erit, qui nõ malit decu-

manis

manis tuis dare, quod poscerent, quàm ab afflictis tuis quadrupli condemnari? Dicimus etiam, damno te capitis, & capite. Sueton. in Caligula: A senatu capitis damnatus est. Cicero libro i. Tusculan. Animos quasi capite damnatos, morte multat. Rursus: Capite damnarer.

Conuinco is conuici conuictum.
Redarguo is gui utum. Lactant. lib. vij. Iudæos sceleris conuincemus. Et libro de Ira dei: Iudices scelere conuictos pœna capitis afficiunt.
Noto as aui atum. Aul. Gellius lib. iiij. Si quis eques Romanus equum habere parum nitidum uisus erat, impolitiæ notabatur.
Infamo as aui atum. Seneca epistola xxij. Quisquam illos apud te temeritatis infamet?
Deprehendo is endi ensum. Plaut. in Bacchid. Quem mendacij deprehendit manifesto modo. Aulus Gellius lib. xi. Qui manifesto furto prehensus esset. Et mox: Seruos item furti manifesti prehensos uerberibus affici.
Purgo as aui atum. Liu. lib. xxxvij. Purgantibus ciuitatem omnis facti, dictiq; hostilis, iuuisse eos omni commeatu classem hostium arguit. Apuleius in Apolog. Me omnium, quæ insimulatis, abundè purgaui.
Moneo es nui itum.
Admoneo es nui itum.
Cõmonefacio is eci actum. Fabius lib. i.

lib.i. Grammaticos officijs sui commonemus. Sen. epistola lvij. Admonet illum natura mortalitatis suæ. Cicero in Verrem: Quin sui sceleris, & crudelitatis ex illa oratione commonefiat.

Leuo as aui atum. Plaut. in Rudente: Vt me omnium iam laborum leuas. Vergil. in Buc. Ego te hoc fasce leuabo.

Contemno is empsi emptum. Cicero libro i. de Diuinat. Contemnamus hos aut stultitiæ, aut uanitatis.

Saturo as aui atum. Plautus in Sticho: Hæres uitæ me soror saturant. Terentius in Heaut. Istius ob saturabere.

Impleo es eui etum.

Compleo es eui etum. Plautus in Menæhmis: Parasitus me compleuit flagitij, & formidinis.

Interrogo as aui atum. Tacitus lib. xvi. Capitonem repetundarum interrogant.

Imbuo is bui butũ. Idem in Dialogo: Veteres oratores Grammaticæ, musicæ, & geometriæ imbuebantur.

Participo as aui atum. Plautus in Cistell. Paternum seruum sui participat consilij. Apuleius lib. ix. Met. Meum dominum comis hospes opipari prandio participat.

Tertia classis. Caput XI.

Hæc præter actiuum patientẽ, datiuum requirunt. Varro lib. ij. Rerũ rust. Nostri maiores præponebant

bant rusticos Romanos urbanis.

Commendo as aui atum. Verg. ij. Aen. Ascanium commendat socijs.

Credo is credidi itum.

Committo is misi missum. Claud. libro de Raptu Proserp. i. Infidis natam laribus commisit alendam.

Dedo is dedidi itum.

Addico is addixi ictum. Fabius lib. iij. Deliberant, an Fabios dedant Gallis bellum minantibus. Hircius de bel. Hisp. Propter patriæ luctuosam perniciem dedimur hostium numero. Cicero pro Milone: Incidebantur domi leges, quæ nos seruis nostris addicerent.

Do as dedi datum.

Tribuo is tribui utum.

Trado is tradidi tum. Valerius Max. lib. vij. Parentes Metello nobilißimos fortuna dedit. Hoc autem in uerbo mirũ, quàm multus insit lepos, quàm iucũda uarietas. Nam dare nuptũ, uel nuptui, est maritare. Aemilius in Dione: Dionysius Areten Dionis uxorem alij nuptũ dedit. Suet. in Aug. Iuliam M. Agrippæ nuptui dedit. Dare donum, uel dono, est donare. Tacitus lib. xix. Vt tot armatorum milia exuli Antonio donum darentur. Terent. in Eunu. Virginem, quam heræ dederat dono miles, uitiauit. Dare uenum, est uendere. Aul. Gellius lib. xv. Venum hercle dedissem res rusticas, et urbicas emissem. Est, cum per epithecen duplicem accusatiuum petit. Plaut. in Trinum.

num. Est ager sub urbe hic nobis, eum dabo dotem sororí. Liuius lib. iij. Senatus alteri consuli populationem finium Equorum prouinciã dedit. Est, cum post datiuum, ablatiuum cum præpositione a, uel ab regit. nempe cum aliquid damus alicui ab aliquo. Plaut. in Capt. Sequere me, uiaticum ut dem à trapezita tibi. Est, cum duos datiuos. Idem in Mostell. Quas arra boni tibi dedit. Nam quòd circumfertur, dare alicui literas, esse, eas illi dare ad alterum perferendas, ne istuc quidem semper uerum. Plaut. in Trinum. Ferat epistolas duas, det alteram illi, alteram dicat tibi dare se uelle. Cicero ad Cæsarem: Domi meæ literæ dantur mihi à te.

Reddo is reddidi itum. Cicero ad Atticum, lib. xi. Cephalio mihi à te literas reddidit. Brutus ad Ciceronem: Ab Satyro legato C. Trebonij reddita est mihi epistola à Tillio & Diotaro. Quibus exemplis addocemur, sæpe primitiuis cum præpositione à, uel ab, pro genitiuis, ac possessiuis authores usum ire. Quale uel Terentianum illud in Adelphis: Quis nam à me pepulit tam grauiter fores?

Despondeo es despondi sponsum. Aul. Gel. lib. xij. P. Scipio filiã uirginẽ despondit T. Graccho.

Loco as aui atum.

Colloco as aui atum. Terentius in Phorm. Nuptum uirginem collocaui huic adulescẽti. Sueton. in Augusto: Agrippinam Germanico sororis suæ nepoti collocauit.

Subigo is egi actum.

Subiugo as aui atum. Lactant. lib. iij. Totum hominem alienæ ditioni subiugauerunt.

Affero ers tuli latum. Plautus in Trinummis: Se aurum afferre uirgini dotem à patre dicat.

Mitto is misi missum. Horat. lib. iiij. Carm. Carthagini iam non ego nuncios mittam superbos. Permagna est autem inter datiuum & accusatiuum cum præpositione ad, sensus uicissitudo, et conuenientia, quam nemo omnium elegantius explicauit à Cicerone. Sic enim ad Trebatium: Valde iam lautus es, qui grauere literas ad me dare, homini præsertim prope domestico. Huic quoque uerbo si additum sit donum, uel dono, munus, uel muneri, haud parum uenustatis ei conciliaueris. Solinus in Poly. Apollini Delphos, Ioui Helidem statuas aureas dono misit. Catullus:

Nam sudaria Sethaba ex Ibêris
Miserunt mihi muneri Fabullus, & Verannius.

Destino as aui atum. Vergilius ij. Aeneidos: Et me destinat aræ. Iuuenalis Satyra iiij. Destinat hoc monstrum cymbæ, lini que magister Pontifici.

Appello is appuli appulsum. Tacitus lib. ij. Triremis Chaucorum terram appulit. Sed tunc potius neutrum. Vergilius iij. Aeneid. Quis te ignarũ nostris deus appulit oris? Tacitus lib. iij. Piso nauem tumulo cæsarum appulerat.

Eripio is pui eptum. Plinius Cæcilius

cilius lib. epistol. vi. Eripe me huic tormento.

Aduoco	as	aui	atum. Fabius libro xij. Duci bono cõmunis utilitas oratorem aduocabit.
Voueo	es	uoui	uotum.
Deuoueo	es	uoui	uotum.
Nuncupo	as	aui	atum.
Dico	as	aui	atum. Liuius lib. i. Hic ego tibi templum Statori Ioui uoueo. Cæs. lib. iij. Gal. bel. Neq; repertus est quisquam, qui eo interfecto cuius amicitiæ se deuouisset, mori recusaret. id est, dedidisset. Idem lib. vi. Huic ea quæ bello ceperunt, plerunque deuouent. id est, dedicant. Ouidius libro xiiij. Met. Soliq; suos tibi deuouet annos. id est, consecrat. Quibus exemplis iam turpissimi erroris Laurentius satis conuictus est. Apuleius lib. xi. Met. Diem, qui ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupauit religio. Rursus: Nauem faberrimè factam summus sacerdos deæ nuncupauit. id est, consecrauit. Cicero Curioni: Hoc à te peto, ut huic meæ laudi tuum studium dices.
Compono	is	sui	itum.
Comparo	as	aui	atum. Plinius libro xxxiij. Hunc ipsum aliquis comparet Crœso regi?

Quarta classis. Caput XII.

HAcc præter accusatiuum patientem, alium requirunt, quo res ipsa fere inanima exprimitur. Valerius Max. lib. vi. Dionysius propter inopiam literas puerulos Corinthi docuit.

Doceo	es	cui	ctum.

Erudio is iui itum. Papinius libro Thebaid. x. Quæ te leges, præceptaq; fortia belli erudiat. His duobus si septimus ulterior accedat, transeunt in quintam classem. Cicero in Bruto: Homo & græcis doctus literis, & latinis. Aemilius in Iphicrate: Iphicrates exercitum omni disciplina militari eruditiuit. Quid, quòd uel infinitum uel clausula his ulterior apponi potest? Idem in Epaminonda: Epaminondas citharizare doctus fuit à Dionysio, carmina cantare tibijs ab Olympiodoro. Quid, quòd uel agens in animum interdum supponitur? Cicero pro Cornelio Balbo: Nisi forte quæ nos libri docent, ea Cn. Pompeium regiones ipsæ docere potuerunt. Sed et casus precium annotantes haud reformidant. Plin. lib. xxxv. Apelles docuit neminem minoris talento.

Dedoceo es cui octum. Papinius lib. ij. Theb. Moneo, regnorũ gaudia temet Dedoceas. Cicero lib. i. de Fin. Si maluisset geometriam Polyenum dedocere.

Celo as aui atum. Plaut. in Bacch. Cum istæc flagitia me celauisti, & patrem tuum.

Moneo es nui itum.

Admoneo es nui itum. Sallustius in Iugurth. Eam rem locus nos admonuit. Tacitus lib. xij. Ille secretis nuncijs monet Rhadamistum, oppugnationem quoquo modo celerare.

Calceo as aui atum. Plin. lib. xxxvi. Alij calcearent soccos.

Induo is dui utum. Curtius lib. iiij. Loricam

Loricam raro induebat. Claudianus de Raptu Proſ. libro iij. Nunc arma, habitumq; Dianæ induitur. Sed hæc, & alia ad indumentum pertinentia, ſeptimum etiam aſſumunt. Cicero ad Heren. lib. iiij. Palla inaurata indutus. Quanquam uel datiuum interim. Verg. xi. Harum unam iuueni induit. Quo fit, ut indutas ueſtes etiam rectè dicamus. Idem libro Georg. iij. Veſtesq; rigeſcunt indutæ. Veſtio, huius claſsis nunquam legiſſe memini. Itaque in ſequentem centuriam reijciendum.

Conſulo is lui ultum. Plaut. in Menæch. Ibo, & conſulam hanc rem amicos. Cic. ad Att. lib. vij. Nec te id conſulo.

Rogo as aui atum. Plaut. in Menæch. Rogas me hominis audaciam. Horat. ij. Carm. Ocium diuos rogat.

Oro as aui atum. Tacit. lib. xi. Meſſalina ueſtalium uetuſtiſsimam orauit, pontificis maximi aures adire.

Poſco is popoſci. ſine ſup. Vergilius xi. Pacem te poſcimus omnes.

Interrogo as aui atum. Cic. libro i. Tuſculan. Puſionem interrogat Socrates quædam geometrica.

Poſtulo as aui atum.

Flagito as aui atum. Horat. libro ij. Carm. Nec potentem amicum largiora flagito. Quæ quidem ipſa mutata ſpecie, uel ablatiuum cum præpoſitione à, uel ab, ulteriorem petunt. nempe re patien-

te in ulteriorem translata. Cic. pro Sylla: Ipsa causſa hanc à me orationem flagitaſſet. Plinius Cæcilius lib. Epiſtol. ij. Actionem frequenter à te efflagitatam exhibui.

Exigo is egi actum. Cic. lib. i. de Legib. Vt te ueritatem exigant. Aulus Gellius lib. xiiij. Socios maximas pecunias exactos. Nam quòd traijcio, traduco, tranſporto, circumueho, duos etiam accuſatiuos accipiant, ſanè intelligendum, alterum eorum ex ui præpoſitionis, non uerbi pendere. Vt cum Plancus ad Ciceronem: Exercitum ad calendas maias Rhodanum traieci. Et Cæſar libro ij. Gal. bel. Cæſar omnem equitatum, & leuis armaturæ Numidas pontem traducit. Et lib. iiij. Orabant, ut exercitum modò Rhenum tranſportaret. Et Liuius lib. xxv. Claſsis inſtructa circunuehitur arcem. In quibus omnibus præpoſitio uim ſuam retinet. Eſt enim optimis authoribus familiare, ut quos caſus ſeparatis præpoſitionibus tribuerent, eoſdem cõpoſitis minimè ſubducant. Quo fit, ut hæc uerba minimè ſint huius claſsis. Eſt tamen, cum præpoſitiones uim ſuam in compoſitione amittant. Vt cum Seruius Galba ad Ciceronem: Pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circumibantur. Quale & Fabianum illud libro ij. Neque à nobis negligenter locus iſte tranſibitur. Et Plinianum libro iiij. Aemi excelſitas ſex mil. paſs. ſubitur. Et libro v. Alexandria tribus omnino aditur alueis maris. Huc etiam facit illud Suetonij: Præuentus eſt ab Agrippina.

Quinta

Quinta classis. Caput XIII.

HAec præter accusatiuum patientem, septimum requirunt. Cuiusmodi illud: Aeneas Turnum campo congressus (utrinq; Circunfusa acie) uita spoliauit, & armis.

Orbo as aui atum.

Viduo as aui atum. Lactant. lib. iij. Orbant hominem suo proprio, et singulari bono. Verg. viij. Multis uiduasset ciuibus urbem.

Augeo es auxi auctum. Idem: Fortuna immeritos auget honoribus.

Impertio is iui itum.

Communico as aui atum. Terent. in Eun. Plurima salute Parmenonem summum suum impertit Gnato. Plaut. in Milite: Communicabo te semper mensa mea. Quin uel Impertior eadem tum significatione, tum structura deponens reperitur. Terent. in Adel. Sed cesso heram hoc malo impertiri? In quo quàm fœdè Laurentius hallucinatus sit, id uerbum reperiri negans, cùm superiori Terentiana authoritate constare potest, tum Ciceroniana, quæ sequitur, pro Archia: Multis aliqua arte præditis gratuitò ciuitatẽ homines impertiebantur. Quo obiter exemplo etiam admonemur, uerbum hoc uel tertiæ classis esse posse. Idem pro P. Sylla: Oneris mei partem nemini impertio, gloriæ bonis omnibus. Verum sicut impertio scribendum est per e, non per a: sic dispertio. Tacitus lib. iij. Sacrouir arma iuuentuti dispertit.

Dito as aui atum.

Opulento as aui atum. Columella libro viij. Mensam precioſis dapibus opulentent.
Venuſto as aui atum.
Honeſto as aui atum.
Decoro as aui atum. Claudianus in Stilicone: Curia, quos plagis decorat numeroſa cicatrix. id eſt, honorificat.

Nam quòd Ambroſius Calepinâs, uir alioqui eruditißimus, ſuo illo in lexico dicit, Decoro pen. corr. honorifico, decôro pen. pro. orno: poſterius hoc authoritate falſum conuincitur. Ouidius libro iiij. de Faſtis:

Frondibus & fixis decorentur ouilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores. id eſt, ornẽtur.

Et Apuleius in Apolog.

Serta autem ut læto tibi tempore tempora uernent,
Aetatis florem floribus ut decores. id eſt, ornes.

Dedecoro as aui atum. Plaut. in Bacchid. Qui dedecorat te, me, amicos flagitijs ſuis.
Fœdo as aui atum.
Temero as aui atum.
Inquino as aui atum. Ouidius lib. xiiij. Met. Inquinat hic preſſos latices radice nocenti.

Et iij. de Faſt.

Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.

Quod exemplum ideo congeminauimus, quo error illorum clarius innoteſcat, qui uerbum hoc penultima longa pronunciant.

Imbuo is bui butum.

Inſtituo

Instituo is tui tutum.
Instruo is uxi uctum. Vergil. iij. Aeneid. Socios simul instruit armis.
Delecto as aui atum.
Oblecto as aui atum. Ridenda Augustini Dati sententia, qui duo hæc uerba non similiter construi censet. nam dici, delectat me hæc res, oblecto autem me hac re. Quod quàm uerum, ostendant nobilißimi authores. Cic. ad Att. lib. ij. Libris me delecto. Plaut. in Capt. Istoc me aßiduo uictu delecto domi. Idem in Pœnulo: Num hi falso oblectant gaudio nos?
Dono as aui atum. Columella libro i. Naturam primus ille mundi genitor fœcunditate donauit. Tacitus lib. iij. Rufus Heluius donatus est ab Apronio torquibus, & hasta.
Anteeo is iui itum.
Antecedo is ceßi cessum.
Excello is excellui. sine sup.
Præcello is præcellui. sine sup. Terent. in Phorm. Herum anteeo sapientia. Tacitus lib. xviij. Ne ab alijs apud Vitellium anteirentur, præuertisse ipsum uidentur. Idem lib. ij. Agrippina fœcunditate ac fama Liuiam præcellebat.
Abdico as aui atum. Cicero in Catilinam: Vt se abdicaret prætura, coëgistis.
Pasco is paui pastum. Idem ad Attic. lib. vi. Nõ oluſculis nos soles pascere. Quo exẽplo erroris conuincũtur, qui id brutis tantũ dari uolunt.

Inficio

Inficio is feci fectum. Liuius lib. xxxix. Hoc luxu, & peregrinis infecti moribus.

Fraudo as aui atum. Vergil. iiij. Aen. Quem regno Hesperiæ fraudo.

Onero as aui atum. Horatius iij. Carm. Me pater sæuis oneret cathenis.

Cumulo as aui atum. Vergilius v. Aen. Aceſtem muneribus cumulat magnis.

Interdico is ixi ictum. Cæsar libro i. Gall. bel. Arioui ſtus omni Gallia Romanos interdixiſſet. Apuleius lib. iiij. Flor. Dines ille cibo interdicitur. Aulus Gellius lib. xv. Philoſophi & urbe & Italia interdicti. Sed frequentius accuſatiuum cum datiuo huic uerbo appoſitos leges. Liu. lib. xxxiiij. Fœminis uſum purpuræ interdicemus? Valer. Max. lib. ij. Interdixit ei conuictum hominũ, uſumq; balnearum. Suet. in Claudio: Hi, quibus à magiſtratibus prouinciæ interdicerentur. Seneca lib. iij. de Ira: Statim illi domum meam interdicam. Sed quorſum hæc tam multa? nimirum ut ſtulticia Laurẽtij, atque adeò Syponti ni, et Nebriſſenſis multo clarius inclareſcat, aſſerentium neutro prædictorum modorum eſſe utendum. Dicimus præterea Interdico tibi aqua & igni. Tacitus libro xiiij. Heliano Italia & Hiſpania interdictũ eſt.

Muto as aui atum. Vergilius in Georg. Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta.

Afficio is eci ectum. Cic. ad Cœlium: Magno dolore me affeciſſent tuæ literæ. Idem ad Curionem: Ad quæ ſi es paratus, plurimis, maximis q

misq; muneribus nos afficies. Et libro i. de Diuinat. Quem affecerat sepultura. Et pro L. Cornelio: Omitto, quantis ornamentis populum istum C. Cæsar affecit.

Sexta classis. Caput XIIII.

HAec præter accusatiuum patientem, ablatiuũ cum præpositione à, uel ab, uel è, uel ex, uel de requirunt. Catullus: Hesperus à nobis æquales abstulit unam.

Audio	is	iui	itum. Terentius in And. Aliquot me adierunt, ex te auditum qui aiebãt, hodie filiam meam nubere gnato tuo.
Disco	is	didici, sine sup.	Plaut. in Pœn. De te hæc didici.
Eripio	is	pui	eptum. Terent. in Phorm. A' crimine hoc Antiphonem eripiam.
Abdico	as	aui	atum. Cic. in Catil. P. Lentulus tunc à magistratu se abdicauit.
Dimitto	is	misi	missum.
Amitto	is	misi	missum. Terent. in Phorm. Auribus teneo lupum, neque quomodo à me amittam, inuenio.
Summoueo	es	moui	motum. Valerius Max. lib. ij. Metellus lixas è castris summouit.
Abigo	is	abegi	actum.
Amoueo	es	moui	motum. Plautus in Amphitr. Abigam ego iam hunc ab ædibus. Rursus: Amoui à foribus maximam molestiam.
Redimo	is	emi	emptum. Idem in Bacchid.

Bacchid. Ducentis aureis philippis redemi uitam è flagitio tuam.

Extrudo	is	usi	usum.
Extermino	as	aui	atum.
Exturbo	as	aui	atum.
Exigo	is	egi	actum. Aul. Gellius lib. i. Cur mulierem tam acerbam domo non exigeret.
Abduco	is	uxi	uctum. Metellus Ciceroni: Me nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria ab republica abducet.
Relego	as	aui	atum. Cicero libro iij. de Offic. Criminabatur, quòd Titum filium ab hominibus relegasset.
Prohibeo	es	bui	itum. Cæsar libro i. Ciuil. bel. Hos omnes productos à contumelijs militum, conuicijsq; prohibet. id est, defendit, tutatur.
Arceo	es	arcui,	sine sup.
Defendo	is	endi	ensum. Vergil. iiij. Georg. Ignauum fucos pecus à præsepibus arcent. Aul. Gell. lib. viij, Milites Metelli à pinnis hostes defendebant. id est, depellebant, amoliebãtur. Quo etiã sensu Vergilius: Solstitium pecori defendite. id est, arcete.
Refræno	as	aui	atum.
Retraho	is	axi	actum.
Reprimo	is	essi	essum.
Abstineo	es	nui,	sine supi. Liuius libro ij. Recens accepta clades Latinos ne ab legatis quidem uiolandis abstinuit. Et libro iiij. A cætera

præda

præda Fabius militem abstinuit.

Reuoco as aui atum. Cic. lib. i. Tu scul. Magni est ingenij reuocare mentem à sensibus.

Declino as aui atum. Idem in Valerium: Quot adulescentulos tuis adhortationibus è recta uia declinasti?

Amando as aui atum. Idem lib. ij. de Nat. deor. Natura res similes procul amandauit à sensibus. id est, remouit.

Vindico as aui atum. Idem in Catone: Senectus est naturà loquacior, ne ab omnibus eam uitijs uidear uindicare. id est, defendere. Iustinus lib. xliiij. Gaditanos ab iniuria uindicauerunt. id est, liberauerunt.

Septima classis. Caput XV.

NAe prudenter illi, ac doctè mihi feciſſe uidentur, qui ſeptimam claſſem prædictis adiungendam censuere. Nempe quæ exciperet ſecundi, tertij, quarti, quinti, & ſexti idiomatis actiua, tanquam errantia, quoties præter caſum patientem alio conſtruuntur modo, quàm quo ſuperioribus centurijs iam demonſtrauimus. Nà ſi nulla ratione alia in tot parteis actiua tribuuntur, atque illa, quam ſuprà iam tetigimus, quid ni ſeptima adſcribatur, quæ omnia excipiat, quæcũq; in ſupradictas claſſes minimè cooptari poſſunt? Afferam igitur aliquot exempla, & ea quidem ex optimis authoribus excerpta, quæ & diuerſam ſpeciem ab antedictis, & eam ſeptimam fuiſſe omnino conſtituendam præclarè oſtendant. Qualia hæc: Accuſo

cuſo Timarchum de impudicitia.
Poſtulo Gabinium de ambitu.
Damno te de repetundis.
Admoneo principem de inſidijs.
Participo familiarem de amica.
Comparo te cum Cæſare, uel ad Cæſarem.
Adhibeo ſocios ad caſtra.
Exæquo Scipionem cum dijs.
Corbulo filias nuptum in alias collocauit ciuitates.
Doceo iudices de iniurijs.
Plancus diſcit apud me, uel per me literas.
Vindico me in libertatem.
Nemo ad me affert opem.
Interpello pauperem de nuptijs filiæ.
Cicero ſe ad neminem adiunxit.
Traho trementem ad altaria.
Induco peregrinum in domum.
Adſcribo te in numerum deorum.
Imperator auidas legiones diſpertit in cuneos.
Conſulo Apollinem de uictoria.
Mitto ad te nuncium, uel literas.
Trado me in cuſtodiam tuam.
Ad patrem dicam te moriturum.
Lictores compegerunt me in carcerem.
Mercator crumenam impleuit de omni moneta.
Baſſus de hoc me libello celauit.
Reprehendo, uel accuſo Ceſelium in multis.
Interrogo Vatinium de furtis.
Piratæ mercem abduxerunt in prædam.

Nulla

Nulla in re fraudaui quenquam.

Cæsar tyrones per senatores armorum peritos erudiebat.

Domitianus monimentum diruit per milites.

Sed prolixiores fuerimus, si quotquot poßint, huc exempla cõgeßerimus. Illud nõ prætermiserim, apud optimos authores sic obseruatũ, ut quod ministerio aliorũ fecerimus, id nos ipsi feciße uideamur. Quale Ciceronianũ illud apud Fabiũ lib. v. Ego qui Albanas habeo colũnas, clitellis eas apportaui. Neq; enim Cicero ipse apportauit, sed apportare fecit. Quò etiam pertinere poßunt uel duo extrema, quæ dudum adduximus exempla, et similia. Sed Ciceronianum multo elegantius.

Octaua claßis. Caput XVI.

SVnt poßremò quædam actiua, quæ quòd uel infinitum, uel clauſulam præter accuſatiuum ſibi requirant, neſcias, quam in claſſem adſcribas, niſi octauam adglutines. *Qualia hæc, & alia.*

Cogo	*is*	*coëgi*	*actum.*

Mart. libro i. Cogit me Titus actitare cauſſas. Cic. lib. ij. de Offic. Illos, in quibus uirtutes eſſe remur, à natura ipſa diligere cogimur.

Adigo	*is*	*egi*	*actum.*
Subiugo	*is*	*egi*	*actum.*
Perpello	*is*	*puli*	*pulſum.*
Compello	*is*	*puli*	*pulſum.*

Tacit. lib. xi. Gotarzes adegit Parthos mittere ad principẽ occultas preces. Verg. viij. Aeneid. Quæ cauſſa ſubegit

Ignotas tentare uias? Liuius lib. vi. Fama belli Gallici perpulit ciuitatem, ut M. Furius dictator quintum diceretur. Sulp. Apollinaris in argumento Heaut. In militiã proficiſci gnatum Cliniam cõpulit durus pater.

Puto	as	aui	atum.
Duco	is	uxi	uctum.
Exiſtimo	as	aui	atum. Ouidius libro v. Faſt. Septena putaris fila dediſſe lyræ. Plinius libro iiij. In hac Geryones habitaſſe à quibuſdam exiſtimantur.
Veto	as	uetui	itum.
Prohibeo	es	bui	itum. Horat. lib. iiij. Carm. Dignum laude uirum Muſa uetat mori. Quan quam duo hæc uel ſine infinito & clauſula reperire eſt. Plaut. in Bacch. Ego neq; te iubeo, neq; ueto. Plinius lib. x. Iubent acies, aut prohibent.
Nego	as	aui	atum. Verbum hoc excultam habet elegantiam. Nam quod alioqui diceretur, dico quòd non: hoc multo breuius, atque adeò elegantius per uerbum nego enunciabitur. Liu. libro xxix. Nego domum ullam Locris, nego quenquã hominem expertem iniuriæ eſſe, nego ullum genus ſceleris, libidinis, ac auaritiæ ſupereſſe, quod prætermiſſum ſit.
Sino	is	ſiui	ſitum. Cic. pro P. Sextio: Hic, qui ſe tutatus eſt, accuſare eum moderatè, à quo ipſe nefariè accuſatur, per ſenatus authoritatem non eſt ſitus. Et pro A. Cecinna: Non ſiui eum accedere.

Primum

Primum auctarium. Caput XVII.

SEdenim cumulatiorem ad cognitionem actiuorum, tria mihi adhuc superaddenda. Vnum, pleraq; actiua ad animal nullatenus ferè transire possè, nisi posito, uel subintellecto infinito. qualia puto, dico, credo, spero, nuncio. Quorum passiuam conuersionem duobus etiamnum modis ob id fieri posse. Altero personaliter, scilicet cum dictio, quæ infinitũ antecedit, tanquam patiens uerbi finiti, ea in recto constituitur. Cic. ad Att. lib. v. Bibulus nunciabatur in prouinciam suam accedere. Plin. Cæcil. Epistol. iij. Modò nunciatus est Sillius Italicus uitam finisse. Altero impersonaliter, cum accusatiuus tanquam suppositum infiniti, unà cum ipso infinito in modũ clausulæ uerbo finito supponitur. Plin. Cæcil. lib. Epistol. v. Nunciatur mihi Fanniũm decessisse. Plin. maior lib iij. Aeolo uentos paruisse existimatum. Quibus duabus in locutionibus, ac similibus nihil omnino, tanquam necessariũ, subintelligendum est. Perfectæ sunt enim, non hercle minus, quàm duæ superiores. Quod ideo uolui admonuisse, propter quosdam bonarum literarum corruptores, & Grammaticæ rei pessimos interpretes, qui hoc, uel illud subintelligendum contendunt.

Secundum auctariu. Caput XVIII.

VErbis præceptiuis, qualia iubeo, impero, edico, præcipio, adde ueto, nego, permitto, tam datiuus, quàm accusatiuus apponi potest, sequentibus infinitis. Liu. lib. xxiij. Gracchus iussit Cumanis, omnia ex agris in urbem conuehere. Plaut. in Amph. Mercuriũ

iußi me continuò consequi. Tacitus lib. xv. Corbulo filio Pæti tribuno ducere manipulos imperauit. Ouid. xiiij. Met. Regia Iuno Irin ad Herßiliā descendere limite curuo Imperat. Sillius lib. i. Corpusq; superbo Victori spoliare negant. Qua è præceptione triplex tibi ueritas dimanat. Vna, hæc uerba eatenus actiua esse censenda, quatenus accusatiuum posteriorem habuerint: neutra, quatenus datiuum. Altera, appositio accusatiuo, orationem usque personaliter conuertendam: datiuo, impersonaliter. Cic. ad Att. lib. vij. Nos à consulibus Capuam uenire iußi sumus. Liu. lib. viij. Romano permißum erat ab consulibus, ut subcenturionem sibi quem uellet, legeret. Tertia, non cōsequentibus infinitis, datiuum semper apponendum. Cicero pro M. Cœlio: Mulier ingeniosa præcepit suis, ut omnia Cœlio pollicerentur. Nam Plautinum illud in Menæh. Tu seruos iube, hunc ad me ferant: usqueadeò rarum, ut uix aliud quicquam rarius inuenias.

Tertium auctarium. Caput XIX.

Minuenda postremò illorum opinio, qui inuideo, prouideo, impero, ausculto, benedico, & maledico, sequente datiuo, certam quandam speciem actiuorum esse uolunt: non animaduertentes illi quidem, eiusmodi uerba duplicem habere naturam, transitiuā, & acquisitiuam: illa accusatiuum posteriorem, hac datiuum exposcere: illa, actiua esse: hac, neutra. Neq; enim sequente datiuo, paßiuè aliter conuerti possunt, quàm impersonaliter. An exempla requiris? Cic. lib. ij. de Offi. Non modò non inuidetur illi ætati, uerum etiam

etiam fauetur. Cæsar lib. iij. Gall. bel. Cui rei parum diligenter ab his prouisum erat. Cic. in Philipp. Milites ueterani uolebant sibi ab illo imperari. Aul. Gellius lib. vi. Indignissimum arbitror, cui à uiris bonis benedicatur: tum ne idoneum quidem, cui à probris maledicatur. Ergo sequente accusatiuo, personaliter conuertantur oportet. Nam quòd actiua interdum sint, cùm alia plurima, tum quæ subscripsimus, probant exempla. Accius apud Ciceronem in Tusc. lib. iij. Florem quis nam liberum inuidit meum? Ouid. in Epistolis: Troadas inuideo. Fabius lib. i. Alia prouidemus. Colum. lib. i. Non est nostri ingenij, senem imperare, alterum docere. Plaut. in Trinum. Nisi me auscultes. Apulcius in Asclepio: Restat, ut benedicentes deum, ad curã corporis redeamus. Vides, uerba hæc ut uera atque legitima sint actiua? Quare inuideor, prouideor, imperor, auscultor, benedicor, & maledicor, sicubi reperiuntur, ea sint ab illis uerbis, ut sunt transitiua, non acquisitiua.

De uerbis passiuis. Caput XX.

SAnè qui uerbum actiuum rectè percepit, huic nihil supereſt negocij ad intelligendum passiuum: quippe altero bene perspecto, alterum statim in promptu est. Verbum igitur passiuũ sit, quod in or ita desinit, ut deposita r litera, redeat in actiuum. Huius ut totidem sunt classes, quot actiuorum, sic earum unaquæque nominatiuum à fronte requirunt patientis, à tergo ablatiuum cum præpositione à, uel ab, agentis, retentis semper eisdem casibus, quos ulteriores & sua

ipsorum actiua reposcunt. Exemplum afferam in primis opportunum. Sen. lib. Contro. iiij. Filius accusat patrem dementiæ. Idem lib. Declamat. x. Accusatur pater à filio dementiæ. Cernis, ut casus ulterior idem utrobiq; remaneat, agentibus & patientibus tantum commutatis? Idem de omnibus alijs (stante eadem specie) intellectum uolumus. Est tamen, huiusmodi in uerbis cum agens uel in accusatiuo cũ præpositione per, uel apud, nec non in datiuo, aut septimo cõstituatur. Cic. pro Do. sua: Quis meminisset eum bene de republica meritum, nisi & ab improbis expulsus esset, & per bonos restitutus? id est, à bonis. Tacit. lib. i. Augustus apud prudentes uitæ eius uariè extollebatur, arguebaturq;. id est, à prudentibus. Vergil. i. Aen. Nec cernitur ulli. id est, ab ullo. Cic. lib. i. de Off. Non est consentaneum, qui metu non frangatur, cum frangi cupiditate: nec qui se inuictum à labore præstiterit, uinci uoluptate. Quæ postrema quidẽ septimi ratio tum maxime seruari solet, cum agens ipsum fuerit inanimum. Passiua uerò, quæ passim uocatiua, seu reciproca dicitantur, ea uim habent utriq; nominatiuũ copulandi. Quod inde fieri existimauerim, quòd eorum actiua duos accusatiuos accipiant. Plin. lib. v. Africam Græci Libyam appellauere. Idem lib. x. Apodes ab alijs Cypseli appellantur. Plaut. in Aulul. Ego uocor Lyconides. Et sunt hæc, appellor, dicor, nominor, uocor, & nuncupor.

De uerbis neutris. Caput XXI.

Vla ueritatis semel patefacta, nullus est amplius errandi

randi locus. Nam definitis, probeq; explicatis uerbis actiuis, ac passiuis, iam quis non uidet Neutrum per abnegationem utrorunq; dici? Ergo uerbum neutrum sit, quod in o ita desinit, ut neq; assumpta r litera trā seat in passiuū, neq; deposita redeat in actiuum. Nec te perturbent à sum composita, & pauca in i terminata. Quæ ut ab omnibus alijs generibus uelut reiecta, sic nullibi commodius, quàm inter neutra excipiuntur. Quid, quòd Odi ac Noui actiua potius dese ctiua sunt dicenda, quàm neutra? Quid, quòd noui perfectum inuenitur? Cic. ad Att. Ego uerò tuas causſas noſco. Et in Verrem: Tutores hoc noſcunt. Papinius lib. i. Syl. Noſco diem, cauſſasq; ſacri. Tacit. lib. xviij. Scribonianus à domino noſcebatur. Idem libro ij Res eo anno prolatas haud referrem, ni precium fŏret diuerſas ſententias noſcere. Aul. Gell. lib. xi. Pyrrhonij indicia rei cuiuſq; negant poſſe noſci, & percipi. Cæterum qua diligentia de actiuis, eadem de neutris, ſi uerbi tamē ſubſtantiui uim, structuramq; prius explicuerimus, præcipiamus.

Omnibus uerbis ſum uerbum eſſe incluſum, ob id ſubſtantiuum eſſe appellatum. Caput XXII.

SVm ideo ſubſtantiuum eſt appellatum, quòd cæteris omnibus uerbis perinde ſubſtet, atq; ſubſtantia ipſa cunctis accidentibus. Vt enim accidentia nullo modo eſſe poſſunt, niſi quantiſper ſubſtantiæ, hoc eſt, rei per ſe exiſtenti adhæreſcunt: ſic uerba, quæ Græci categorematica, nos ſignificatiua dicimus, nullo pacto uerba eſſe queunt, niſi quatenus ſubſtātiuum uer-

bum. hoc est, uim illam copulandi suppositū cum appositō, includant. Nam eo excluso, nil prorsus remanet, nisi sola nominis significatio. Itaq; nullum est eorum, quod per sum, & participium, uel nomen non resoluatur: ut, amo, amans sum: doceo, docens sum. Idq; per totam uerbi declinationem. Etenim carentia participijs, necessariò resoluuntur per nomen: ut, memini, memor sum, interest, utile est, oportet, necesse est. Ergo nullum est uerbum significatiuum, in quo uerbum substantiuum non includatur: atque ea parte tantùm sit uerbum, qua parte & cum tempore adsignificat, & uim habet copulandi suppositum cum appositō. Quandoquidem hoc munus proprium est uerbi, qua uerbum est. Nam significare, proprium est nominis. Quo fit, ut non satis rectè mihi definisse uerbum illi uideantur, qui uerbum esse dixerunt, partem orationis cum modis et temporibus agendi uel patiendi significatiuā: quippe isto modo Sum haud uerbum fuerit, propterea quòd nullam neq; actionem adsignificet, neq; passionem. Quid ita? Nimirum quia suum est uerbi, qua uerbum est, & certas temporis differentias sub distincta et determinata uocis forma tantum, idq; semper designare, & suppositum cum appositō copulare. Quapropter uerbum mihi sic definiendum uidetur, ut sit pars orationis cum modis & temporibus adsignificatiua, extremorumq; unitiua. In calce illud obseruādum, cum uerbum substantiuum sit fons & caput omnium aliorum uerborum, nullo in genere determinato esse constituendum. Quando authore

Seneca,

Seneca, nusquàm est, quod ubiq; est. Verùm pontificia quadam (ut ita dixerim) eminentia ac dignitate præcellens, liberum, ac sui iuris esse censendum est. Cuius structura quoniam non una est, aut altera, sed multijuga, & ea quidē perelegans, de ea quàm apertißimè potero, paucis expediam.

Quot, & quibus modis uerbum substantiuum construatur. Caput XXIII.

PRincipiò nullus est casus (uno tamen accusatiuo transitiuè posito, semper excepto) qui à uerbo substantiuo regi non poßit. Est, cùm absoluto quodam modo ponitur. Quale Plautinum illud in Capt. Succede huc: nam sunt, quæ te scitari uolo. Et Vergilianum ij. Aen. Fuimus Troës, fuit Ilium. Est, cum utrinq; nominatiuum petit. Terent. in Andr. Dos Pamphile est decem talenta. Verum si appositio postpositum fuerit, aliàs cum eo conuenerit. Ceu cum idem inibi: Amantium iræ, amoris integratio est. Et Tacitus lib. iiij. Præcipuum robur, octo legiones erāt. Aliàs cum suppositio. Val. Max. lib. iiij. Dotis modus xl. millia æris fuit. Quanquam uel in medio cōstitutum, etiam in appositum inclinat. Plin. lib. xxxiij. Nota argenti fuere bigæ, atq; quadrigæ. Est, ubi genitiuum posteriorem petit. Cuius tum multiplex intellectus. Aliàs possessionem adsignificat. Cic. in Verrem: Equuleos argenteos, qui Q. Maximi fuerant, aufert. Aliàs habitum quendam. Plin. lib. xxi. Ambrotanum iucundi odoris est. id est, habet. Aliàs pertinentiām. Cicero de Aruspicum responsis: Aedes Telluris est curationis

meæ. Colum. lib. ij. Cultus prætorũ magis curæ, quàm laboris est. Est, cum datiuum: aliàs simplicem, Vergil. in Buc. Sunt nobis mitia poma: alias geminatum, Plinius Cæcilius lib. Epistol. i. Est adhuc curæ hominibus fides. Est, cum septimum. Terent. in Eun. Ille erat honesta facie. Cic. ad Cornific. Ego sum bona spe. Est postremò, ubi casum petit cum præpositione. Aulus Gellius lib. iij. Homo ex anima & corpore est. id est, constat. Verg. ij. Aen. Aedibus in medijs, nudoq; sub ætheris axe, Ingẽs ara fuit. Verum hoc posterius dicendi genus protritũ. Illud, ut nõ perinde obuium, sic multò elegantius. Terent. in And. Ab Andria est ancilla hæc, quantum intelligo. id est, Andriæ fauet, illiusq; partes tuetur. Cic. lib. iij. de Orat. Crassius reticuit, & à cæteris silentium fuit. id est, & cæteri siluerunt. Et pro Milone: Beatos, quibus ea res honori fuerit à ciuibus suis. id est, quos ea re ciues sui honorauerint. Et Seneca Epist. xiiij. Philosophiæ ab omnibus artibus honor est. id est, omnes artes philosophiam honorant.

Mihi est nomen Iulius. Caput XXIIII.

Nihil est, quòd pluribus hoc dicendi genus describam, quàm quibus festiuissimus iuxtà & latinissimus author Plautus delineauit. Nam ea in comœdia, cui Menæhmos titulum fecit, sic habet: Mihi est Menæhmus nomen, Est tibi Menæhmi nomen, Huic Menæhmo nomen est. Quo triplici exemplo præclarè addocemur, rectè Latineq; dici, Mihi est nomen Iulius, Iulij, & Iulio. Nam quod Lucius Piso in secundo

Annalium

Annalium dixit, apud Aul. Gellium lib. xv. L. Tarquinium collegam ſuum, quia Tarquinium nomẽ eſſet, metuere: Genus dicendi eſt nimis quàm inſolens. Quod ipſum Aul. Gellius exponens, ſimul & latenter improbans: Quia Tarquinium, inquit, nomen eſſet, perinde eſt, tanquam ſi ego dicam, mihi eſt nomen Iulium. Quare ex albo Latinitatis abradendum.

Mihi opus eſt hanc rem, Latinè dici.

Caput XXV.

Dlui boni, ut plerunq; ſunt inſani iſti noſtri Grammatici, genus hominum ſuapte natura nimis rixoſum. Memini adeò duos, cum eſſem Mantuæ, haud incelebres Grammaticos (nominibus parco) inter ſe cõcertaſſe, Latinè ne diceretur, Mihi opus eſt hanc rem. Quorum alter ſola ratione nitẽs, cum negaret: alter uerò Priſciani, Diomedisq; opinione fultus contra inſtaret: poſt plurima ac turpiſſima conuicia, quibus mutuò ſeſe lancinauerunt (ſic enim noſtræ tempeſtatis diſputant Grammatici) parum abfuit, quin à uerbis ad colaphos, maximo omnium riſu, deuenerint, quæſtione nihilominus relicta inſoluta, atq; inexplicata. Nos poſtea attentiſſimè reuolutis authoribus, inuenimus rectè, Latinéq; dici. Sic enim Plaut. in Pœnulo: Mihi quidem mnam argenti opus eſt. Atque in Truculento: Puero opus eſt cibum. Nec non Lucretius lib. v. Nec crepitacula eis opus eſt. Quibus tamẽ in locutionibus (ne quis erret) accuſatiuus ille non à uerbo ſubſtantiuo, ſed à ſubintellecto pendet infinito. Mihi autem opus eſt hæc res, & hac re, rectè, Latinéq;

tineq; dici, quis nescit? At mihi opus est huius rei, quoniam non perinde uulgatum, id authoritate fulciam. Plancus lib. Epist. Cic. x. Nobis & magni laboris & multæ impensæ opus fuit. Neq; enim aliquantum uel nomen, uel aduerbium hic subintelligendũ est, ut quidam autumant. Fabius libro xij. Lectionis opus est. Quodq; de opus est à nobis dictum, idem de usus est, præceptum uolumus.

Neutrorum prima classis. Caput XXVI.

IN hac autem perscribenda centuria non usqueadeò superstitiosi erimus, ut passiuitatem potius uerborum, quàm structuram sequamur. Pleraq; sunt enim ita significatione ambigua, ut utrouersum interpretanda sint, uix discernas. Quare dum mihi structura conueniant, nihil morabor, quo minus in hanc centuriam adscribam. Quãdo nec nostri propositi est tam significationes rimari, quàm syntaxes obseruare. Ergo primæ classis mihi neutra sint, quæ à fronte nominatiuum requirũt, à tergo genitiuum, uel septimum. Agentis ne autem, an patientis, nihil tua referat. Cic. in Philipp. Hoc bellum indiget celeritatis. Lucan. lib. viij. Cæsar eget ratibus.

Egeo es egui, sine sup.
Indigeo es indigui, sine sup. His uel infinitum apponi potest. Aul. Gell. lib. iiij. Hoc planè indigeo addiscere. Fuit, cum uerbum uel accusatiuum acciperet. M. Cato apud eundem lib. xiij. Vitio uertunt, quia multa egeo.
Fastidio is iui itum. Plaut. in Aul.

His

Hic homo faſtidit mei. Lucilius lib. vij. Difficiles ſumus, faſtidimus bonorum. Cic. pro Milone: Rectè factis ſæpe faſtidiunt.

Miſereſco is, ſine præterito & ſup. Vergil. viij. Aen. Arcadij quæſo miſereſcite regis. Huic Papinius datiuum appoſuit, lib. xi. Theb. dicens: His quoque non ne palàm eſt ultro miſereſcere diuos?

Affluo	is	uxi	uxum.
Exubero	as	aui	atum.
Abundo	as	aui	atum.
Redundo	as	aui	atum. Plautus in Pſeud. Atque adeò, ut frumento affluam. Verùm hæc oratione conuerſa, datiuum petunt. Sen. de Vita beata: Mihi diuitiæ ſi affluxerint, nihil auferent, niſi ſemet ipſas.
Inundo	as	aui	atũ. Verg. x. Aen. Inundant ſanguine foſſæ. Quod uel tranſitiuum eſſe poteſt. Liuius libro xxxv. Tyberis loca plana urbis inundauit.
Scateo	es	ſcatui,	ſine ſup. Aul. Gell. lib. i. Xantippe Socratis uxor irarum & moleſtiarũ muliebrium ſcatebat. Plinius libro iij. Metallis Hiſpania ſcatet.
Mano	as	aui	atum.
Fluo	is	uxi	uxum. Prop. libro iij. Læuis odorato ceruix manabit oliuo.
Lachrymo	as	aui	atum.
Sudo	as	aui	atum. Solinus in Poly. Cuius mediale ſuccino lachrymat. Lactant. lib.

vij. Rupes montium melle ſudabunt, & flumina lacte inundabunt.

Oleo es olui, uel oleui, olitum, uel oletum.

Spiro as aui atum.

Fragro as aui atum. Propert. libro iij. Cur nardo flammæ non oluere meæ? Papinius lib. Syl. iij. Semper odoratis ſpirabunt floribus aræ. Martialis libro ij. Et multa fragrat teſta ſenibus autumnis.

Vaco as aui atum. Cic. lib. i. de Offic. Omnis actio uacare debet temeritate, & negligentia. Quo ſenſu ablatiuum etiam cum præpoſitione à, uel ab. Cæſar lib. iij. Ciuil. bel. Hæc à cuſtodibus claſſium loca maximè uacabant.

Careo es carui caritum, uel caſſum. Haud prætermittendum, quæ ſuper hoc uerbo à Cicerone in Tuſculanis dicantur: Carere proprie aliud nihil eſſe, quàm egere eo quod habere uelis: quodq; ſi habeas, & tibi uſui, & natura aptum ſit. Itaq; authore Cicerone, hi uerbo abutuntur, qui dicunt, ille caret febri, caret uitijs. ut uel Ouidianum illud, Morte carent animæ. Ineſt enim uelle in carendo. Cui alludit et illud in Catone: Non caret is, qui non deſiderat. Id autem perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Non eget is, qui non deſiderat. Sed in hoc uerbo, ut in pleriſq; alijs, non ſolũ translatio plurimum ualet, uerùm etiam abuſus. Itaq; non repugnandum. Nam & idem ipſe Ciceroin Sallu ſtium: Carere debet omni uitio, qui in alium paratus eſt dicere.

est dicere. Fuit, cum hoc uerbum uel accusatiuum regeret. Plautus in Curcul. Perditus sum, quia id, quod amo, careo.

Deficio is feci fectum. Val. Max. lib. viij. C. Affrania pro se semper apud prætorẽ uerba fecit, non quòd aduocatis deficeret, sed quòd impudentia abundabat. Et Plinius Cæcilius lib. Epistol. ij. Hæc amœnitas deficit aqua salienti. Hoc oratione conuersa datiuum petit. Cic. ad Sulpit. Ea mihi solatia deficiunt.

Præsto as præstiti præstatum. Columella libro xi. Dici uix potest, quid nauus operarius ignauo & cessatore præstet. Solinus in Poly. Sarda lapis marmore quidem præstat, inter gemmas uerò uilissimus dicitur. Rursus: Quanto quis altero præstat, tanto propensiore nota tingitur.

Anquiro is iui itum. Liuius libro xxvi. Tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio succlamaret. id est, capitaliter in eum procedendum. Rursus: Nam cum bis pecunia anquisisset, tertiò capitis se anquirere diceret. id est, cum bis conclusum esset pro mulcta, tertio se capitaliter in eum procedere.

Valeo	*es*	*ualui*	*ualitum.*
Polleo	*es*	*pollui,*	*sine sup.*
Vigeo	*es*	*gui,*	*sine sup.*
Possum	*potes*	*potui. Cic. lib. i. de Offic. Alios uidemus uelocitate, alios uiribus ualere. Claud. de Cõsulatu Probi: Pierijs pollent studijs, multoq; redundant*	

dundant eloquio. Solinus in Poly. Manticora pedibus uiget, saltu potest.

Ingemisco is ingemui, sine sup. Liuius libro xxxvi. Ingemuerunt quidem principes conditionis suæ.

Sum es fui.

Valeo es lui itum. Cic. ad Q. fr. Noli spectare quanti homo sit, parui precij est. Plinius Cæcilius lib. Epist. vi. Agellus erat, cum donarem, centum millium nummûm. Mart. lib. vij. Vix puto triginta nummorum tota fuisse munera. Liu. libro xxxix. Cato uestem muliebrem, & uehicula, quæ pluris quàm quindecim milium æris essent, in censum referre uiatores iussit. Cic. in Verrem: Quanti frumentum sit, considera. Video esse binis sestertijs. Liu. lib. xxix. Sal erat sextante. Plin. lib. xxxiij. Ita ut scrupulum ualeret sestertijs uicenis. Cum accusatiuo autem, hoc perquàm rarum. Varro lib. i. de Lingua Latina: Denarij, quòd denos æris ualerent: quinarij, quòd quinos.

Supersedeo es sedi sessum.

Abstineo es abstinui, sine sup. Cic. ad Sulpit. Censeo, supersedeas hoc labore itineris. Horatius libro iij. Carm. Abstineto, dixit, irarum, calidæq; rixæ. Aul. Gel. lib. iiij. Opinio uetus falsa occupauit, Pythagoram philosophum abstinuisse fabulo.

Indoleo es lui itum. Ouid. lib. ij. Met. Successorumq; Mineruæ Indoluit.

Satago is sategi, sine sup. Terent. in

Heaut.

Heaut. Is quoq; rerum ſuarum ſatagit. Quo reſoluto uſus eſt Plautus in Bacch. uel eadem ſtructura, dicēs: Nunc agitas ſat tute rerum tuarum. Eſt, cum ablatiuū cum præpoſitione de, accipit. Aulus Gellius libro ix. Inſtruebantur acies à conſulibus de ui, ac multitudine hoſtium ſatagentibus.

Memini meminiſti, ſine ſup. Huius uerbi duplex intellectus. Nam & memoria tenere, & mentionem facere ſignificat. Priore ſenſu triplici pollet ſtructura. Sen. lib. v. Contro. Illa dum meminit nouercæ, matris oblita eſt. Verg. in Buc. Numeros memini. Tullius pro L. Flacco: De copijs memineritis. Poſteriore accuſatiuū (opinor) recuſat. Quòd autem Agræcius huic uerbo infinitum præteriti perfecti negauerit rectè coniungi, id exemplis refellitur. Cic. ad Att. lib. i. Permiſiſſe memini. Fabius lib x. Memini narraſſe. Plinius Cæcilius lib. Epiſt. i. Memini adnotaſſe. Et libro iij. Memini recitaſſe. Suet. in Domitiano: Interfuiſſe memini.

Secunda claſsis. Caput XXVII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo datiuum patientis. quale Terentianū illud in Adel. Ea ſeruiebat lenoni impuriſsimo. Huic uerbo interdum accuſatiuus ſeruitutem accedit. Fabius libro vij. Seruus eſt, ut antiqui dixerunt, qui ſeruitutē ſeruit. Cic. pro L. Murena: Sapientes, ſi ſeruitutē ſeruiunt, reges. Aul. Gell. lib. ij. Diogenes Cynicus ſeruitutem ſeruiuit.

Inſeruio is iui itum.

Deseruio is iui itum. Cic. lib. i. de Offic. Pleriq; à quo plurimum sperant, ei potißimum inseruiunt. Rursus: Sunt, qui cuiuis deseruiant, dum quod uelint, consequantur. Aemilius in Alcibiade: Omnes Bœotij magis firmitati corporis, quàm ingenij acumini inseruiunt. At Plautinũ illud in Mostell. Si illum inseruibis solum. Et, Matronæ est unum inseruire amantem. antiquitati iam renunciatum est.

Aspiro as aui atum. Vergilius: Vos ô Calliope precor aspirate canenti.

Tribuo is bui butum. Cic. Crassipedi: Cum uniuerso ordini publicanorum semper libentißimè tribuerim. id est, fauerim. Cæsar lib. i. Gal. bel. Ne Cæsar ob eam rem suæ magnopere uirtuti tribueret. id est, fideret.

Pareo es rui itum.
Auscultо as aui atum.
Obedio is iui itum.
Audio is iui itum. Plautus in Capt. Dicto haud audiebat. Apuleius in Apologia: Temptanti ne auscultarent, sibi potius audirent. Sed hoc perrarum. Itaq; eius participio potius utendum. Cic. pro Deiot. Qui dicto audientes non fuissent. Et in Philipp. Vt audiens esset huic ordini. Est, cum hæc uerba uel accusatiuo inseruiũt. Papinius lib. i. Achill. Non adeò parebimus omnia matri. Apuleius lib. x. Met. Hæc omnia perfacilè obediebam.

Prosum prodes profui. Quo in sensu & facio & proficio nonnunquam sunt, sed tertijs (nisi fallor)

fallor) duntaxat in personis. Plin. lib. xxij. Radix cœliacis præclare facit. Et lib. xxiij. Mustum capitis doloribus facit. Idem lib. xxx. Muliebribus malis membranæ proficiunt. Et lib. xxxvi. Schistos proficit oculorum lachrymis. Proficio autem, fructum facio, in ultimam classem adscribitur.

Obsum	obes	obfui.	
Officio	is	offeci	offectum.
Noceo	es	nocui	nocitum. Hæc ex professo datiuum petere, quem fallit? Sed & accusatiuum nonnunquam. Liu. lib. iij. Qui deorum quenquã nocuerit. Sen. Epistol. ciij. Non ne te noceant, sed ne fallant. Idem lib. v. Contro. Dum filium uindico, ubi me grauissimè nocere posit, ostendit.
Placeo	es	placui & placitus sum.	
Displiceo	es	displicui & displicitus sum.	Aul. Gell. lib. i. Ei statim displicita est insolentia.
Doleo	es	dolui & dolitus sum.	Plaut. in Truc. Mihi de uento miseræ condoluit caput. Aulus Gellius libro ix. Id subitò perdolitum est cuidam Tito Manlio.
Adsum	ades	affui.	Plin. lib. ij. Cui sententiæ adest Dicearchus.
Accedo	is	accessi	accessum. Fabius libro i. Huic opinioni neq; omnino accedo, neque planè dissentio. Sen. Epist. ij. Cibus non corpori accedit, qui statim sumptus emittitur.
Studeo	es	studui,	sine sup. Studeo, mẽtem applico, uariè construitur. Cic. lib. i. de Leg. Iuri

te studere memini. Plau. in Milite: Si sic alijs mœchis fiat, minus has res studeant. Cic. de Reditu suo: Cum uero literas studere cœpit, captus est uno uerbo uoluptatis. Idem in Tusc. Hæc disputant, hæc student. Aul. Gellius lib. xi. Si quis in ea re studebat. Fabius lib. x. Poëtæ in id solum student. Studeo, fauco, semper datiuum. Cic. pro Gn. Plancio: Nemo Arpinàs non Plancio studuit. Et pro M. Cœlio: Multi boni adulescẽtes illi homini improbo studuerunt. Studeo, uolo, usq; ac cusatiuum. Terent. in Hec. Vt omnes mulieres eadem æquè studeant, nolintq; omnia. Cic. in Philip. Vnum sentitis omnes, unum studetis.

Renuncio as aui atum. Fabius lib. x. Extempore dicendi facultatem qui non erit consecutus, mea quidem sententia ciuilibus officijs renunciabit.

Excello	is	excellui,	sine sup.
Antecello	is	antecellui,	sine sup.
Antecedo	is	anteceßi	anteceßum.
Anteeo	is	iui	itum.
Præsto	as	præstiti	præstatum. Cic. pro Põpeio: Dignitate principibus excellit. Ibidem: Asia tã opima est, ut omnibus terris antecellat. Et lib. i. de Offic. Quantum natura hominis pecudibus antecedat. Plaut. in Amphit. Virtus omnibus rebus anteit profectò. Cic. in Lælio: Præstat amicitia propinquitati. Quæ omnia sequente accusatiuo, actiua sunt.

Decoquo is decoxi octum. Plinius lib. xxxiij. Notum sit, eum qui primus acceperit hoc nomen, deco-

men, decoxisse creditoribus suis. hoc est, fidem fefellisse. Decoctores quippe sunt, qui grandi ære alieno oppressi, nec soluendo idonei, creditores suos fallendo, aufugiunt.

Vaco as aui atum. Claud. de Raptu Pros. lib. ij. Epulisq; uacant genialibus umbræ. id est, operam dant. Sen. Epistol. lxxxviij. Totum pectus illi uacet. id est, apertum sit, & liberum. Suet. in Aug. Primus subselliorum ordo uacaret senatoribus. id est, uacuus esset, ac minime occupatus. Verum primo intellectu accusatiuum etiam cum præpositione ad, uel in, admittit. Sen. Epist. l. Non uaco ad istas ineptias. Ouidius lib. iij. de Ponto: In nullum mea mens grande uacauit opus.

Incumbo is incubui itum. Claud. de consul. Theodori. Incumbit studijs. Sed frequentius accusatiuo hæret cum præpositione ad, uel in. Cic. ad Att. lib. ij. Incumbamus ad illa præclara studia. Idem lib. iij. In eam rem incumbas.

Instо as institi instatum. Hor. lib. i. Carm. Instat equis auriga suis uincentibus.

Absum abes abfui. Iustinus lib. ij. Huic tanto agmini dux abfuit. Et per ablatiuum. Brut. ad Cic. Filius tuus à me abest.

Interfum es interfui. Plin. Cæcil. lib. Epistol. vi. Primus etiã, et tum maximè nascẽtibus opusculis meis interest. id est, applaudit, fauet, arridet. Cic. ad Brut. Qui nostro sermoni interfuit. Vel cum ablatiuo. Idem lib. i. de Inuent. Interesse in cæde nõ potui.

Respondeo es respondi responsum. Cic. ad Curionem: Non quòd uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non respondeat. id est, non satisfaciat. Verg. Dictis respondent cætera matris: conueniunt, quadrant.

Illudo is illusi illusum. Tacit. libro xvi. Illusit dehinc Neroni fortuna. Huic tu uel accusatiuum apponito. Idem lib. iij. Eiusmodi preces occulti illuderent.

Tempero as aui atum. Tacit. lib. xv. Rogat, temperaret dolori. Porrò uel hoc transitiuũ esse potest. Idem libro iij. Tyberius ceremonias temperauit.

Impero as aui atum.

Regno as aui atum. Plin. lib. v. Iuba primus utriq; Mauritaniæ imperauit. Cic. in Verrem: Timarchidem fugitiuum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse. Quòd autem Solinus in Poly. Peloponnesson à Pelope regnatam, nomen indicio est: hoc passiuum est, à Regno trãsitiuo, ut pleraq; alia huius idiomatis.

Inuideo es inuidi inuisum. Leander ad Hero. Inuideo Phrixo. Hoc uel transitiuum esse, satis, superq; iam superius ostensum. Neq; enim inuideor aliunde esse potest. Quo et Seneca in prouerbijs usus est: Si inuideris, maior es. Nam qui inuidet, minor est. Et Horat. in Arte: Ego cur, acquirere pauca Si possum, inuideor?

Assurgo is exi ectum. Plinius libro xvi.

xvi. Ludos ineunti semper assurgi, etiam ab senatu, in more est.

Ignosco is ignoui ignotum. Plautus in Mostell. Stultitiæ, aduleſcentiæq; eius ignoſcas. Quo ſenſu etiam accuſatiuum. Idem in Amph. Ignoſcamus peccatum. Et in Bacchid. Vt eis delicta ignoſcas. Eſt etiam ignoſcere, ignorare. Domitius Afer apud Fabiũ lib. viij. Princeps, qui uult omnia ſcire, neceſſe habet multa ignoſcere.

Parco is parſi, uel peperci, parſum, uel parcitum. Verbum hoc ueniam ſignificans, datiuum (credo) tantum requirit. Liu. lib. xxv. Nedum eos Capuæ parſuros. Abſtinentiam, uel parſimoniam, tum datiuum, tum accuſatiuum, tum ablatiuum. Plaut. in Trucul. Vtinam à principio rei parſiſſem meæ. Idem in Curcul. Qui homo maturè quæſiuit pecuniam, niſi eam maturè parſit, maturè eſurit. Verg. x. Aeneid. Argenti atq; auri memoras quæ multa talenta, Natis parce tuis. Liuius lib. xxv. Legati uenerunt, precantes ut à cædibus, & ab incendijs parceretur. Solinus in Poly. Omnes parcunt à ſagina.

Incedo is inceſſi inceſſum.

Inceſſo is inceſſi, ſine ſup.

Inuado is inuaſi inuaſum. Tacit. lib. iij. Incedebat deterrimo cuiq; licentia, inuidiam in bonos excitandi. Val. Max. lib. i. Nec mihi cuncta complectendi libido inceſſit. Varro ad Marcellum: Tanta inuaſit cupiditas bonorũ pleriſq;. Cic. Tironi: Mirus inuaſerat furor non ſolum improbis, ſed etiam ijs

qui boni habentur. Hæc uel accusatiuum petunt. Liu. lib. xxiiij. Annibalem ingens cupido incesserat Tarenti potiundi. Tacit. lib. i. Cupido Cæsarem inuadit soluendi postrema.

Indulgeo es indulsi indultum. Terent. in Heaut. Nimium illi Menedeme indulges. id est, obsequeris. Fabius lib. ix. Latinos magis indulsisse compositioni, quàm Atticos. id est, operam dedisse. Sed quòd Laurentius, & quidã alij negent indulgere inueniri, diciq; pro parcere, operæpreciũ est uidere, quãtùm intellexerint. Cic. in Lælio: Molesta ueritas est, siquidem ex ea nascitur odium. Sed obsequium multo molestius, quòd peccatis indulgens, præcipitem amicum fieri sinit. Quid est hoc Laurẽti? Num indulgens ibi aliter accipi, interpretariq; potest, quàm peccata non arguens, & eis parcens, amicum in præceps abire sinit? Nec minus præclarè Seneca lib. de Breuitate uitæ: Non poteris horum mœrori obstare, nisi tuo indulseris. id est, peperceris.

Desum dees defui. Cic. pro L. Murena: Nihil tibi consulatum petenti à me defuit. Quod dixit à me, id dicere uoluit, quantum in me fuit. Quem in modum, licet alio uerbo, ad Q. etiam Frat. Certe à te mihi omnia semper honesta & iucunda cecidẽrũt.

Sto as steti statum.

Consto as constiti constatum. Plinius libro viij. Triclinaria Babylonica Neroni principi quadringentis millibus sestertiũm nuper stetêre. Cic. ad Att. lib. xiij. Vt tantam faciamus, quantam in Tusculano,

ſculano, propè dimidio minoris conſtabit iſto modo. Papin. lib. iiij. Syl. Noſter purpureus, nouuſq; charta mihi conſtitit decuſſis. *Martial. lib. i.* Conſtemus tibi plumbea ſelibra.

Impono is poſui itum. Plinius Cæcilius libro Epiſtolar. iij. *Si mihi non impoſuit recitatio mea.*

Præſum præes præfui.

Præſideo es præſedi eſſum. Macrobius *lib. i. Sat.* Apollo muſis præſidet. Hoc uel accuſatiuũ accipit. Tacit. *lib. iiij.* Italiam utroq; mari duæ claſſes præſidebant. Ibidem: Haud ſpernenda ciuium manus litora Oceani præſidebat.

Succurro is ſuccurri urſum.

Subuenio is ueni entũ. Ne hæc quidem tranſitiuum caſum reformidant. Plaut. in Mercatore: Eutyche oro te, ſubueni hunc ſenem.

Nubo is nupſi, & nuptus ſum. Nullã excuſationem eorum accipio, qui uerbum hoc neutrũ ſtatuêre paſſiuum. Simul, quia nullum habent, quo nitantur, exemplum: ſimul etiam, quia tam frequens eſt huius uerbi apud bonos authores uſus, ut ne pueris quidem (ut aiunt) abecedarijs ignotum eſſe debeat. Quare hic error etſi iam multo illuſtrior eſt, quàm ut exemplis ſit refellendus, unum tamen, uel alterũ proferam in medium. Cic. lib. i. de Diuinat. Virgo nupſit illi, cui Cæcilia nupta fuerat. Mart. lib. xij.

Barbatus rigido nupſit Caliſtratus Afro,
Hac, qua lege uiro nubere uirgo ſolet.

Sunt præterea huius uerbi syntaxes haud spernendæ. Eas commeminisse mihi libitum est. Cic. lib. 4. de Ora. Quo cùm nupta erat matertera nostra. Aul. Gell. lib. 1. Vt una apud duos nupta esset. Cic. pro Cœlio: Cum ex amplissimo genere in familiam clarissimã nupsisses. Tacit. lib. v. Iulia denupsit in domum Rubell. 3.

Caueo	*es*	*caui*	*cautum.*
Consulo	*is*	*lui*	*ultum.*
Prospicio	*is*	*exi*	*ectum.*
Prouideo	*es*	*uidi*	*uisum. Cic. ad Appium: Lentulum Valerium ualde tibi commendo: melius enim ei cauere uolo, quàm ipse alijs solet. Idem in Catilinam: Patres consulite uobis, prospicite patriæ. Item Appio: Si rationibus meis à te prouisum esse intellexero. Horum nonnulla uel accusatiuũ accipiunt. Lucanus lib. ix. Iustas sibi nostra senectus Prospiciat flammas. Liu. lib. vi. L. Horatius arma, tela, frumentum, quæq; belli alia tempora poscunt, prouideat. Tacit. lib. iiij. Ab Romanis cuncta prælio prouisa.*
Intercedo	*is*	*cessi*	*cessum. Cic. pro L. Agrar. Consulibus legem curiatam ferentibus à tribu noplebis sæpe intercessum est.*

Tertia classis. Caput XXVIII.

NOn desunt, qui uerba huius classis omnino actiua esse contendant. Quibus nos ut prorsus non accedimus, sic haud planè dissentimus. Aduim nanq; actiuam quàm proximè accedunt. Verùm tamen uerba illa mihi placet esse actiua, non quæ ulla negatione, aut metaphora, aut prosopopœia totum passiuum effingant:

gant: sed quæ trãsitione in aliquod rationale animal, quod est proprium actiuorum, ternas illas personas ita gignant, ut munus id esse cernas naturæ haud aliter uolentis, non artis ita extorquentis. Neque enim fas est, ut natura artem, sed ars naturam contrà imitetur, oportet. Quo factum, ut uetustißimi illi, & ijdem sapientißimi Grammatici, non quid ars effinxerit, aut extorserit, sed quid natura dederit, præscripserit q;, secuti sint. Quanquam ratio etiam significationum, siue illæ sint propriæ, seu translatæ, plurimum refert. Nam sunt, quæ una significatione actiua sunt, alia neutra. Sed utcunq; res sese habeat, hæc uerba sint sanè actiua, sed spuria, atq; illegitima.

Aro	*as*	*aui*	*atum.*
Proscindo	*is*	*scidi*	*scissum.*
Subigo	*is*	*egi*	*actum. Vergilius in Georgicis: Ante Iouem nulli subigebant arua coloni.*
Colo	*is*	*lui*	*ultum. Fabius lib. i. Cur nõ idem persuademus agricolis, ne arua simul, & uineta, & oleas, & arbustum colant?*
Sero	*is*	*seui*	*satum.*
Semino	*as*	*aui*	*atum. Hæc ad hominem generandum translata, actiua sunt. Cic. lib. i. Tusc. Non enim temere sati, & creati sumus. Plautus in Amph. Alter decumo pòst mense nascetur, quàm seminatus est.*
Sarrio	*is*	*iui*	*itum.*
Sarculo	*as*	*aui*	*atum.*

Postinõ

Pastino as aui atum. Columel.lib. v. Primò plantæ ſarculari debent. Plin.lib.xviij. Vites putentur, poma ſerantur, inſeranturq;, uineæ paſtinentur.

Inſero is inſeui itum.

Conſero is conſeui itum. Vergilius in Buc. En queis cõſeuimus agros? Rurſus: Inſere nunc Mœlibœe pyros, pone ordine uites.

Inſero is inſerui inſertum.

Conſero is conſerui conſertum. Columel.lib.vi. Sæpe etiam langor, & nauſea diſcutitur, ſi integrum gallinaceum crudum ouum ieiunis fauci bus inſeras. Lactant. lib. v. Tum inter ſe manus conſerere cœperunt.

Pago is pepigi pactum. Cic. ad Heren.lib.ij. Rem ubi pagunt, oratione pagunt. Vergil. xi. Aen. Bis ſenos pepigêre dies.

Pango is pegi, uel pãxi pactum. Columel. lib. de Arboribus: Quæ uetere ſarmento panguntur, tardius coaleſcunt. Cic. Tironi: Pãgis aliquid Sophoclæum?

Puto as aui atum.

Pampino as aui atum. Plinius libro xviij. Vineæ iugerum quaternæ operæ putant. Ibidem: Pampinat una opera iugerum.

Ablaqueo as aui atum.

Aberunco as aui atum. Colum. libro iij. Vinea uetus neq; ablaqueanda eſt. Cic. de Finib. bonor. Dij maluerunt meliora, atque utinam amentiam

tiam aberuncaſſent meam.

Occo as aui atum. Colum. lib. ij. *Proſcindemus terram, proſciſſam occabimus.*

Meto is meſſui meſſum. Solinus in Poly. *Arabes cum lucos iſtos uel metunt, uel incîdũt non funeribus interſunt.*

Vanno as aui atum.

Ventilo as aui atum. Varro de Re ruſtica: *Vt quod leuiſſimum eſt in ea, uannetur foras.* Martialis lib. iij.

Et æſtuanti tenue uentilet frigus
Supina praſino concubina flabello.

Cribro as aui atum.

Cerno is creui, ſine ſup. Plin. libro xviij. *Rurſus quæ tranſit, arctiore cernitur.*

Deſino is ſiui itum. Aul. Gell. lib. xv. *Cum natu grãdis artem athleticam deſiſſet.* Item: *Omnium tum Athenienſium conſenſu diſciplina tibijs canendi deſita eſt. id eſt, depoſita.*

Commodo as aui atum.

Mutuo as aui atum. Mirum, ſuper his duobus ut uulgus Grammaticorum ineptiat. Commodamus (inquit) quæ eadem numero & ſpecie reddũtur, ut ueſtis, equus, liber. Mutuamus, quæ non eadem numero, ſed ſpecie tantum reddũtur, ut uinum, frumẽtum, pecunia. At qui hoc tam falſum eſt, quàm quod falſiſſimum. Primum mutuare nõ eſt mutuò dare, ut iſti ſomniant. Statius Cæcilius: *Ad amicos curat mutuatum, mutuet cauſſa mea.* Cic. ad Att. lib. v.

Ne quod

Ne quod tecum permutauui, uersura mihi soluēdum sit. ideſt, quod mutuò accepi. Val. Max. lib. vi. Potius præsidium à libertate, quàm ab innocentia mutauit. id est, mutuatus est. Et Seneca Epist. lxxxij. Quanto hilarior est, qui soluit, quàm qui mutuat? Prætereà commodare omnia, quæcunq; mutuò dari possunt, complectitur. Cic. in Verrem: At publicè commodasti tritici modios sexaginta. Idem pro M. Cœlio: Curtam familiaris huic fuisti, ut aurum commodares? Et lib. Epist. ij. Quod scribis ad me de drachmis ccclxiij. nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare. Vides, ut uerba hæc longè alia ratione inter se differant? Quare commodare, sit mutuò dare, mutuare, mutuò accipere.

Pendo is pependi pensum. Sallust. in Catil. Nationes stipēdia pendere. Lactant. lib. ij. Eos impietatis supplicia pensuros.

Luo is lui, sine sup. Plinius libro xvij. Cautum est xij. tabulis, ut qui iniuria cecidisset arbores alienas, lueret in singulas, siclos æris xxv. id est, solueret pro damno. Iustinus lib. i. Quicunq; capi potuerunt, supplicia crucibus luerunt. id est, pependerunt.

Exantlo as aui atum. Cic. lib. i. Tuscul. Cum exantlauisset omnes labores.

Fœnero as aui atum. Plinius lib. ij. Sol lumen suum cæteris quoq; sideribus fœnerat.

Luxo as aui atum. Idē lib. x ij. Subarator imprudens luxauit radices.

Dilapido

Dilapido as aui atum.
Abligurio is iui itum. Cic. ad Octauium: Publicam dilapidabat pecuniam. Idem in Cat. Fortunas suas abligurierunt.
Effundo is udi usum. Idem lib. ij. de Offic. Multi patrimonia effuderunt, inconsultè largiendo.
Antiquo as aui atum.
Abrogo as aui atum. Cic. lib. iij. de Legib. Vos legem antiquastis.

Sunt postremò uerba mediæ cuiusdam naturæ, quæ neq; planè actiua, nec omnino neutra dixeris. qualia, subeo, adeo, & id genus. Quæ quòd ad animal rationale natura transire possunt, actiua sunt: quòd autem tertijs tãtum passiua eorum personis reperiuntur, sanè neutra. Terent. in And. Aliquot me adierũt. Plin. Cæcil. in Paneg. Fœminas tunc fœcũditatis suæ maxima uoluptas subijt. Sed (ut dixi) eorum passiua tertijs tantum personis extant. Valer. Max. lib. vij. A Trachalis aditus est diuus Augustus. Cic. in Verrem: Inimicitiæ sunt, subeãtur: labores, suscipiantur. Nam qui circunferũt adeor, subeor, uideant (obsecro) quid dicant. At edo cum suis cõpositis, cur actiua non sint, non uideo. Plaut. in Mostell. Quem absentem comes. Idem in Epid. Expectando exedor miser. Iulius Obsequens de Prodigijs: Homo ab homine adesus.

Quarta classis. Caput XXIX.

HAec à fronte nominatiuum requirunt patientis, à tergo septimum ferè, interim ablatiuum cum præpositione

positione de. rarißimè autem accusatiuum cum ob, uel propter agentis. Verg. in Buc. Numero deus impare gaudet. Plin. Cæcil. in Paneg. Quousq; absentes de absente gaudebimus? Cic. lib. ij. de Finib. Est autem à te semper dictum, nec gaudere quẽquam, nisi propter corpus, nec dolere.

Gaudeo es gauisus sum. Hoc ipsum tamẽ uel nõnunquam transitiuè positum uidetur. Ceu cum Cic. ad Quint. Fratr. De Britannicis rebus nihil est, nec quod metuamus, nec quod gaudeamus. Papinius lib. ix. Theb. Tu dulces lituos, ululataq; prælia gaudes. Aul. Gell. lib. ix. Latona gaudium gaudeat genuinum, & intimum.

Exulto as aui atum.

Gestio is iui, sine sup. Plin. Cæcilius lib. Epist i. Regulus exultauerat morte. Cic. lib. i. de Offic. Licet ora eorum cernere, qui uoluptate nimia gestiunt.

Doleo es dolui, & dolitus sum. Vergil. Aẽn. i. Et nostro doluisti sæpe dolore. Fabius libro ix. Nec potest propter eum dolere iudex. Huic uel accusatiuus citra præpositionem. Cic. pro Sextio: Meum casum doluerunt. Nec Plautinum illud in Cistellaria silentio inuoluendum, Doleo ab animo, doleo ab oculis, doleo ab ægritudine. Nam quòd dolitus sum etiã dicatur, probat Aul. Gell. lib. ix. cum scribit: Id subitò perdolitum est cuidam Tito Manlio.

Mœreo es mœstus sum. Sulpit. ad Ciceronem: Amici dolore tuo mœrent. Cic. lib. i. Tusc. Cum grauiter

grauiter filij mortem mœreret. id est, defleret. Non sum immemor, me olim super hoc uerbo ita scripsisse. Mœreo, es, mœrui. Commœreo, es, commœrui. Plaut. in Epid. Trepidas Epidice, ita uultum tuum uideor uidere commœruisse. Verum postea Plautino loco diligētius inspecto, qui causa fuit erroris, animaduerti, cōmeruisse non esse à mœreo tristor, sed à commereo committo. Quo fit, ut & Plauti locus ille ita sit legendus: Trepidas Epidice, ita uultū tuum uideor uidere commeruisse hic, me absente, aliquid mali. Et mœreo cum diphthongo, omnino careat germano præterito. In quo & Ambrosius Calepinus pariter deceptus.

Ardeo	es	arsi	arsum.
Flagro	as	aui	atum. Tacit. lib. xij. Tentoria militum igne cœlesti arsere. Cic. ad Att. lib. v. Non dici potest, quàm flagrem desiderio urbis. Quanquam hoc interim uel transitiuum. Sen. lib. iij. Declamat. Tyrannum cum domo conflagrauit.
Glisco	is,	sine præterito & sup.	
Cresco	is	creui	cretum.
Augesco	is	auxi,	sine sup. Columel. lib. ij. Nam eo quasi pabulo glisscit. Liu. libro i. Roma interim crescit Albæ ruinis. Pli. lib. xi. Augescūt corpora dulcibus. Huius præteritum perfectum M. Cato protulit in Originibus, Eo res eorum auxit: id est, aucta fuit, uel maior facta est.
Areo	es	rui,	sine sup.
Vireo	es	rui,	sine sup.

Palleo es lui, *sine sup.*
Squalleo es lui, *sine sup.*
Caleo es lui *calitum.*
Tumeo es tumui, *sine sup.* Vergil. vi. Aen. Rabie fera corda tument. Plin. Cæcilius libro Epist. ij. Nunquam secundis rebus intumuit.
Obeo is iui itum.
Oppeto is iui itum. Plin. lib. ij. Gaudio obiêre Sophocles & Dionysius. Et lib. x. Oppetunt non senio, sed fame.
Luxurio as aui atum. Ouid. libro ij. de Arte: Luxuriant animi rebus plerunq; secundis. Et Penelope Vlyßi: Luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus.
Superbio is iui itum. Claudianus de Raptu Proserp. libro iij. Phlegræis sylua superbit Exuuijs.
Dirigeo es gui, *sine sup.* Verg. iij. Aeneid. Socijs subita gelidus formidine sanguis Diriguit. In hanc classem postremò, ne singula percenseamus, pari gradu sese conferunt omnia inchoatiua. qualia tumesco, pingue sco, macresco, palle sco, & alia id genus sexcenta: uerum intellectu à primogenijs admodum dißidentia. Nam in primitiuis res exprimitur perfecta, in deriuatiuis inchoatá. Longè quippe aliud est Caleo, aliud Calesco: illud significat calidus sum, hoc calidus fio. Verùm de inchoatiuis alibi, & suo loco plura. Illud interim haud præter. mittendũ, nonnulla ex his ablatiuum, perinde ut uera

passiua, posteriorē accipere. Cic. lib. ij. de Nat. deor. Ea cālescit primùm ab ipso spiritu. Ouid. lib. i. Met. Vetus humor ab igne Percaluit solis. Et lib. ij. Fast. A uento, qui fuit, unda tumet. Plin. lib. ij. Reliqua à polis squallent. Lactantius de Phœnice:

Cum Phaëtontæis flagrasset ab ignibus axis,
Ille locus flammis inuiolatus erat.

Quinta classis. Caput XXX.

HAec à fronte nominatiuum requirunt patientis, à tergo ablatiuum cum præpositione à, uel ab, agentis. Sen. lib. v. Controuers. Ne à tyranno quidem impune uapulaui.

Vapulo	as	aui	atum.
Veneo	is	iui	uenum. Cic. in Philipp. Immunitates ab eo uenierunt. Plin. lib. xxxvij. Proplasticen pluris uenire solitā ab artificibus, quàm aliorum opera.
Fio	is	factus sum.	
Liceo	es	licui, sine sup.	

Verbo isti cāue tu ablatiuum agentem apponas. nam semper absolutum legi. Casus tamen precium significantes adscribere licebit. Horat. lib. i. Serm. Contra Leuinum Valeri genus unius assis Nōnunquam precio pluris licuisse. id est, æstimatum fuisse. Plautus autem hoc uerbo actiuè usus uidetur in Menæch. Omnia uenibunt, qui qui licebunt præsenti pecunia.

Audio	is	iui	itū.

Cur enim hoc uerbum in hac classe non recenseam, cum assumpto Bene aduerbio, significet laudor: Male, uituperor? Cic.

lib.iij.de Finib. Eſt hominis ingenui, uelle bene audire à bonis uiris. id eſt, uelle laudari, probariq;. Tacitus in Dialogo: Legiſti Ciceronem à Caluo male audiſſe. id eſt, uituperatum fuiſſe.

Cado	is	cecidi	caſum.
Occido	is	occidi	occaſum.
Pereo	is	periui	peritum.
Intereo	is	interiui	interitum.

Diſpeream, ſi uerbis his uidi unquam elegantius quicquã. Quorum ſignificatio quoniam paſſiua eſt, ſuis exemplis mihi ſunt & fulcienda & illuſtranda. Ouid. lib. 1. Met. Magna feres tacitas ſolatia mortis ad umbras, A tanto cecidiſſe uiro. id eſt, interfectum eſſe. Idem libro xiij. Primisq; ſub annis Occidit à forti (ſic dij uoluiſtis) Achille. id eſt, occiſus eſt. Idem lib.iij. de Ponto: Diſcipulo perij ſolus ab ipſe meo. id eſt, mortuus ſum. Et Cic. lib.ij. de Off. Phalaris non à paucis interijt, ut hic noſter. Poſſunt alioqui in hanc claſſem coo ptari, & quæ in calce ſuperioris centuriæ paſſiuorũ ſtructuram habere commeminimus. Nam conſtat, mutata ſyntaxi uerba in aliam tranſire ſpeciem.

Exulo uerbum non eſſe neutrum paſſiuum.

Caput XXXI.

Piget me interdum ſuſcepti huius negocij, cum nihil quicquam mihi præcipere contingat, quo ſimul aliquis error, & is pudendus, non ſit amoliẽdus. Nam errores qui non refellit, confirmat. Qui refellit, is plerunq; acerbior, quàm candidior habetur. Ita, utramcunq; in cauſſam inclinaueris, plurimùm inſequitur negocij.

negocij. Igitur exulo siue locũ significet in quo exul est, siue locum de quo eiectus est, nihil minus dicendũ est, ac neutrum passiuum. Primum in loco significans haud aliter constructur, atq; ipsa uerba in loco significantia. Liu. lib. xxix. Principes Locrensium exulabant Rhegij. Sen. Epistola una & quinquagesima: Linterni honestius Scipio, quàm Baijs exulabat. Deianira Herculi: Exulat ignotis Tydeus germanus in oris. Præterea de loco significans, quem (obsecro) sensum habet passiuũ, cum ablatiuus ille, quem accipit, non ullum agens, ut apulo, sed locum, aut rem, à qua quis abhorret, & abest, tantũ significet? An exempla requiris? En tibi Plaut. in Mostell. Vt abeat fòras urbem, exuletq; à patria, caussa tui. id est, absit. En Martial. lib. i. Exulat Ausonia profugus delator ab urbe. id est, abest. En Solinus in Poly. Atlantes ab omni humano ritu exulant. id est, alieni sunt. En Apuleius in lib. de Deo Socratis: Omnes turbellæ, tempestatesq; procul à deorum cœlestium tranquillitate exulant. Quid Cic. ad Lentulum, de Q. Metelli exilio scribẽs: Est uero probandum, qui & summa uoluntate cesserit, & egregia animi alacritate absfuerit, cum ob id ipsum fractum fuisse. Non ubi absfuerit, dictum est, ibi exulauerit, dicere poterat? Atq; his exemplis liqueat hoc uerbum de loco significans nil aliud, atq; absentiam quandã annotare. Quare si quispiam ostendendus est exilio mulctatus, utendum fuerit periphrasi, qua et nobilissimi authores usi sunt. Plin. lib. vij. Thucydidem imperatorem Athenienses in exilium egere.

Rursus: Aeschines legit defensionem Demosthenis, ob quam depulsus fuerat in exilium.

Sexta classis. Caput XXXII.

HAec uerba exceptæ actionis dicuntur. Ea tametsi proprie nullũ à fronte casum requirunt, propterea quòd omnium mẽtibus sponte sese offert euidentia rei, excellentiaq; facientis: nominatiuum tamen interdum accipiunt, quo uel numen aliquod, uel quid aliud exprimitur. A tergo autem quantum est in se, etsi uelint etiamnum absolutè poni, obliquos tamen persæpe admittunt. Seneca lib. i. Rerum nat. Rorabit, & leuiter impluet. Plin. lib. ij. Noctu magis, quàm interdiu sine tonitribus fulgurat. Ibidẽ: Effigies pluerat spongiarum ferè similis. Liu. lib. xl. In area Vulcani & Cõcordiæ sanguinem pluit. Plin. lib. ij. Relatum in monumenta est, lacte & sanguine pluisse. Hæc eadem, quamlibet tertijs tantum personis proprie usurpentur, per prosopopœiam tamen, ac metaphoram alijs etiam efferuntur. Cuiusmodi Ennianum illud: Toto simul tonauimus theatro. Et Papinianum lib. ij. Syl.

Albos oßibus Italis Philippos,
Et Pharsalica bella detonabis.

Pluit	bat	pluit.
Ningit	bat	ninxit.
Rorat	bat	auit.
Fulgurat	bat	auit.
Coruscat	bat	auit. Papinius lib. iiij. Thebaid. Vetitoq; domus iam fulgurat auro. Ibidem: Clypeo uictum Pythona coruscat.

Tonat

Tonat bat tonuit. Mart. lib. ix. Murmure iam sæuo, uerberibusq; tonas.

Serenat bat auit. Vergil. Vultu, quo cœlum, tempestatesq; serenat.

Fulminat bat auit. Idem xij. Aen. Fulminat Aeneas armis. Sen. lib. ij. de Ira: Inferiora fulminantur. Lactant. lib. i. Aesculapius à deo meruit fulminari.

Grandinat bat auit.

Lapidat bat auit. Liu. lib. xxvij. Veijs de cœlo lapidauerat.

Lucescit bat auit.

Vesperascit bat auit. Terent. in Heaut. Lucescit, hoc iam cesso pultare hostium Vicini? Aul. Gellius lib. xvij. Ad id diei, ubi iam uesperauerat. Apud eundem Diluculat usurpatur pro diluculum fit. Possunt præterea in hanc classem adscribi & uerba naturalis actus. qualia, balat, hinnit, latrat, grunit, & similia. Quòd nulli animali actus ille conueniat, nisi cuius ea sit peculiaris & uox & pasio.

Septima classis. Caput XXXIII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo infinitum, uel clausulam. Verg. viij. Aen. Audet hospes contemnere opes.

Audeo es ausus sum. Huic tamen uel infinitum nonnunquam subducitur. Idem vi. Aen. Audent omnes immane nefas, ausoq; potiti.

Statuo is tui utum.

Constituo is tui utum.

Decerno is eui etum. Mart. lib. i.
Decreuit stygios Festus adire lacus.
Cesso as aui atum.
Desisto is destiti, sine sup.
Desino is iui itum. Cic. ad Lentulum: Equidem non desinam tua decreta defendere.
Volo uis uolui, sine sup. Enimuero & pristinus honos, idemq; genuinus, huic uerbo fuit restituendus. Turpiter enim, insciteq; factum à quibusdam Grammaticis, ut uerbum maximæ ingenuitatis ac dignitatis, inter famularia, quæ dicuntur, contruserint. Porrò uerbum hoc siue infinitis iungatur personalium, seu impersonalium, idq; uel nullo, uel aliquo intercedente accusatiuo, nunquam alio in casu rem uolentem accipit, atq; in nominatiuo. Plin. Cæcil. lib. Epistol. i. Tranquillus uult emere agellum. Terent. in Heaut. Clinia non uult te scire, se uenisse. Cic. ad Att. lib. xij. Illius malo me, quàm illũ mei pœnitere. Idem ad Thermum, Cluuio satisfactum esse à nobis uolo. Sen. lib. i. de Benef. Peßimè cum eo agis, cui uis à dijs noceri, à te succurri. Quid, quòd uel clausulam interdum accipit subiunctiuam? Cic. ad Appium: Omnia uolo à me & postules, & expectes.

Octaua classis. Caput XXXIIII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo casum cum præpositione, uel per se perfecta sunt. Quale Ciceronianum illud in Lælio: Difficile est amicitiam manere, si à uirtute deceris. id est, discesseris. Quodq; Sueton. in Vitell. Qui prius à Galba ad

ba ad senatum defecerat. id est, desciuerat.

Deficio is feci ectum.

Desciſco is sciui scitum. Liu. lib. ij. Prænestè à Latinis ad Romanos desciuit. id est, rebellauit. Aul. Gell. lib. iij. Eam rem Cæcilium non inconsideratè dixisse, neq; temere à Menandro desciuisse, M. Varro uti credamus, facit. id est, dissensisse.

Pugno as aui atum.

Bello as aui atum.

Certo as aui atum.

Triumpho as aui atum. His uerbis accusatiuus rem uerbi significans interdum apponitur, nimirum ut congeminata quasi significatione, uehemẽtius nescio quid, uel expressius exprimatur: ceu pugno pugnam, bello bellum, certo certamen, triumpho triumphum. At triumpho interim etiam supero significat. Lactant. lib. ij. Gentes quædam non extinguentur omnino, ut triumphentur à iustis.

Animaduerto is erti ersum. Val. Max. lib. ij. Africanus superior grauius in Romanos, quàm in Latinos animaduertit.

Vindico as aui atum. Tacit. libro iiij. In Caium Syllanum uindicatũ erat. Hoc uel transitiuum esse potest. Cic. pro Sext. Roscio: Petimus à uobis Iudices, ut maleficia uindicetis. id est, puniatis.

Valeo es lui itum. Plaut. in Epidico: A morbo ualui, ab animo æger fui. Aul. Gellius lib. xij. Cùm ualebo ab oculis, reuisc ad te.

Emergo is si sum. Iuuen. Haud

facilè emergunt, quorũ uirtutibus obstat Res angusta domi. Est tamen, cum uerbum hoc accusatiuũ patientem, sed reciprocum admittit. Cic. de Arusp. respon. Iam ista serpens tum se emergit. Cornelius Nepos in Vita Pomponij: Quibus ex malis ut se emerserat.

Fluo	is	uxi	uxum.
Mano	as	aui	atum. Lactant. lib. ij. Ab hac gente proximi quiq; populi fluxerunt. Et lib. i. Ab hac gente uniuersa flagitia manauerũt. Hoc uel transitiua constructione pollet. Plin. lib. xiiij. Arborum succo manantium picem, resinamq; aliæ ortæ in oriente feruntur.
Suppedito	as	aui	atum. Verbũ hoc, ut absolutum, aliàs significat satis esse. Liu. lib. i. Manubiæ uix in fundamẽta fani suppeditauere. aliàs suppetere. Quintilianus: Licet satis exemplorũ ex lectione suppeditet. Cic. lib. i. de Offic. Studeat parare ea, quæ suppeditent & ad cultum, & ad uictum. Vt uero acquisitiuum, significat non deesse. Idem lib. i. ad Atticum: Si unquam epicheremata suppeditauerunt illo tempore.
Sto	as	steti	statum.
Facio	is	feci	factum.
Sentio	is	sensi	sensum. Tria hæc præter notas significationes, patrocinari, fauori esse, partesq; tueri significant. Cic. in Bruto: M. Cœlius talis tribunus plebis fuit, ut nemo à senatu, & à bonorum caussa steterit constantius. Idem lib. i. de Inuent. Cõmune est, quòd nihilo magis ab aduersarijs, quàm à nobis

à nobis facit. Plautus in Rudente: Omnia istæc facilè patior, dum hic à me sentiat.

Ago is egi actum. Cic. ad Herennium lib. i. Cum mimo Accius iniuriarum agit.

Insanio is iui itum.

Dementio is iui, sine sup. Sen. lib. iij. Contro. Insanitur à patre. Lactãt. lib. iij. Aliquis instinctu dæmonis percitus dementit.

Conniueo es connixi, sine supi. Cic. pro Cœlio: Proh dij immortales, cur interdum conniuetis in hominum sceleribus maximè. Suet. in Cæsare: Delicta neq; obseruabat omnia, neq; pro modo exequebatur, sed desertorũ ac seditiosorum inquisitor, ac punitor acerrimus, conniuebat in cæteris. id est, reliqua oculis ueluti clausis præteribat, tanquam illa non cerneret.

Discepto as aui atum. Liu. libro xxxiiij. Responderi legatis utriusq; partis placuit, missuros se in Africam, qui inter populum Carthaginensem & regem Masanissam, in re præsenti disceptarent. id est, litem componerẽt. Potest nihilominus & accusatiuum citra præpositionem. Cic. pro Milone: Præpositus quæstioni, hæc iustè sapienterq; discepter. id est, dijudicet.

Coniuro as aui atum.

Conspiro as aui atum. Sallustius: Coniurauere pauci, in quibus Catilina fuerat. Columella libro xij. In commune conspirabatur ab utroque.

Appeto

Appeto is iui itum.
Aduento as aui atum. Cæsar lib. vi. Gall. bel. Dies appetebat septimus, quem ad diem Cæsar ad impedimenta reuerti constituerat. Cic. ad Curionem: Nondum erat auditum, te ad Italiam aduentare.
Congruo is grui, sine sup.
Concordo as aui atum.
Conuenio is ueni entum. Plautus in Pseud. Cum his mihi nec locus, nec sermo conuenit. Idem in Mostell. Bene ratio accepti atq; expensi inter nos conuenit.
Interfum es fui, differentiã significans, quadrifariam constituitur. Id quod ex subiectis exemplis cernas, licet. Terent. in Adelph. Hoc pater & dominus interest. Idem in Eun. Stulto intelligens quid interest? Cic. in Acad. Quod ab eo nihil interest. Et lib. i. de Offic. Inter hominem & bellua hoc maximè interest. Est præterea interesse, in medio esse. Liu. lib. xxvij. Quingenti passus intererant castra Punica & Romana. Plin. lib. vi. Quod interest ibi, tenent Arabes.
Discordo as aui atum.
Dißideo es dissedi dissessum. Terent. in And. Qui scis eos inter se discordare? Cic. in Academ. Cum Cleanthe quàm multis rebus Chrysippus dißidet?
Transigo is egi actum. Cic. ad Q. Fratrem: Meßidius se ternis nummis in pedem tecum transegisse

transegisse dicebat. id est, conuenisse. Hoc uel accusatiuum sine præpositione. Idem pro Aul. Cluent. Cum Oppianico duo millia transigit L. Clodius.

Arieto as aui atum. Vergil. xi. Aeneidos: Pars cæca, & concita frænis Arietat in portas.

Euado is euasi euasum. Plaut. in Rud. Nunquam hodie quiui ad coniecturam euadere. id est, pertingere. Cic. in Valerium: Tu in aliquam bonam frugem euades? id est, tu unquam fies bonus? Fabius lib. i. Vites arboribus applicitæ inferiores prius apprehendendo ramos, in cacumina euadunt. id est, ascendunt. Quo sensu etiam accusatiuum absq; præpositione. Tacit. lib. i. Copiæ euasere syluas. At euado, effugio, et actiuum est, & neutrum. Suet. in Tybe. Carmilius me euasit. Cicero pro Sylla: Cuius ex insidijs euaseris.

Adeo is iui itum Cic. in Verrem: Hæredes adeunt ad Verrem. Idem ad Appium: Cum ad me aditum esset ab his, qui dicerent à se intolerabilia tributa exigi.

Regno as aui atum. Tacit. libro xi. Aduenæ in nos regnauerunt.

Redundo as aui atum. Cic. lib. iij. de Orat. Vt neq; in Antonio deesset hic ornatus, neq; in Crasso redundaret. Idem in Catilinam: Ne quid inuidiæ mihi in posteritatem redundaret.

Meridio as aui atum. Suet. in Calig. Dum ea meridiaret. id est, de medio die dormiret.

Pendeo

Pendeo es p:pendi pensum. Penelopę Vlyßi: Narrantis coniunx pendet ab ore uiri.

Ludo is lusi lusum. Seneca de Continentia: Cum ab alijs luditur, tu sancti aliquid tractaueris.

Ambulo as aui atum.

Curro is cucurri cursum. Spacium in his duobus ui transitiua ponitur in accusatiuo. Cicero pro P. Quintio: Neminem esse qui posit biduo, ad summum triduo, septingenta millia passuum ambulare. Solinus in Poly. Philippides biduo mille trecenta quadraginta stadia ab Athenis Lacedæmonem decucurrit. In reliquis autem uerbis ferè absolutè. Plautus in Aul. S: hercle tu ex istoc loco digitum transuersum, aut unguem latum excesseris. Cic. Tironi: Is locus est citra Leucadem stadia cxx. Seruius Galba Ciceroni: Nam ei obuiam processeram millia passuum centum. Asinius Pollio eidem: Nullum uestigium abste discessurus sum.

In calce illud admonendum, pleraq;, imò omnia huius classis uerba, atq; adeò deponentia absoluta, similes casus nonnunquam copulare. Id quod uno aut altero exemplo comprobasse, sit satis. Cic. lib. i. de Off. Nunquam iratus qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ est inter nimium & parum. Vergilius ix. Aeneid. Ipse comes Niso graditur.

De uerbis communibus. Caput XXXV.

PORrò quartum uerborũ genus haud insciтè Commune dictũ, quòd una, eademq; passiua terminatiõe literatu-

literatura, utroq; uersum significare potest. Itaq; huius significatio cùm est actiua, tum in morem construitur actiuorum. Verg. vi. Aeneas opera inter talia primus Hortatur socios. Cum uerò passiua, in morem itidem passiuorum. Cicero in Catone: L. Flaminius exhortatus est à scorto, ut feriret aliquem.

Hortor aris atus sum. Sed huius uerbi multiplex elegantia haud dissimulanda. Nam præter accusatiuum patientem, aliàs casum cum præpositione ad. Cic. in Philipp. Galliam totam hortatur ad bellum. Aliàs ablatiuũ cum de. Cæsar lib. i. Ciuil. bel. Vt Libonem de concilianda pace hortetur. Aliàs infinitum. Tacitus libro xi. Cæsar Italum auctum pecunia, additis stipatoribus hortatur, gẽtile decus magno animo capessere. Aliàs clausulam. Cic. pro Milone: Illa arma, ut magno animo simus, hortantur.

Tueor eris tuitus sum. Plin. Cæcil. libro Epist. vi. Tuitus sum Iulium Bassum. Liuius libro xxi. Insula Melita à Carthaginensibus tuebatur. Sen. Epist. xc. Infirmiores à ualidioribus tuebantur.

Caussor aris atus sum. Ouidius de Nuce: Domini patienda querela est. Caussabor, quare sit lapidosus ager. id est, culpabor, uel dicar esse in caussa.

Criminor aris atus sum. Apuleius lib. x. Met. Fratres mutuò sese rapinæ turpissimæ criminabantur. Cic. in Valerium: Milonem summa uirtute uirum grauiter Valerius, Sulpitium ab eo cæsum criminatur. Quibus exemplis constat, Criminor uel genitiuum

tiuum ulteriorem, uel clausulam admittere.

Depopulor aris atus sum. Liuius libro xxxvij. Agrum Romani hostiliter depopulati sunt. Ibidem: Omnis ora maritima depopulata ab Achæis erat. Et lib. v. Ab his ager est depopulatus.

Dimetior iris dimensus sum. Cic. in Catone: Mirari se non modò diligentiam, sed etiam solertiam eius, à quo essent illa dimensa atq; descripta: & ei Cyrum respondisse, Atqui ego ista dimensus sum.

Adipiscor eris adeptus sum. Plaut. in Trinum. Non ætate, uerùm ingenio adipiscitur sapiētia.

Sector aris atus sum. Varro lib. ij. Rerum rust. Qui uellet se à cane sectari.

Vescor eris, sine præterito. Plin. libro x. Nonnullæ uescūtur ea, quæ rapiunt pedibus. Idem lib. viij. Caprinum iecur, si uescatur, restituit uespertinam aciem.

Intueor eris intuitus sum. Sen. in libello de Moribus: Omnes dies, uelut ultimus, intuēatur.

Aggredior eris gressus sum. Cic. ad Nepotem: Hoc restiterat, ut etiam à te fictis aggrederer donis.

Arbitror aris atus sum. Plaut. in Capt. Ne arbitri dicta nostra arbitrari queant. Aul. Gellius lib. iiij. Qui diligentius carmina Empedoclis arbitrati sunt. Idem lib. i. Anceps quæstio, & in utranq; partem à prudentibus arbitrata est.

Frustror aris atus sum. Plaut. in Amph. Nescio quis præstigiator hanc frustratur mulierem.

Aulus

Aulus Gellius lib. v. Ab adulescente discipulo magister frustratus fuit.

Polliceor eris pollicitus sum. Cæsar lib. ij. Ciuil. bel. Pecunias, quæ erant in publicum Varroni à ciuibus Romanis pollicitæ, remittit.

Aspernor aris atus sum. Hircius de bello Africo: Caius Vergilius postquàm intellexit regem ab omnibus aspernari, se proconsuli tradit.

Adulor aris atus sum. Tacitus lib. xvi. Ne codicillis quidem Neronem adulatus est. Cic. lib. i. de Off. Nec sinamus nos adulari.

Adminiculor aris atus sum. Aul. Gellius lib. ij. Id autem ipsum, quod dicimus, ex illis Homericis uersibus adminiculari potest. id est, confirmari.

Dominor aris atus sum. Cic. lib. i. de Of. O domus antiqua quàm dispari domino dominaris. Lactant. lib. ij. Dei populus ab his dominatur. Hoc tamen transitiuum nunquam legisse memini. Et ut semel omnia complectar, non solum quæ publicè recepta sunt communia, uerum etiam quæ deponentia dicuntur trãsitiua, in hoc genus adscribi possunt. Quando quæ hodie uerba nuncupantur deponentia, ea ferè cuncta olim extitere communia. Nam & Lucilius dixit, A me auxiliatus es. & Maro, Nunc oblita mihi tot carmina.

De uerbis deponentibus. Caput XXXVI.

Postremum uerò uerborum genus propterea deponens dictum, quòd eadem passiua terminatum literatura, uel significationẽ deponit, quam sua uox notat: uel

tat: uel quòd deponit aliquid de quantitate uerbi communis. Vtcunq;, id quoniam multiplex, atq; elegans, haud minore diligentia nobis pertractandum, quàm quæ superiora nobis genera fuere disputata.

Deponentium prima classis. Caput XXXVII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo alia genitiuum, nonnulla septimum, pars utrunq;. Sed omnium certa ac propria structura de adductis, quæ sequũtur, exemplis, facillimè constabit.

Vtor eris usus sum. Cicero pro Aul. Cluent. Habitus utebatur medico ignobili, sed spectato homine Cleophanto.

Vsitor aris atus sum. Aul. Gell. libro x. M. Cato & Sallustius uerbo isto promiscue usitati sunt. His uel ablatiuus cum præpositione ex, uel de accedit. Cic. ad Att. lib. xi. Nos si quid opus erit, utemur eo. Et lib. i. de Of. De rebus ipsis utere iudicio tuo.

Abutor eris abusus sum.

Deutor eris deusus sum. Luc. lib. ix. Potuit uestro Pŏpeius abuti Sanguine? Aemilius in Eumene: Eumenes ait, non conuenire Antigoni prudentiæ, ut sic deuteretur uicto. Fuit, cum istæc uerba accusatiuum etiam acciperent. Quale Plautinum illud in Asin. Quæ utimur, græca mercamur fide. Et in Pseudulo: Sapientiam tuam abusa est.

Vescor eris, sine præterito.

Epulor aris atus sum. Vergil. iij. Aen. Et sanguine uescitur atro. Cic. ad Att. Muneribus tuis epulati

epulati sumus. Hæc uel accusatiuum admittunt. Plin. lib. xi. Vespæ serpentes auide uescuntur. Et lib. viij. Pullos earum epulari, Mecœnas instituit.

Fungor eris functus sum. Cic. lib. ij. de Off. P. Crassus functus est ædilitio maximo munere. Ac ne hoc quidem accusatiuum aspernatur. Suet. in Aug. Quo probati religiosius senatoria munera fungerentur, sanxit, ut quisq; supplicaret.

Fruor eris fructus, uel fruitus sum.

Fruiscor eris, sine præterito. Cic. lib. iij. Tusc. Zeno magna uoce dicere solebat, esse beatum, qui præsentibus uoluptatibus frueretur. Quintus Metellus Numidicus apud Aul. Gellium lib. xvij. Summa gloria fruiscor. Inibi paulo ante: Domos ire iubet, et sua bona fruisci.

Potior poteris, uel potiris potitus sum. Verbum hoc siue significet in potestate habere, seu rem optatam consequi, triplicem habet structuram. Aul. Gellius lib. ix. Macedones gentium, nationumq; multarum potiri cœperant. Tacit. lib. i. Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur, inuisus Tyberio. Idem lib. iiij. Hanc, postquam primi flagitij potitus est, ad necẽ mariti impulit. Verg. Aen. i. Egressi optata potiuntur Troes arena. Teren. in Adel. Ille sine labore patria potitur cõmoda. Liui. lib. xxiij. Vt Capuam, Nuceriamq; potitus esset. Aul. Gell. lib. xiij. Elisa mortem per uim potita est.

Apiscor eris aptus sum.

Adipiscor eris adeptus sum. Tacit. lib.

v. Nihil abnuentem, dum dominationis apiſceretur. Rurſus: Seruius Galba rerum adeptus eſt. id eſt, potitus. Superius uerbum, nempe apiſcor, perrarum quidem, Latinum tamen, quo non ſolum Tacitus, uerum et Siſenna lib. Hiſt. iiij. & Lucilius lib. xxvi. uſi ſunt. Author Nonius Marcellus.

Dominor aris atus ſum. Lactant. lib. de Ira dei: Homini tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur. Huius tamen uerbi uſitatior iuxtà & latinior eſt conſtructio tum acquiſitiua, tum abſoluta. Verg. iij. Aen. Hic domus Aeneæ cunctis dominabitur oris. Et lib. ij. Incenſa Danai dominantur in urbe. Lucan. lib. v. Heu quantum mentes dominatur in æquas Venus.

Queror eris queſtus ſum. Seneca lib. v. Controu. Tecum fili inconſideratæ pietatis queror. Huius præterea uerbi multiplex ſtructura eſt. Verg. in Buc. Dum queror & diuos. Ouid. i. Met. Cum Ioue uiſa queri. Iuuenal. Saty. i. Nec quereris patri. id eſt, apud patrem. Cic. pro Sext. Roſcio: Qui queri uelit ex his, quos conſtat affuiſſe. Briſeis Achilli: De domino pauca, uiroq; querar. Suet. in Claudio: Conqueritur ob hanc eandem ualetudinem, & gladiatorio munere. Idem in Aug. Tyberio de eadem re conquerenti ita reſcripſit.

Reminiſcor eris, ſine præterito.

Recordor aris atus ſum. Seneca Epiſtol. cxxiiij. Præteritorum reminiſcitur. Cic. pro L. Piſone: Suorum flagitiorum recordabitur. Refellenda eorum

rum peruicacia, qui nec rectè, nec Latinè dici putãt, Recordor *de hac re. Cic. pro L. Sylla:* Recordare *de cæteris. Et de lege Agrar. Si recordari de nouis hominibus uolueritis.*

Obliuiſcor eris oblitus ſum. Tacitus libro xx. *Fera animalia, ſi clauſa teneas, uirtutis obliuiſcũtur. Tria hæc uel accuſatiuum petunt.* Verg. x. Aen. Dulceis moriens reminiſcitur Argos. Cic. in Philip. Recordare illum diem. Vergil. ij. Aen. Quiſquis es, amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios. Recordari præterea commemorare eſt. Cic. lib. ij. de Offic. Externa libentius in tali re, quàm domeſtica recordor. id eſt, commemoro.

Miſereor eris miſertus ſum. Vergilius ij. Aen. Miſerere laborum tantorum. Datiuo etiam, ſed parcius. Cic. lib. ij. Tuſc. Patris peſtibus miſerere. Seneca lib. ij. Contro. Miſereor tibi puella.

Secunda claſsis. Caput XXXVIII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo datiuum patientis.

Inſidior aris atus ſum. Cic. pro Milone: Hæc ſicca inſidiata eſt Pompeio.

Aduerſor aris atus ſum. Idem pro Sylla: Ego uero ornamentis aduerſor tuis.

Aemulor aris atus ſum. Fabius libro x. Conſummati iam patroni ueteribus æmulantur. At imitatio accuſatiuum repoſcit. Terent. in And. Quorum æmulari exoptat negligentiam, quàm iſtorum obſcuram diligentiam id eſt, imitari.

Auxilior aris atus sum.
Opitulor aris atus sum.
Patrocinor aris atus sum. Fabius libro ij. Leno interim defenditur, sic ut non homini patrocinemur, sed crimini.
Suppetior aris atus sum. Apuleius libro viij. Met. At uobis facilè est suppetiari miserrimo seni. id est, opem ferre. Verum suaserim potius utendũ periphrasi, qua & latinissimi homines usi sunt. Pompeius ad Marcellum: Neq; subsidio ire possum. Aemilius in Thrasybulo: Pausanias uenit Atticis auxilio. Hircius de bello Africo: Suis finibus, oppidisq; suppetias profectus est. Et, Suis fugientibus suppetias ire contendit.
Suffragor aris atus sum. Cic. in Verrem: Hortensius tibi suffragatur.
Refragor aris atus sum.
Renitor eris renisus, uel renixus sum.
Reluctor aris atus sum.
Obluctor aris atus sum. Columella lib. i. Nam cum ueteri adstruitur recens ædificium, quasi assurgenti reluctans oneri cedit. Vergil. iij. Aen. Aduersæ obluctor arenæ.
Operor aris atus sum. Liuius lib. xxi. Alijs procurandis propè tota ciuitas operata fuit. Solinus in Poly. Qui diuinæ rei operantur. id est, operam dant.
Adulor aris atus sum.
Blandior iris itus sum.

Lenocinor

Lenocinor aris atus sum.
Palpor aris atus sum. Valer. Max. lib. iiij. Si Dionysio adulari uelles, ista non esses. Plautus in Menæh. Bellus blanditur tibi. Cic. in Verrem: Halienſis tibi lenocinabitur. Plau. in Amph. Obſeruato te, quàm blandè mulieri palpabitur. Et Hor. ij. Serm. Cui ſi palpere, recalcitrat. At blandiri pro mitigare, tertij idiomatis eſt. Colum. lib. vij. Lac caprinum tantum ualet, ut blandiatur igneam ſæuitiam. id eſt, mitiget.
Famulor aris atus sum.
Ancillor aris atus sum. Cic. in Salluſt. Non uni priuatim ancillatus ſum.
Conuicior aris atus sum. Fabius libro iij. Contrà ſentientibus inhumanè conuiciantur.
Medeor eris, ſine præterito.
Medicor aris atus sum. Cic. de Perfecto orat. Philoſophia medetur animis. Verg. ij. Georg. Et ſenibus medicantur anhelis. Eſt, cum medicor et tranſitiuum eſt, & agendi modo enunciatur. Idem vij. Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum Eualuit. Plautus in Moſtell. Ego iſtum lepide medicabo metum. Vergilius: Semina uidi equidem multos medicare ſerentes.
Adſtipulor aris atus sum.
Aſſentior iris aſſenſus ſum. Plin. lib. vij. Hellánico adſtipulatur Damiates. At hoc uerbo Apuleius lib. x. Met. alia & ſyntaxi & ſignificatione uſus eſt: Tradit annulum, qui monſtratus fidem uerbis

adstipularetur. id est, adstrueret. Quin et assentio inculcatum est. Cic. ad Quint. Frat. Philippus assensit Lentulo. Et pro Pompeio; Eius semper uoluntatibus eiues assenserunt. Huic si accusatiuum apponas, concedo significat. Idem ad Octauium: Senatus assentitur omnia. Et lib. ij. de Orat. Quare tibi Antoni utrunq; assentior. id est, concedo.

Obsequor eris cutus sum.

Morigeror aris atus sum. Terent. in Adel. Si adulescēti esses morigeratus. Cic. de perfecto Orat. Voluptati auriū morigerari debet oratio. Obsequor aliàs transitiuum est. Terent. ubi suprà: Quia nō ista prorsus iniusta omnia omnino obsequor. id est, permitto, concedo.

Minor aris atus sum.

Interminor aris atus sum. Sed hæc duo in tertiam potius classem adscribenda. Cicero in Parad. Mortem mihi minitaris? Plinius libro xxviij. Aquam minantur.

Moderor aris atus sum. Cic. pro M. Cœlio: Pudor tuus moderatur orationi meæ. Sallust. Fortunæ libido gentibus moderatur. Hoc uel transitiuum est. Ouid. lib. viij. Met.

Accipe quos frænis altè moderere dracones.

Super uerbo autem inimicor, mihi studiosi sunt admonēdi. Inueterauit enim falsa in primis præceptio, quam opinor adhuc nullus Grammaticorū animaduertit. Porrò inimicari, tantum abest ut sit inimicitias exercere, ut quidam male literati docent, ut nihil magis à ue-

gis à ueritate abhorrens esse queat. Nam inimicari, (quod semel tãtum legi, idq; in Epistola Quinti Ciceronis ad Marcum Fratrem de petitione consulatus) aliud nihil est, quàm inimicũ fieri. Sin autem (inquit) neges, statim alienant se, & inimicantur. id est, & fiunt inimici. Quid, quòd amico, & inimico, actiua reperiuntur? Papinius lib. iij. Theb. Ac prior Aeclides solita pace numen amicat. id est, amicum reddit, placat. Horat. iij. Carm. Et miseras inimicat urbes. id est, inimicas facit, irritat. Papinius lib. ij. Theb. Hostiles inimicent classica turmas.

Tertia classis. *Caput* XXXIX.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo accusatiuum patientis.

Sequor eris cutus sum. Verg. in Buc. Florentem cythisum sequitur lasciua capella.

Persequor eris cutus sum.

Prosequor eris cutus sum. Terent. in Adel. Ego ius meum prosequar. Huic si præter casum patiendi septimus accedat, mirum, quæ diuerticula significationum faciat. Cic. in Verrem: Iste iratus hominẽ uerbis uehemẽtioribus prosequitur. id est, insectatur. Lactant. lib. ij. Siquidẽ sacrilegia sua iocularibus etiã dictis prosequebatur. id est, cõdiebat. Et lib. iiij. Quã Tullius uniuersis eloquentiæ suæ uiribus prosecutus est. id est, descripsit, laudauit. Columel. lib. i. Præmio prosequimur eos, qui strenuè atq; industriè se gerũt. id est, præmio afficimus, honoramus.

Insector aris atus sum. Apuleius in Apo-

log. Quem ille bonum uirum ait, cum tu magiæ, male ficij, criminis infectabere?

Apiſcor	eris	aptus ſum.
Adipiſcor	eris	adeptus ſum.
Aſſequor	eris	cutus ſum.
Conſequor	eris	cutus ſum. Varro: Ea omnibus oſtendat, quæ bello aptus eſt. Taci. lib. v. Iunius Gallio cenſuerat, ut prætoriani actis ſtipendijs, ius apiſcerentur in quatuordecim ordinibus ſedendi. Cuius uerbi uel prima in claſſe meminimus. Cic. ad Att. Oro des operam, ut me ſtatim conſequare. Rurſus: Si es Romæ, iam me aſſequi non potes.
Nanciſcor	eris	nactus ſum. Lactant. lib. vi. Si ducē nactus fuerit, q dirigat ad meliora titubantē. Salluſt. Homines aduleſcētes ſummā poteſtatē nacti.
Prædor	aris	atus ſum. Tacit. lib. xij. Pelignus ſocios magis, quàm hoſtes prædatur.
Furor	aris	atus ſum.
Depeculor	aris	atus ſum. Cic. in Verrem: Plurimas urbes, omnia fana depeculatus eſt.
Cauſſor	aris	atus ſum. Tacit. lib. xix. Sabinus inhabilem labori ualetudinem cauſſabatur. hoc eſt, in excuſationem adducebat. Aul. Gell. lib. xiij. Ille negocium ſibi eſſe cauſſatur, & digreditur.
Ruminor	aris	atus ſum. Idem lib. xix. Figuras, habitusq; uerborum ruminabamur. id eſt, diligentiſſimè penſitabamus. Dicimus & rumino. Verg. in Buc. Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.
Lamentor	aris	atus ſum. Tacitus libro iij.

Cæteri

Cæteri fama exciti, hic fratrem, propinquum ille, parentes alius lamentari. id est, deplorare.

Miseror aris atus sum. Plin. Cæcil. libro Epist. vi. Hi suum casum, illi suorum miserabantur. id est, deplorabant. Tacitus lib. xix. Cedere se pacis & reipublicæ caussa, fratrem & coniugem, & innoxiã liberorum ætatem miserarentur. id est, ope subleuarent, susciperent, non insectarentur. Est alioqui miserari, plorabundum in modum aliquid describere, enarrare. Aul. Gell. lib. ix. Hæc Marcus Tullius atrociter, grauiter, copiosè, aptèq; miseratus est.

Mercor aris atus sum.

Licitor aris atus sum. Cic. pro L. Flacco: Fundum Cyrnæum Romæ mercatus est de pupillo Mecubonio. Aul. Gell. lib. i. Tarquinius treis reliquos mercatur nihilo minore precio. Plinius lib. vij. Vnam tabulam centum talentis rex Attalus licitatus est. id est, emit.

Liceor eris licitus sum. Plin. Cæcil. in Paneg. De annona inter licentem, uendentemq; conueniat. licentem, id est ementem. Rursus: Suburbanũ licemur, emimus. id est, pro emendo precium offerimus. Cic. ad Att. lib. xij. Hæredes Scapulæ si istos hortos partibus quatuor factis liceri uolunt, nihil est emptori loci. id est, si uẽdere uolunt. Quòd autem liceor præteritũ perfectum habeat, præclarißimè omnium docet Cicero in Verrem: Vtrum est æquius (inquit) eum qui manu quæsierit, an eum qui digito licitus sit, poßidere? Et pòst paulo: Herbitenses cũ uiderent, si ad

si ad Aeserionem precium rediſſet, ſe ad arbitrium libidinoſiſſimæ mulieris ſpoliatum iri, liciti ſunt uſque eo, quoad ſe efficere poſſe arbitrabantur.

Nundinor aris atus ſum. Cic. in Verrem: *Qui ab iſto ius ad utilitatem ſuam nundinarentur. id eſt, emerent.* Apuleius: *Toti nunc Iudices ſententias ſuas precio nundinantur. id eſt, uendunt.*

Auerſor aris atus ſum.

Abominor aris atus ſum.

Execror aris atus ſum.

Deteſtor aris atus ſum. Plinius lib. xxx. *Terram orbitis depreſſam auerſantur.*

Cauillor aris atus ſum. Fabius lib. i. *Hanc artem ut ieiunam ac tenuem cauillantur.*

Obiurgor aris atus ſum. Cœlius Ciceroni: *Hirrus Curionem prorſus non mediocriter obiurgatus, hac repulſa ſe mutauit.*

Calumnior aris atus ſum. Colum. lib. i. *Iuſtè animaduertimus in eos, qui calumniantur magiſtros ſuos.*

Machinor aris atus ſum. Plin. Cæcil. in Paneg. *Exilia & cædem machinabantur.*

Solor aris atus ſum.

Conſolor aris atus ſum. Cic. ad Lentulũ: *Me quidem & res illa conſolatur.*

Periclitor aris atus ſum. Idẽ pro P. Quintio: *Omnia periclitatus eſt.*

Demereor eris itus ſum. Fabius libro i. *Vt pleniori obſequio demererer amantiſſimos mei. Dicimus etiam*

mus etiam demereo. Suet. in Aug. Auunculum magno pere demeruit. id est, deuinxit.

Vador aris atus sum. Cic. pro P. Quintio: Hic cum rem Gallicanam cuperet reuisere, hominem in præsentia non uadatur. Liu. lib. iij. Vnum uadem trium millium æris obligarant. Accusator uadatus est reum. Quibus exemplis turpissimi erroris conuincuntur, qui uadem in re tantum capitali datum iri censuerunt.

Mutuor aris atus sum. Cic. de Fato: Subtilitatem ab Academia mutuatur.

Adorior iris adortus sum. Idem in Verrem: Postremam quanque nauem piratæ primam adoriebantur.

Ludificor aris atus sum. Terent. in Eun. Ludificatus est uirginem. Hoc uel actiua uoce effertur. Plaut. in Mostell. Dicito his, quo pacto tuus te seruus ludificauerit.

Inficior aris atus sum. Cicero pro Archia poëta: In dicendi exercitatione me non inficior mediocriter esse uersatum. Columel. lib. v. Neq; inficior aliqua me præterisse. Fabius lib. viij. Totum crimen inficiantur. Sed & eo inficias, genus est dicendi exoscu landum. Aulus Gellius lib. x. At ille non ibat inficias feciſſe. id est, non negabat.

Remuneror aris atus sum. Cic. Appio Pulchro: Sanè mihi considerãdum est, quo te potissimum remunerer genere. Id quod uel agendi modo pronunciatur. Pli. Cæcil. lib. Epist. ij. Hãc remuneres literis.

Precor

Precor aris atus sum. Papinius lib. ij. Achill. Respõnsiq; fidem, & uerum Calchanta precantur. Val. Max. lib. i. Stultũ est, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle sumere.

Deprecor aris atus sum. Plin. Cæcil. in Paneg. Statuas deprecaris. id est, abnuis. Cicero lib. v. de republica: Claudij inuidiam Gracchi charitas deprecabatur. id est, depellebat. Idem in Verrem: Quid faciat Hortensius, auaritiæ ne crimina frugalitatis laude deprecetur? id est, expurget. Aulus Gellius lib. x. Sed ille turpitudinem delicti exemplorum usu, et consuetudinis uenia deprecabatur. id est, excusabat.

Sciscitor aris atus sum.

Percunctor aris atus sum. Curtius lib. v. Darius percunctari Patrona caussam cõsilij cœpit. Plautus in Persa: Ex te percũctabimur aut patriam tuam, aut parentes.

Punior iris itus sum. Cic. pro Milone: Tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ postulare. Apul. lib. viij. Metamor. Punita sum funestum mearum nuptiarum prædonem.

Opperior iris opperitus, uel oppertus sum.

Præstolor aris atus sum. Plaut. in Mostell. Seni nõ ociũ erat, id sum opperitus. Teren. in Phorm. Si non tum dedero, unam præterea horam ne oppertus sies. Cic. ad Att. lib. ij. In Formiano te præstoler? Hoc uel datiuum petit. Plautus in Epidico: Ego illam illi

illi uideo præstolarier.

Intueor eris intuitus sum.

Intuor eris intutus sum.

Conspicor aris atus sum. Fabius lib. vij. Id consequemur, si intuiti fuerimus, quæ sit lex, quæ item faciat. Papinius lib. ij. Theb. Armigeras summi Iouis exultante caterua Intuor. Plautus in Aulul. Sed quid ego apertas ædeis nostras conspicor? Cæsar lib. i. Gal. bel. Ipse noctu progressus hostium copias conspicatus est.

Rimor aris atus sum.

Scrutor aris atus sum. Aulus Gellius libro i. Iulianus rhetor scripta omnia antiquiora tam curiose rimabatur, ut iudicium factum esse adamussim diceres.

Comminiscor eris commentus sum. Sueto. in Aug. Aduersus incendia excubias commentus est.

Odoror aris atus sum. Cic. in Rullum: Quos odorari hunc decemuiratum suspicamini?

Suauior aris atus sum. Catullus: Iucundum os, oculosq; suauiabor.

Comitor aris atus sum. Vergil. iiij. Aen. Nautas comitabor ouantes. Dicimus etiam comito. Ouid. lib. ij. de Ponto: Quem pia uobiscum proles comitauit euntem.

Helluor aris atus sum. Cic. pro Domo sua: Cur ille gurges helluatus tecum simul reipublicæ sanguinem?

Quarta

Quarta classis. Caput XL.

HAec à fronte nominatiuum requirunt patientis, à tergo septimum plerunq;, interim ablatiuum cum de: perrarò autem accusatiuum cum ob, uel propter agentis. Cic. pro A. Cluent. Mater squallore filij, & sordibus lætatur. Idem pro M. Marcello: Nam lætari omnes de cõmuni salute sentio. Et pro Milone: Quid ingratius, quàm lugere eum solum, propter quem cæteri lætentur?

Lætor aris atus sum. Verũ huius quoque uerbi duæ aliæ constructiones haud dissimulandæ. Cic. ad Att. lib. xiiij. Epistola Leonidæ quid habet, quæso, in quo magnopere lætemur? Cyprianus Aser ad Rogatianũ: Quantum dolemus ex illis, quos potestas inimica prostrauit, tantum lætamur ex uobis, quos diabolus superare non potuit.

Morior eris mortuus sum. Plin. libro x. Moriuntur contumacia, spiritu reuocato. Idem libro xxxv. Propter fratris amorem morientem. Potest nihilominus uerbum hoc uel in quintam classem transferri. Cic. ad C. Cassium: D. Syllam alij mortuum à latronibus, alij crudelitate dicebant. Lucanus lib x. Quis nolit ab isto Ense mori?

Glorior aris atus sum. Huius quoque multiplex structura. Sen. Epist. lxxxvij. Qui sordido uehiculo erubescit, precioso gloriabitur. Cicero in Vatinium: De tuis diuitijs intolerantissimè gloriaris. Idem libro i. de Offic. Nobis licet in hoc quodammodo gloriari. Accusatiuo autem cum ob, uel propter

propter, nunquam legisse memini.

Indignor aris atus sum.

Stomachor aris atus sum. Cic. ad Furnium Literis tuis stomachatus sum. Horat. lib. i. Epist. Praue sectum stomacheris ob unguem.

Verecundor aris atus sum. Plaut. in Trinum. Verecundari neminem apud mensam decet.

Irascor eris iratus sum. Cic. ad Att. lib. xv. Arabioni de Sicio nihil irascor. Plautus in Pseudulo: Nunquid iratus es aut mihi, aut filio propter has res Simo?

Gratulor aris atus sum. Cœlius ad Cicer. Gratulor tibi affinitate uiri mediusfidius optimi. Cicero ad Lentulum: Quod mihi de filia & Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam. Liuius lib. v. Propter uos reipublicæ gratulor. Cic. in Verrem: Curio appellat hominem, & ei uoce maxima uictoriam gratulatur.

Quinta classis. Caput XLI.

HAec à fronte nominatiuum requirunt patientis, à tergo ablatiuum cum à, uel ab, uel è, uel ex, uel de agentis. Ouidius xv. Met. De putri uiscere passim Florilegæ nascuntur apes.

Nascor eris natus sum.

Orior eris ortus sum. Non excidit mihi, prima Mercurij nostri editione super his uerbis nos longè aliter sensisse. Verùm postea rebus multo diligentius, quàm tunc, pensitatis, eum locum nunc reuocamus, uerbaq; ista significationem habere passiuã

planè asseueramus, idq; ea potissimum ratione, quòd ubiubi alterutro istorum uerborũ uti contingit, in locum eorum uerbo gignor uti licet. Idq; adeò duobus pulcherrimis exemplis præclarũ faciam. Cic. lib. i. de Offic. Placet Stoicis, quæ in terris gignũtur, ad usum hominum omnia creari. gignuntur dixit, pro nascuntur. Aulus Gellius libro xiij Quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & iucunda. Sed quæ gignuntur statim uieta, & mollia, non matura mox fiunt, sed putria.

Sexta classis. Caput XLII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo accusatiuum cum infinito, uel clausulam. Cicero ad Lentulum: Facilè patior ea me de republica sentire, quæ reipublicæ rationibus putem conducere. Patior eris passus sum. Verbum hoc deponens passiuum esse nullo modo potest, ut plerique omnes falsò existimant: primum, quia passiua quæ sunt, ea patientem accusatiuum, quem hoc uerbum regit, neutiquam accipere possunt. Plin. Cæcil. libro Epist. iij. Rem atrocem Largius Macedo à seruis suis passus est. Deinde, quia ea figura enunciatur, qua & audio opprobria ab inuidis, & multa mala timeo ab inimicis. Quorum tamen neutrum, Grammaticè loquendo, passiuum est.

Opinor aris atus sum. Lactant. libro iij. Di. instit. Opinari te scire quod nescias, nõ est sapientis, sed temerarij potius, ac stulti.

Suspicor aris atus sum. Cicero ad Lentulum:

tulum: Valde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas.

Reor	eris	ratus sum.
Arbitror	aris	atus sum. Terent. in Eun. Gnato arbitratur Thaidem esse suam.

Septima classis. *Caput* XLIII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo infinitum, uel clausulam. Aulus Gellius lib. iiij. Multi non mediocri ingenio uiri conati sunt reprehendere multa, & obtrectare. Quadrigarius xix. Annal. Sylla conatus est, ut Archelai turrem unam incenderet.

Conor	aris	atus sum.
Nitor	eris	nisus, uel nixus sum. Hypsiphile Ouidiana: Illa reluctantē cursu deducere lunam Nititur. Cic. ad Lent. Tantum enitor, ut neq; amicis, neq; alienioribus opera, consilio, labore desim.
Dignor	aris	atus sum.
Dedignor	aris	atus sum. Columella lib. i. Maiores dedignantur parēre aduleſcentulo.
Defetiſcor	eris	ſine præterito. Terent. in Phorm. Neq; defetiſcar unquam ego experirier, donec tibi id quod pollicitus ſum, effecero. Sunt tamen, qui defeciſcor per c, non per t ſcribendum, ac pronunciandum malint.

Octaua classis. *Caput* XLIIII.

HAec à fronte nominatiuum requirunt agentis, à tergo casum cum præpositione, uel per ſe perfecta ſunt. Cuiuſmodi Ciceronianum illud lib. i. de Off.

Ludendi etiam quidam modus est retinendus, ne in aliquam turpitudinem dilabamur.

Dilabor eris lapsus sum.

Proficiscor eris fectus sum. Cic. ad C. Antonium: Omnia à me in te profecta sunt, quæ ad tuum commodum pertinent.

Emergor eris emersus sum. Cic. pro Sextio: Hominem emersum subitò ex diuturnis lustrorũ tenebris. Liuius libro i. Primum ex profunda emersus palude.

Rixor aris atus sum.

Iurgor aris atus sum.

Altercor aris atus sum.

Velitor aris atus sum.

Controuersor aris atus sum. Plaut. in Menæch. Nescio, quid uelitati estis inter uos. Cic. in Protagora: Postulo, ut inter uos de huiusmodi non controuersemini.

Tricor aris atus sum. Cic. ad Att. libro xiiij. Publius tecum tricatus est. Et libro xv. Tricatur scilicet, ut homo talis. id est, rixatur, nugas agit. Vnde Tricones, qui nugis homines remorantur, quiq; contentiones ac rixas auidius consectantur.

Digladior aris atus sum. Idem: Quid Antipater digladiatur cum Carneade tot uoluminibus?

Versor aris atus sum. Cic. pro Milone: Ante fundum Clodij mille hominum uersabatur.

Diuersor aris atus sum. Val. Max. lib. i. Tabernam, in qua is diuersabatur, petere conatus est. Cic.

est. Cic. ad Att. lib. vi. Diuersatus est Laodiceæ apud Pompeium.

Conuersor aris atus sum.

Diuertor eris, sine præterito. Plin. libro x. Milenetos conuersatur in montibus. Tacitus libro xix. In hortos, in quibus diuertebatur Saturninus, pergunt.

Congredior eris gressus sum. Hoc uel transitiuum est. Plautus in Amphitr. Hominem ne congrediamur.

Auctionor aris atus sum. Cic. pro P. Quintio: Deteriore tempore absens auctionatur.

Periclitor aris atus sum. Apuleius libro viij. Metamorph. Hic ego me potissimum capitis periclitatum memini.

Fluctuor aris atus sum. Liuius lib. xxxij. Ibi statiuis rex per aliquot dies habitis, fluctuatus est animo.

Sermocinor aris atus sum.

Fabulor aris atus sum. Porrò uel hoc transitiuum. Plaut. in Pœnulo: Ibi reliqua unà fabulabimur. Dicitur & fabulo. Idem in Milite: Ego uerò stulta, quæ cum hoc insano fabulem, quem ego capitis perdam.

Colloquor eris cutus sum.

Commentor aris atus sum. Cic. ad Sulpitiũ: Exopto te uidere, ut commentemur inter nos, quaratione traducendum sit hoc tempus. Commentari præterea est interpretari. Aulus Gellius libro iij. Sabinus

Hippocratem commentatus est.

Luctor aris atus sum. Pli. lib. xviij. Malus est ager, cum quo dominus luctatur.

Muginor aris atus sum. Cic. ad Att. libro xvi. De Ocella dum tu muginaris, nec mihi quicquā rescribis, cepi consilium domesticum. id est, dum tu mussitas, uel tarde conaris.

Vagor aris atus sum.

Palor aris atus sum. Tacitus libro xix. Qui per agros fuga palabantur, uictoriæ se miscebant.

Nidulor aris atus sum. Aul. Gell. lib. ij. Cassita nidulatur in segetibus.

Conuiuor aris atus sum.

Comessor aris atus sum. Suet. in Domitiano: Conuiuabatur frequenter, ac largè, certè non ultra solis occasum, nec ut postea comessareiur.

Ordior iris orsus sum. Plin. lib. vi. Ordiemur autem à Cappadocum gente. Hoc uel transitiuum reperitur. Papinius libro i. Thebaidos: Ordior arma.

Aquor aris atus sum. Liu. libro xxvij. Misit ad flumen, unde aquabantur.

Vrinor aris atus sum. Plin. libro xi. Eadem est caussa, quare sub aqua diu ranæ, & phocæ urinentur. id est, natent. Dicimus etiam urino. Columel. lib. viij. Sin aliter, lacus, piscinaq; manu fiant, ut sint, in quibus inurinare possint. id est, natare, uel mergere, & emergere.

Frumentor

Frumentor aris atus sum. Liu. lib. xxxi. Cũ in propinquo agro frumentarentur Romani.

Apricor aris atus sum. Plin. lib. xxxvi. Apricantur aliæ scalpentes se.

Iocor aris atus sum. Manlius libro v. Astronomicõn, Pendens iocatur in hostem.

Spacior aris atus sum. Aulus Gellius libro xi. Quando ab arbitrijs, negotijsq; otium est, spaciamur.

Peregrinor aris atus sum. Cic. pro Archia: Studia nobiscum peregrinantur, rusticantur.

Ingredior eris gressus sum. Idem ad Curionem: Qui ingredior ad explicandam rationem sententiæ meæ.

Egredior eris egressus sum. Huius uerbi multiplex structura. Tacitus lib. xij. Mithrydates castello egreditur. Idem lib. iij. Suas ipse leges egreditur. Cic. pro P. Quintio: Certos mihi fines constituã, extra quos egredi non possim. Terent. in Phorm. A fratre egressa est meo. Atque de uerbis deponentibus hæc quidem satis.

Datiuum præter ordinarios casus uerbis appositum, multiplicem afferre intellectum.

Caput XLV.

His autem ita peractis, casuum obseruationes quædam haud prætermittendæ. Datiuus præter ordinarios casus ita uerbis plerunq; accedit, ut quod ad honorem uel dedecus, quod ad laudem uel uituperiũ, quod ad utilitatem uel damnum, quod ad salutem uel

perniciem: quod deniq; ad uoluptatem, uel molestiam alicuius pertineat, id multo uenustissimè adsignificet. Quod de adductis, quæ subscripsimus, liquidò cernas licebit. Verg. in Buc. Cui pendêre sua patereris in arbore poma. Idem lib. ij. Georg. Nemorumq; Ioui quæ maxima frondet Aesculus. Rursus: Tibi res anti quæ laudis & artis Ingredior. Cicero ad A. Cæcinnã: Apud Cæsarem quicquid ualebo, ualebo tibi. Plautus in Amph. Operam hanc surripui tibi. Idem in Mercat. Tibi aras, tibi occas, tibi seris, tibi eidem metis. Verg. x. Aen. Extremaq; Lauso Parcæ fila legunt. Ibi dem: Si mora præsentis læti, tempusq; caduco Oretur iuueni. Est præterea (id quod & alij quidam annota runt) cum datiuus mihi, tibi, non magis ad me, ad te, quàm ad cæteros referatur. Quod genus Ciceronianum illud: Hic mihi gloriatur, se omnes honores sine repulsa obtinuisse. Et illud ad Att. Miseram ad te nono calend. exemplum epistolæ Balbi ad me, & Cæsaris ad eum, ecce tibi, eodem die Capuæ literas accepi à Q. Pedio. Nec non ad Varronem: At tibi repente paucis pòst diebus, cum minimè expectarem, uenit ad me Caninius.

Tempus continuatũ non semper accusatiuo, nec intermissum usq; ablatiuo, contra Non. Marcellum adsignificari. Caput XLVI.

VErùm Nonius Marcellus Grammaticus alioqui no bilissimus, haud audiendus, qui tempus perpetuum accusatiuo, intermissum septimo semper adsignificari docuit. Miror hominem tam excellenti doctrina in re tam

re tam aperta sic hallucinatum. Cic. pro Pompeio: Aliquot annos continuos populus Romanus multo maxima parte dignitatis caruit. Idē in Verrem: Tu dies continuos complures in littore, conuiuijsq; iacuisti. Hic ego te appello Noni, Si tempus continuatum accusatiuus per se notat, quid opus erat addere continuos? An ut perennitas temporis, quæ alioqui erat implicita, exprimeretur? Quid, quòd uel per septimum illud idem fit? Terent. in Adel. Sex totis mensibus olfecisse m. Val. Max. lib. i. Triennio continuo uexata est pestilentia ciuitas nostra. Vides, ut promiscuè atque indifferenter locuti sint optimi authores? Quin & tempus interpositum per accusatiuum, & perenne per septimum sine ullis adiectis annotari constat. Cic. lib. i. de Off. Te Marce fili annum iam audientem Cratippum, oportet abundare præceptis, institutisq; philosophiæ. Hic mihi quis dicat, Ciceronem filium ita continenti, & nūquam intermissa opera totum illum annum Cratippum audiuisse, ut nunquam interquieuerit, interspiraueritq;? Fieri tamen potest, ut per id loquendi genus Cicero uoluerit insinuare, Ciceronis filij multo uehementissimam audiendi Cratippi diligentiam, figurato sermone, plus rei continēte, quàm significante. Nam quòd septimus per se continuum tempus adsignificet, ostendit idem Cic. lib. iij. de Off. Scriptum à Posidonio est, triginta annis uixisse Panætium, postquàm eos libros edidisset. Et Seneca Epistol. xciij. Octoginta annis uixit, immo octoginta annis fuit.

Non rectè, nec Latinè dici, infra tres dies, pro triduo: nec infra tres annos, pro tribus annis, uel triennio. Caput XLVII.

QVod barbarè nimis plerique effutiunt, infra tres dies, infra tres annos, id rectè, Latineq; triduo, tribus diebus, intra tres dies, tribus annis, triennio, intra treis annos effertur. Cic. pro Milone: Clodius quærenti quaspe fureret, Milone uiuente, respondit, triduo illum, ad summum, quatriduo periturum. hoc est, intra tres illum dies, ad summum quatuor perituru. Idem ad Sulpitium: Lucius Paulus duos filios amisit septem diebus. id est, intra septem dies. Plaut. in Persa: Ego ualeo, neq; istò redire his octo possum mensibus. Idem in Curcul. Dimidiam partem nationum usque omnium subegit solus intra uiginti dies. Et Fab. lib. ix. Raptor, nisi intra trigesimum diem & raptæ patrem exoraucrit, & suum, pereat.

Formulæ dicendi de præterito. Cap. XLVIII.

PLautus in Bacch. Abhinc triënium ex Epheso huc ad sodalem meum literas misi. Idem in Casina: Abhinc annos factum est sexdecim, cùm conspicatus est primo crepusculo puellam exponi. Idem in Menæh. Plus triginta annis natus sum, cùm interea loci nunquam quicquam feci peius. Terent. in Phorm. Vinolentus ferè abhinc annos quindecim mulierculã compressit. Cic. in Verrem: Horum pater abhinc duo & uiginti annos mortuus est. Idem pro Rosc. Comœdo: Roscium cum Flauio decidisse. Quo tempore? abhinc

annis

annis quindecim. Plin. lib. xiiij. Septimo abhinc anno in Narbonensis prouinciæ aruo inuenta est uitis uno die defloreſcens. Aul. Gell. lib. i. Tu sermone abhinc multis annis iam desito uteris. Plaut. in Mostell. Heri nudiustertius, quartus, quintus, sextus, nunquam hic desitum est, esse, & bibi. Idem in Trinum. Nudiussextus talentum mutuum dedi. Apulcius in Apologia: Dies abhinc sextus est, cùm me insimulare cœpit.

Formulæ dicendi partim de præsenti, partim de præterito. Caput XLIX.

PLautus in Mostell. Tricēnium iam hinc abest. Idem in Mercat. Iam biennium est, cùm mecum rem ille cepit. Et in Aul. Hanc domum iam multos annos est, cùm possideo, & colo. Et in Persa: Nondum sex menses, Megaribus, huc, est, cùm commigrauit. Cic. pro Pompeio: Tertium iam annum, & trigesimū regnat. Idem pro Milone: Centesima lux est hæc, ab interitu Clodij, & opinor altera. Et pro A. Cluent. Anni sunt octo, cùm in ista meditatione uersatur. Et in Philipp. Vigesimus annus est, cùm omnes scelerati me unum petunt. Et pro A. Cluent. Neq; postea Larini punctū est temporis commoratus.

Formulæ dicendi de futuro. Caput L.

PLautus in Most. Hanc rem die craſtini, cum herus rescierit, castigabit eos. Idē in Menæch. Die septimi auctio fiet. Rursus: Mane sanè die septimi uenibūt serui, supellex. Cic. pro Rosc. Comœd. Repromittis tu ab hinc triennium Roscio?

AVGV-

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Secundus.

De aduerbijs Localibus. Caput primum.

RECENSITA (*ut arbitror*) optima uerborum parte, id consequens est negotij, de localibus, quæ proximum à uerbis non immeritò sibi locũ defendunt, quòd eorum sint determinantia, ut differamus. Aduerbia enim ob eam rem in primis adinuenta, quæ uerborum semiplenas illimitatasq; significationes ui sua compleant, ac determinent. Quæ proprietas cum omnium aduerbiorũ pro sua cuiusq; ui ex indiuiso communis est (totidem existentibus eorum speciebus, quota determinationum parte) tum uerò nullorum expressa magis, quàm quæ uerbum adstringunt ad significationem loci, ob id Localia rectè appellata.

Quid aduerbium locale, tum qui ordo eorum, postremò quot requisita ad motum localem.

Caput II.

ADuerbium locale (cur enim à definitione nõ exordiar?) est, quod determinat uerbum, impletq; significatione locali. Id prima sui diuisione sex in genera tribuitur, Vbi, quò, unde, quà, quorsum, & quouſq;. Quorum omnium primum, nempe ubi, tantum in loco, hoc est permanentiam, statumq; significat. Reliqua cuncta motum, sed alio & alio modo. Nimirum

quò

quò motum ad locum. Vnde, motum de loco. Quà, motum per locum. Quorsum uero, & Quo usq;, non alium motum à quò, nisi quòd eundem quodam modo adauctum, limitatumq; ostendunt: propterea quòd illud significat quò et uersum, hoc quò & usq;. Ex quo facile colligitur, omnia aduerbia localia uel statum significare, uel motum. Quæ duo principia utrunq; alteri opposita Pythagoras ille Samius, authore M. Varrone, perspectè admodum atq; enucleatè & nouit, & distinxit. Omnium (inquit) rerum bina sunt principia, finitum & infinitum, bonum & malum, & alia id genus. Verum ubi cur primum sibi locum adsciscit? Nimirum, quia omnis motus localis fit de statu ad statum, de loco ad locum. Sunt enim omnibus in rebus, inquiunt Platonici, principia, sunt et fines. Huic quò proximè succedit, quòd omnis actio ac motus fit propter finem. Sicut enim ubi habet rationē principij, ita quò habet rationem finis. Vnde præterea, quoniam nullus fiat accessus, nisi facto recessu Quà postremum sibi locum defendit, quando nullus potest itus fieri, nisi per congruum medium. Verùm ad motum localem, authore eodem M. Varrone, quatuor omnino necessaria, nempe locus, corpus, actus, & tempus. Principiò locus exigitur, ut fundus & fundamentum totius motus. Nā alioqui unde localis diceretur? Dein corpus, propterea quòd per locum nihil, nisi res corporea moueri queat. Tertiò actus. Quò enim mihi locus & corpus, nisi hoc per illum agatur? Postremò tempus, ut nullius non motus mensura.

Quatuor

Quatuor modis unumquodq; prædictorum generum in oratione usurpari. Caput III.

EST autem prædictorum sex generum apud omne genus authores quadruplex usus. Aliàs cernere est interrogatiuè posita, scilicet cùm per ea quempiam rogamus. ut cum Terent. in Adel. Vbi est ille Milesius? Et Plinianum lib. Epist. iiij. Studes tu, inquã? respondit, etiam. ubi? Mediolani. Aliàs relatiuè, cùm certus aliquis locus antecedens suo nomine expressus repræsentatur. Cic. ad Att. lib. iij. Oro, ut Vibonem uenias, quò conuerti iter meum. Horat. lib. i. Serm. Tẽdimus hinc rectè Beneuentum, ubi sedulus hospes. Aliàs redditiuè, cum aliqua duo aduerbia relatiua, mutuò sese referentia, eundem locum indiscretè, infinitèq; adsignificant. Quod genus Ciceronis illud ad Appium: Non modo ibi non fuisti, ubi me quàm primum uidere posses: sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem triginta diebus possem. Postremò infinitè, cum nullum determinatè locum dicimus, sed perinde ac omnium locorum ignari, & tanquam hæsitabundi nihil amplius effamur, quàm quod nescimus. Quale Terentianum illud in Eun. Nescio unde eam. Et Ciceronianum ad Att. lib. vij. Quã aut terra aut mari persequar eum, qui ubi sit, nescio?

Quo differant hic, istic, illic. Adhæc quæ aduerbia duo sibi uerba requirant.

Caput IIII.

SEDENIM hic, istic, illic plurimum inter se differunt. Nam hic significat, ubi ego sum: istic, ubi tu es: illic, ubi

lic, ubi aliquis est. Prorsus ut hic locum personæ primæ, istic secundæ, illic tertiæ omnino commonstro. Cic. ad Appium: Illud enitere, ne quid temporis prorogetur nobis, ut cum tibi hic satisfecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Terent. in Eun. Mater mea habitabat Rhodi, ea illic mortua est. Quam differentiam pariter seruant & reliqua aduerbia ab hic, iste, & ille pronominibus deducta, quemcunq; motum significent. Quid ita? Nimirũ quia hic personam dicentis demonstrat, iste audiẽtis, ille ad tertiam semper refertur. Terent. in Hecyra:

Ehcu me miseram, cur non aut istæc mihi
Actas & forma est, aut tibi hæc sententia? Istæc, id est, tua: hæc, id est, mea. Verg. iiij. Aen.
Ille meos primus, qui me sibi iunxit amores
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro. ille, id est, Sichæus. Est tamen, cum superior differentia nonnunquam fallit. Terent. in Adel. Vbi eò ueneris, Cliuus deorsum uersum est, hàc te præcipitato. hàc, id est, illàc. Aemilius in Pausania: Domum redijt, hùc ut uenit, in uincula coniectus est. Terent. in Phorm. Concede hinc à foribus paululum istorsum sodes Sophroua. istorsum, id est, illorsum. Aul. Gell. lib. xvij. Philosophus Taurus accipiebat nos Athenis cœna plerunque, ad id diei, ubi iam uesperauerat: id enim est tempus istic cœnãdi frequẽs. istic, id est, illic. Quid quòd pronomina etiam ipsa idem faciunt? Terent. in Andr. Prorsus à me opinionem hanc tuam esse amotam uolo. Cic. ad Appium: Mirificam cepi uoluptatẽ ex hac

tua dili-

tua diligentia. Idem ad Lentulum: Atq; istam quidem partem uitæ, consuetudinisq; nostræ totam ad te defero. Sed quid est causſæ, cur composita cum si, ne, geminantia, & assumentia cumq;, qualia sicubi, necubi, ubiubi, & ubicunq;, & alia itidem composita duo sibi uerba requirant? Nempe quia si, & ne coniunctiones sunt causſales, quibus id insitum à natura, ut tam compositæ, quàm separatæ uerbum sibi tributum suſpendant, orationemq; minimè absoluant. Geminata uero, & assumentia cunq;, quia relatiuum includunt. Plin. lib. ix. Enecantur, sicubi flumini immerguntur. Suet. in Auguſto: Necubi lectorem obturbaret, coniunctiones iterare non dubitauit. Plaut. in Casina: Vbiubi sunt, duplici damno mulctant. Cic. ad Attic. lib. xij. Vbicunq; sum, illa sunt mecum. Necubi tamen absolutū interdum legitur. Varro lib. ij. Rerum ruſt. Itaque faciunt lapide strata, ut urina necubi in stabulo cōsiſtat. Colum. lib. ij. Grumos diſſipabimus, ita, ut necubi ferramentum fœniſecæ poſſint offendere. necubi, id est, nullibi, uel nuſquam.

De aduerbijs in loco. *Caput V.*

NVnc singulorum generum sua cuiusq; familia ex optimo ac probatiſſimo quoq; latinitatis authore collecta nobis recēſenda. Id quod compendij causſa ſemel admoniſſe, sit abunde & satis. Singula nanque huiuſmodi uelle singulis exemplis fulcire, præter quàm quod minimè precium est operæ, uel plurimum faſtidij ſuapte natura legentibus aggereret. Recenſenda autem, non quò exiſtimem ea uel mediocriter literatis

literatis non esse satis manifesta, sed ut quæ recepta, ac maxime latina obseruauimus, hic in suas classes, uerbis etiam adhibitis, digereremus. Quare hic, istic, illic, intus, foris, ibi, inibi, ilico, ibidem, interibi, alibi, uel aliubi, alicubi, usquam, uel uspiam, nonnusquam, sicubi, necubi, nuncubi interrogatiuum, nullibi, uel nusquam, peregre, passim, ubiq;, nusquam non, ubiuis, uel ubilibet, utrobiq;, neutrobi, ubiubi, uel ubicunq; referuntur ad ubi: quibus accedere possunt intra, extra, infra, supra, ultra, citra, ante, & post, tam præpositiones, quàm aduerbia. Verbisq; in loco significantibus adhærent, qualia quæ subscripsimus.

Sum	*es*	*fui.*	
Maneo	*es*	*mansi*	*mansum.*
Habeo	*es*	*bui*	*itum.*
Habito	*as*	*aui*	*atum. Plautus in in Menæh. Geminus, qui Syracusis habet, hodie in Epidamnum uenit. Terentius in Adelph. Nam is habitat Mileti.*
Hyemo	*as*	*aui*	*atum.*
Hyberno	*as*	*aui*	*atum.*
Aestiuo	*as*	*aui*	*atum. Cic. pro M. Fonteio: Pompeius hyemauit in Gallia. Varro lib. ij. Rerum rust. Nam mihi greges in Apulia hybernabant, qui in Reatinis montibus æstiuabant.*
Exulo	*as*	*aui*	*atum.*
Diuertor	*eris,*	*sine præterito.*	
Diuersor	*aris*	*atus sum. Apul. lib. i. Met. Ini bi iste Milo diuersatur.*	

Moror	aris	atus	sum.
Negotior	aris	atus	sum. Cic. pro A. Cluentio: Neq; postea Larini punctum est temporis commoratus. Idem ad Seruium: Qui Heli negotiatus est. Et pro Pompeio: Homines industrij in Asia negotiantur.
Philosophor	aris	atus	sum.
Villicor	aris	atus	sum.
Rusticor	aris	atus	sum. Terent. in Hecy. Hic uillicor ante urbem. Cic. pro Archia: Studia nobiscũ rusticantur. Postremò, ne singula enumeremus, huc faciunt omnia, quotquot motum localem non significant. Qualia, doceo, amo, studeo, nascor, & alia id genus sexcenta.

De aduerbijs ad locum. Caput VI.

HAec aduerbia, huc, uel hòc, istuc, uel istò, illuc, uel illò, intro, fòras, eò, cõdem, aliò, aliquò, quóquam, uel quópiam, usquam, uel uspiam, siquò, nequò, uel nequóquam, nusquam, peregre, quóuis, uel quólibet, utrò, utróq;, neutrò, quoquò, & quócunq;, referuntur ad quò: & uerbis motum ad locum significãtibus adhærent. Qualia hæc, & alia:

Eo	is	iui	itum.
Adeo	is	iui	itum.
Vado	is,	sine præterito, & sup.	
Tendo	is	tetendi	tensum.
Venio	is	ueni	uentum.
Accedo	is	acceßi	ceßum.
Concedo	is	ceßi	ceßum.

Commeo

Commeo	as	aui	atum.
Pergo	is	perrexi	perrectum.
Mitto	is	misi	missum.
Migro	as	aui	atum. Est tamen, uerbum hoc cũ uim habet transitiuã. Aul. Gell. lib. ij. Casita nidum migrauit. id est. transtulit. Hic alioqui duo intelligenda. Vnum, nihil prohibere, quo minus unum & idem uerbum multipliciter determinetur, & ad diuersa pariter adstringatur. Plaut. in Trinum. Ibit istùc, aliquò, in maximam malam crucem, latrocinatum, aut in Asiam, aut in Ciliciam. Alterum, adiuerbijs nomina idem loci significantia, nimirum tollendæ ambiguitatis caussa, interdum adiungi. Liu. lib. xxx. ij. Eódem, Adramyttuem, ut urbi præsidio essent, nauibus circunuecti Aemilius & Eumenes uenerunt.
Nuncio	as	aui	atum. Cic. pro Sexto Rosc. Primus Ameriam nunciat Manlius.
Curro	is	cucurri	cursum. Liu. libro x. Ad suos tuendos ab Romanis procursum est.
Diuerto	is	uerti	sum.
Declino	as	aui	atum.
Deflecto	is	exi	exum. Apuleius libro viij. Met. Seruus possessionem illam, in quam diuerteramus, uillicabat. Cic. lib. i. de Legib. Ego huc declinabam non inuitus. Tacit. lib. iij. Deflexit ad maritimos locos.
Redeo	is	iui	itum.
Repedo	as	aui	atum.

Reuertor	eris	uersus sum.
Regredior	eris	gressus sum.
Ingredior	eris	gressus sum.
Proficiscor	eris	profectus sum.
Grassor	aris	atus sum. Sallust. in Iugur. Qui ubi ad gloriam, uirtutis uia grassatur. id est, tendit, proficiscitur.

De aduerbijs de loco. Caput VII.

HAec aduerbia, hinc, istinc, illinc, intus, foris, inde, ininde, indidem, aliunde, alicunde, sicunde, necunde, superne, inferne, passim, undiq;, cœlitus, peregre, undeuis, uel undelibet, utrinque, undeunde, & undecunq;, referuntur ad unde. Et uerbis motum de loco significantibus adhærent. Qualia hæc, & alia:

Venio	is	ueni	uentum.
Eo	is	iui	itum. Terentius in Eun. Nescio unde eam. id est, ueniam.
Cedo	is	cessi	cessum.
Recedo	is	cessi	cessum.
Discedo	is	scessi	scessum.
Migro	as	aui	atum.
Abeo	is	iui	itum.
Digredior	eris	gressus sum.	
Proficiscor	eris	profectus sum. Cic. pro Pompeio: Ipse à Brundusio profectus est.	
Do	as	dedi	datum. Verbũ hoc locum, unde literæ ueniũt, bifariam signat. Aliàs per modum in. Cic. ad Plancum: Binas à te accepi literas Corcyræ datas. Aliàs per modum ex. Idem ad Att. libro v.	

brov. Dederam Epheſo pridie, has dedi Trallibus. Et *lib.viij*. Ego ad Cæſarem unas Capua literas dedi.

Abſum es abfui.

Diſto as diſtiti diſtatum. Cic. pro A. Cluent. Natus Teani Apuli, quod abeſt à Larino xviij. millia paſſuum. Plin. lib. vi. Mille millibus paſſuum ab Alexandria abeſt oppidum Iuliopolis. Liu. lib. xxx. Zama quinq; dierũ iter ab Carthagine abeſt. Plin. libro vij. Gens Medimnorum appellata, abeſt ab Oceano dierum itinere xx. Plancus Ciceroni: Ventidius bidui ſpacio abeſt ab eo. P. Lentulus populo Romano Caſſium quatridui iter à Laodicea abfuiſſe. Eodem modo conſtruitur & diſto.

De aduerbijs per locum. Caput VIII.

HAec aduerbia, hàc, iſtàc, uel iſtà, illàc, uel illà, eà, eádem, alià, aliquà, uel aliquápiam, ſiquà, nequà, quáuis, uel quálibet, utráq;, neutrà, quaquà, & quácunq;, referuntur ad quà. Et uerbis motum per locum ſignificantibus adhærent. Qualia hæc, & alia:

Tranſco is iui itum. Habeo iter. Facio iter. Terent. in Eun. Hàc iter habui. Cic. ad Atticum lib. v. Iter Laodicea faciebam. Idem ad Qu. Metellum: Qui hàc iter faciebant, animum tuum immutatum ſignificabant.

Quæro is quæſiui itum. Tacit. lib. v. Quæſitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam ac Siciliam carminibus Sibyllæ.

Hyberno as aui atum. Idem lib. xv. Petus per Cappadociam hybernauit.

Decedo is cessi cessum. Cic. ad Appium: Cum per Asiam decedam.

Mano as aui atum. Valer. Max. libro vi. Quod sequitur, per totum terrarum orbem manauit.

Circuncurso as aui atum. Terentius in Heaut. Hàc illàc circuncursa, inueniendum est tamen argentum.

Veho is uexi uectum. Tacitus lib. ij. Germanicus Nilo subuehebatur.

Persequor eris cutus sum. Cic. ad Att. libro vij. Quà aut terra, aut mari persequar eum?

Vagor aris atus sum.

Palor aris atus sum. Plin. lib. xxvi. Sensit et facies hominum nouos morbos, tunc quoq; nec tota Italia, nec per Illyricum, Gallias ue, aut Hispanias magnopere uagatos.

Duco is duxi uctum.

De aduerbijs ad locum uersus. Caput IX.

HAec aduerbia, horsum, istorsum, illorsum, aliorsum, aliquorsum, siquorsum, nequorsum, sursum, deorsum, dextrorsum, læuorsum, sinistrorsum, utroq; uersum, rursum, prorsum, retrorsum, introrsus, quoquò uersus, quaquàuersus, quorsunquorsum, & quorsumcunque, plura non legi, referuntur ad quorsum. Et uerbis motum ad locum significantibus adhærent. Qualia, uado, curro, nauigo, & alia id genus.

De

De aduerbijs usq; ad locum. Caput X.

HAec aduerbia, hucusq;, istucusq;, uel istóusq;, illucusq;, uel illóusq;, eóusq;, aliquousq;, introusq;, & frasusq;, plura non uidi, referuntur ad quóusq;. Et uerbis motum ad locum significantibus adhærent. Qualia, eo, proficiscor, & similia.

Obseruata in aduerbijs localibus. Caput XI.

QVo propius latinitatem ipsam intueor, hoc magis perspicio, eam aliud nihil ferè esse, atq; certum loquẽdi modum. Id cùm alia pleraq; mihi probant, tum cùm optimi authores dicunt, ubi gentium, ubi'nam gentium, usquam gentium, nusquam gentium, ubiubi gentium, ubiuis gentium, ubi terrarum, ubi loci, ubicunque terrarum, quò gentium, quò locorum, quò terrarum, aliquò terrarum, quoquò gentium, quoquò terrarum, unde gentium, undiq; uorsum, & id genus. Quæ omnia apud Plautum, Terentium, Ciceronem, Horatium, Liuium, & Aul. Gellium, prudentissimos latinitatis architectos cernere est. Quid, cùm dicunt, sursum uersum, deorsum uersum? Nam aliquò uersum, aliò uersum, dextrò uersum, & alia id genus, resoluta sunt: quæ composita, aliquorsum, aliorsum, dextrorsum efferuntur. Super hæc, usq;, non semper motui ad locum inseruit. Quando ijdem excellentissimi authores usurpant, usq; à campis ultimis, usq; à stirpe, usq; è Persia, usq; ex unguiculis, ex Aethiopia usq;, usq; à mari supero, usq; ab Diano, usq; à Romulo, usq; à proauis, ab usq; Pachino, usq; istinc. Quod ultimum Ciceronianũ est. Reliqua cùm apud eundem,

tum apud Plautum, Terentium, & Vergilium reperire est. Ne illud quidem prætermittendũ, cum dicunt, usq; ad pridie calendas maias, usque ad pridie nonas maias, ex ante diem nonarum, usq; ante diem quinto calendas maias. Quæ omnia cum arbitrio scriptorũ in primis dicta sint, nimirum consequor, latinitatem authoritate, usuq; magis, quàm ulla certa ratione constare.

Nomina aduerbialiter posita, non fieri aduerbia, contra Donatum ac Seruium, atq; inibi, quid sit aduerbialiter poni.

Cap. XII.

NOn patiar amplius te Donate, bonis studiosisq; imponere. Nam quæ (malum) impudentia ista est, ut ipse turpissimi erroris conuincẽdus, alios bene sentientes imprudentiæ condemnes? Sunt (inquis) aduerbia loci, quæ imprudentes putant nomina. In loco, ut sum Romæ: de loco, ut Roma uenio: ad locum, ut Romam pergo. Euge: Verùm tu Romæ, Roma, Romam unde aduerbia cẽses? Naturà? Nihil minus. Nam quis compos mentis hoc effutiat? Igitur officio, uel functione aliqua. Quo quid aliud nobis accipiendum, quàm quòd nomina plerunq; ita funguntur officio aduerbij localis, ut uerbum ijs perinde atq; ipsis aduerbijs adstringatur ad significationẽ loci? Etenim istuc tandem est propriè aduerbialiter poni, uel fungi uice aduerbij, uel esse instar aduerbij, quod idem est: nempe cum nomina determinant uerbum ad significationem loci. Id quod est propriũ aduerbij localis. Num nam igitur

igitur nomina isto modo fiunt aduerbia? At hoc tam falsum est, q̃ quod falsissimum. Dic (obsecro te) Donate, cum Cic. pro L. Flacco: Hæc Athenis, cum illæ prope cunctis gentibus eminebant, accidere sunt solita. Item ad P. Lentulum: Te cum classe atq; exercitu proficisci Alexandriam, ut eam cum pace præsidijsq; firmaueris. Necnon ad Trebatium: Nisi antea Romà profectus esses, nunc eam certè relinqueres. Et Lentulus Ciceroni: Laodiceam, quæ est in Syria, se contulit. Et Liu. lib. i. Velitras exercitus ductus, eæ quoq; expugnatæ. Dic, amabo te, si Athenis, Alexandriam, Romà, Laodiceam, Velitras, per te sunt aduerbia loci, hæc relatiua, illæ, eam, quæ, eæ, cui tandem antecedenti in genere & numero respondent? Quid cum Cic. ad Att. lib. xvi. Malo cum timore domi esse, quàm sine timore Athenis tuis. Liu. lib. xxix. Scipio Syracusas nondum trãquillas uenit. Et Plin. lib. v. Tertius Apameam uadit antè appellatam Celenas. Hic suum cum unoquoq; istorum coniunctum adiectiuum nónne satis ac super ostendit, Athenis, Syracusas, Apameam esse nomina? Nec est quòd eò confugias, ex aduerbijs nomina esse facta propter adiectiui applicationem, cum Seruius Honoratus tuæ istius opinionis maximus assertor ac propugnator, Vergilianũ illud quarto Aeneidos exponẽs, Tyria Carthagine qui nũc Expectat: mordicus teneat, Carthagine uel applicito adiectiuo esse aduerbium loci. Cum tamen adiectiuum Tyria (uelit nolit) conuincat esse nomen. Alioqui adiectiua illa, tuis, trãquillas, appellatam, Tyria, quibus

tandem ſubſtantiuis in genere, numero, & caſu reſpõdent. ſi Athenis, Syracuſas, Apameam, Carthagine, aduerbia ſunt localia? Vides Donate, quàm petulanter te geſſeris, quamq; abſurda, minimeq; ſibi conſentanea tradiderint omnes tuæ factionis Grammatici? Errore igitur tuo iſto, atq; adeò cunctorũ tecum idẽ ſentientiũ, ad hunc modum confutato, ſtudioſi prius quàm de nominibus aduerbialiter poſitis præcipiamus, quadruplicem hanc ueritatem in pectus altè demittant, firmißimeq; teneant. Primùm: nomina cum uice funguntur aduerbiorum, non tranſire in aduerbia, ſed nomina indubitatò remanere. Alterum: nomina cum localium munere funguntur, arbitratu noſtro poſſe præpoſitiones accipere. Tertiò: illos mirum in modum ineptire, qui præpoſitionis adiectione ſolœciſmum in his fieri putant. perinde quaſi aut ratio ulla obſtet, aut optimus dicendi magiſter Vſus, adhæc plurima, eaq; receptißima probatißimorum ſcriptorum authoritas, contra illos (ut mox patebit) à nobis ſtans, non longè aliud nobis & ſuadeat & præſcribat. Poſtremò, nomina bifariam aduerbialiter poni: aliàs cum præpoſitione, aliàs citra. Quandoquidem uerbum non minus determinatur ad ſignificationem loci, ſi dicam, ſum in Roma, uado ad Romam, uenio è Roma: quàm ſi dicam, ſum Romæ, uado Romam, uenio Romà. Magno illorum errore, qui illa nominaliter poni, hæc aduerbialiter contendunt. Non iuerim tamen inficias, hoc diſcriminis eſſe, cum præpoſitione uno modo tãtum aduerbialiter poni: nempe quia

duntaxat

duntaxat uerbum determinant ad significationem loci. citra uero præpositionẽ, duobus modis: primum, quia uice fungũtur aduerbiorum: deinde, quia ponuntur absolutè, nimirum quia non magis reguntur à uerbo, quàm si ipsissima essent aduerbia. Et ut distinctius institutum nostrum prosequamur, totum hoc nominũ genus duas in partes mihi tribuendum est. Sint igitur alia propria urbium, oppidorum, uicorum: alia prouinciarum, insularũ, regionum, fluminum, montium, hominum, & appellatiua locorum.

De nominibus in loco. *Caput XIII.*

PRimi igitur generis nomina iuncta uerbis in loco significantibus, si primæ sint, uel secundæ inflexionis, ponuntur in genitiuo. Cic. ad Appium: Cum Laodiceæ, cum Apameæ, cũ Philomeli, cum Iconij essem, omnes iam legationes erant constitutæ. Nonnunquã in ablatiuo cum præpositione in. Plautus in Epid. In Epidauro paupercula memini me comprimere. Idem in Bacch. In Ephesо est. Terent. in Phorm. In Lemno clam uxorem duxit. Cic. ad Att. lib. viij. Nauis & in Caietta est parata nobis, & Brundusij. Iulius Obsequens de Prodigijs: In Numantia res male gestæ. Ni fallor, uel in septimo. Plaut. in Merc. Video hominem Zacyntho Rursus: Hospes respondit, Zacyntho ficos fieri nõ malas. Cæs. lib. iij. Ci. bel. Caluidius præsidijs Cydone & Naupacto relictis, omni Aetolia potitus est. Iust. lib. xx. Et Corintho et Lacedæmone nũciata est uictoria. Sin uero sint tãtũ pluraliter declinata, uel tertiæ declinatiõis, ponũtur in septimo. Cic. ad Sulp.

Commendo

Commendo tibi domum eius, quæ est Sicyone. Fabius lib. iij. Minus Lacedæmone studia literarum, quàm Athenis honoris merebantur. Vel in datiuo, sed parcius. Cic. ad Att. lib. xvi. Sextum nunciatur fuisse Carthagini. Plaut. in Pseud. Necesse est hodie Sicyoni me esse. Possunt hæc uel in ablatiuo cum præpositione in. Val. Max. lib. i. Simonidi cœnanti apud Scopam in Cranone, quod est in Thessalia oppidum, nunciatũ est. Secundi uero generis nomina ponuntur in ablatiuo, uel accusatiuo cum præpositione. Quale, exulaui in Gallia, negotiatus sum in oriente, in Corcyra literas tuas accepi, urinantur phocæ sub aqua in Tyberi, moratus sum in Olympo, spectaui fabulas cum Cæsare, uel apud Cæsarem, in theatro. Nomina tamen insularum, & prouinciarum, in genitiuo nonnunquam ponuntur. Cic. ad Att. libro v. Cum Corcyræ epulati essemus hilarem in modum. Varro lib. i. Rerum rust. Cretæ dicitur esse platanus, quæ folia hyeme nõ amittat. Aemilius in Chabria: Conon plurimum Cypri uixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi. Cic. in Verrem: Siciliæ cum essem. Val. Max. lib. iij. Bibulus duos egregiæ indolis filios suos à Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit. id est, in Aegypto.

De nominibus ad locum. Caput IIII.

Nihil ferè mihi occurrit præcipiendum, in quo aliqua falsa Grammaticorum opinio non mihi pariter sit refellenda. Vt qui longè aliud esse affirmant, uado ad urbem, atq; uado in urbem. Propterea quòd illud proximum urbi locum, hoc ingressum in urbem adsignificet.

adſignificet. In quibus refutandis, non eſt quòd multũ immoremur. An cum Cicero Tyroni ſcribit, Magni ad honorẽ noſtrum intereſt, quàm primùm ad urbem me uenire: tantus ille author ita ſenſit, ut propè tantum urbem, non autem in urbem uenire, tanti ſua intereſſe putaret? Rurſus cùm ad eundem, Equidem ut ueni ad urbem, non deſiti omnia & ſentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: num hæc omnia Cicero nõ intra urbem, ſed extra peregit? Hæc tamen differentia ut plerunq; falſa eſt, ſic nonnunquam uera. His ergo confutatis, noſtrum ad propoſitum reuertamur. Prioris igitur generis nomina iuncta uerbis motum ad locum ſignificãtibus, ponuntur in accuſatiuo tam cum præpoſitione, quàm ſine. Liu. lib. xxi. Annibal Sagunto capto, Carthaginem nouam in hyberna conceſſerat. Plaut. in Menæch. Geminus in Epidamnum uenit. Cic. ad Att. lib. viij. Ad Capuam, uel ad Luceriam iturus erat. Ibidem: Ne citius ad Brunduſium, quàm opus ſit, acceſſerit. Idem in Philipp. Exercitus profectus ad Mutinam eſt. Cæſar lib. Ciuil. bel. Ad Illerdam proficiſcitur. Alia exempla huiuſmodi ſexcẽta breuitatis cauſſa prudens prætereo. Sequentis autem generis, ponuntur in accuſatiuo cum præpoſitione ad, uel in. Quod genus, eo in Ciliciam, proficiſcor in Cretam, pergo in Venetiam, gradior ad Tyberim, ſubeo in Auentinum, uado ad Cæſarem, in Capitolium. Nominibus tamen inſularũ & prouinciarum præpoſitio nonnunquam ſubtrahitur. Cic. ad Att. lib. xi. Filius Corcyram uenit. Idem

pro

pro Pompeio: Siciliam adijt, inde Sardiniam uenit. Et in Verrem: Cum legati ad C. Neronem Asiam Samo uenissent. Tacitus lib. ij. Germanicus Aegyptum proficiscitur. Aemilius in Datame: Artaxerses Androphrodatem Cappadociam mittit.

De nominibus de loco. Caput XV.

NEc error illorum dissimulandus, qui non unum esse contendunt, ex theatro uenio, & à theatro uenio. Quando qui ex theatro se dicit uenire, ex ipso theatro plane uenit. At qui à theatro, non ex ipso theatro, sed ex loco illi proximo sese uenire fatetur. Mirum, unde tanta hominum superstitio. Somnium igitur somniauit Liuius, tãtus ille author latinitatis, cum lib. xxxvij. scriptum reliquit: Sub idem tempus & ab Trallibus, & à Magnesia, & ab Ephesо legati ad dedendas urbes uenerunt: si non ex ipsis urbibus tot inclytæ legationes, sed proximis è locis uenerũt. Quin omissis istorum nugacissimis nugis, institutum nostrum prosequamur, dicamusq; primi generis nomina iuncta uerbis motum de loco significantibus, in ablatiuo tam cum præpositione poni, quàm sine. Cic. ad Terentiam: Brundusio profecti sumus. Idem pro Pompeio: Ipse à Brundusio profectus est. Idem in Philipp. Recedat è Mutina. Cæsar lib. Ciuil. bel. Ex Cingulo legati ueniunt. Liuius lib. iiij. Ab Tusculo legati uenerant. Idem lib. xxvij. Lælius redierat ab Roma. Huiusmodi exemplorum referta sunt authorum uolumina. Posterioris autem generis, ponuntur in ablatiuo cum præpositione à, uel ab, uel è, uel ex, uel de.

Cuiusmodi,

Cuiusmodi, redeo ex Macedonia, è Cypro, ab Insubria, à Tyberi, ab Olympo, à Cæsare, de theatro. Præpositio tamen prouinciarũ nominibus interdum subducitur. Cic. ad Atticum libro ix. Si Gneus Italia cedit. Tacitus lib. i. Caium remeantem Armenia mors abstulit.

De nominibus per locum. Caput XVI.

PRimi insuper generis nomina iũcta uerbis motum per locum significantibus, ponuntur tam in septimo, quàm in accusatiuo cum per. Curtius lib. vi. Miletо transierant. Cic. ad Att. lib. v. Iter Laodiceam faciebam. Liu. lib. xxxi. Terrestres per Megaram excursiones non fiebant. Aemilius in Pelopida: Phœbidas cum iter faceret per Thebas, arcem occupauit. Plin. Cæcil. lib. Epist. vij. Hic nunc proconsule prouinciã Bethycam per Ticinum est petiturus. Secundi uerò generis, in accusatiuo cum præpositione. Vt per Lycaoniam iter sum facturus, per occidentem, per Samum, per montem Amanum, præter Euphratẽ, iuxta oppidum Iuliopolim. Prouinciarum tamen, ac fluminum nomina, adhæc appellatiua locorum, possunt uel in septimo. Plin. lib. xxvi. Nec tota Italia uagatos. Liuius lib. xxi. Omnes clausi undiq; commeatus erant, nisi quos Pado naues subueherent. Idem lib. xxviij. Philippus seu terra, seu mari obuiam eundum hosti fo ret, ipse Demetriadem ad mare descendit. Et libro xxxviij. Pars maior dextera læuaq; palati, quà quenque impetus tulit, fugerunt. Val. Max. lib. i. Mœnibus nostris, & finitimis regionibus, quæ adhuc retuli, quod

quod sequitur, per totum terrarum orbem manauit. Terent. in Phorm. Qua quærere insistam uia? Sed longiores futuri simus, si quotquot de appellatiuis ad duci possunt, recensеamus.

De nominibus ad locum uersus. Cap. XVII.

SVperioris alioqui generis nomina iuncta huic aduerbio uersus, eoq; semper postposito, ponuntur in accusatiuo tam cum præpositione, sed rarius, quàm sine. Cic. ad Att. lib. xvi. Verti me à Minturnis, Arpinum uersus. Hircius de bel. Alexand. Ad Cordubam uersus iter facere cœpit. Posterioris autem ponuntur in accusatiuo eũ præpositione. Quod genus, ad Germaniam uersus eo, ad Ausoniam uersus nauigo, ad Siciliã uersus pergo, ad Tyberim uersus curro, ad Auentinum uersus tendo, ad Capitolium uersus iter habeo. Horum tamen nonnullis præpositionem tollere licet. Cic. lib. Epist. iij. Amanum uersus profecti sumus. Et lib. iiij. Italiam uersus nauigaturus erat.

De nominibus usq; ad locum. Cap. XVIII.

PRincipalis demum generis nomina iuncta huic aduerbio usq;, siue antecedat, siue sequatur, ponuntur in accusatiuo tam cum præpositione, quàm sine. Cic. pro Deiot. Vsq; ad Numantiã misit. Idem ad Appium: Vsq; ad Iconiũ iter fecerim. Liu. lib. ij. Dimißis passim ad frumentum coëmendum usq; ad Cumas. Secundarij autem ponuntur in accusatiuo cum præpositione ad, uel in. Cic. pro Pompeio: Vsq; ad Hispaniã legatos misit. Rursus, Vsq; in Pamphiliam. Vsq; tamẽ (uti iam docuimus) interdum etiam uerbis motum de

loco

loco significatibus adhæret. Quale etiam Plinianum illud in Paneg. Te ab Hispania usq; exciuerat.

Obseruata in aduerbialiter positis.

Caput XIX.

SVnt postremò obseruata in huiusmodi nominibus haud prætermittenda. Primum loca sacra (quibus tamen uel templum, uel ædes, uel fanum, uel quid simile pro exigentia præpositionis semper subintelligitur) mirum, in relatione sui, ut eclipsim adament. Plaut. in Bacch. Sacerdos est in Dianæ Ephesiæ. Terent. in Adel. Vbi ad Dianæ ueneris. Cic. ad Q. Fr. Senatus ad Apollinis fuit. Rursus: Ad Apollinis senatusconsultum factum est. Liu. lib. iiij. In linteis libris ad Monetæ inuentis. Appellatiuorum tria sunt, quæ uerbis in loco significantibus iuncta, ponuntur in genitiuo, ut propria, militiæ, belli, humi. Cic. pro Pompeio: Non sum prædicaturus, quantas ille res domi, militiæq; gesserit. Liu. lib. iij. Consulum magna domi, belliq; eo anno gloria fuit. Plin. lib. x. Accipitres totius Maßiliæ humi fœtificant. Colum. lib. viij. Curãdum, ne humi maneant. Verùm ut serpo humi dixeris, non ita serpo terræ, sed per terram. Plinius lib. xxi. Humi serpat. Inibi: Caules per terram serpant. Poëtæ septimo etiam utuntur. Ouid. lib. x. Met. Et requieuit humo. Idem lib. i. Fast. Quieuit humo. Domus & rus numero singulari nullam non propriorum normam sequuntur. Quanquam domus ad locum, numero etiam multitudinis. Cic. ad Põtifices: Reliquias, suas domos comportarũt. Tacit. lib. v. Cæteri domos abeunt. Rus

præterea in loco ponitur tam in septimo, quàm in dativo. Cicero ad Atticum libro xiij. Rure esse arbitror. Tibullus libro ij. O ualeant fruges, ne sint modo rure puellæ. Martialis libro iiij. Rure manens quid agam? Terentius in Phorm. Ruri sese continebat. Postremò sicut Latinè dicimus, sum domi meæ, tuæ, suæ, nostræ, uestræ, & alienæ. Quale Plautinum illud in Epid. Quid tibi negotij est meæ domi? Et Ciceronis ad Marcellum: Non ne mauis sine periculo domi tuæ esse, quàm cum periculo alienæ? Perinde licet, sum domi Cæsaris, domi amicorũ. Vt cum idem Cicero pro Aul. Cluent. Huius domi est mortuus. Et in Verrem: Multi domi Gn. Calidij cum imperio fuerunt. Quæ omnia quidem nomina, scilicet humus, bellum, militia, domus, & rus, non perinde tamen his regulis obnoxia sunt, ut non suo iure, hoc est, ut in morem appellatiuorum plerunque non construantur. Atq; de aduerbijs localibus, instarq; localium hæc quidem satis.

AVGV-

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS *Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Tertius.*

De impersonalibus. Caput primum.

ET bonam Latinitatis partem Impersonalia sibi uendicant. Quæ summa cum diligentia ni per nos teterrimis è tenebris, ac situ inueteratæ, ac deploratæ illius ignorantiæ tandem aliquando in lucem redimantur, haud causſa est, quin de literis peßimè dici meritus uelim. Quid enim uerba hæc non modò ſuſcipiam, uerùm etiam & exoſculer & amplectar: quando ſine his ſplendor ille diuinus latinitatis haud conſiſtere poteſt? Neq; tamen clã me eſt, quantum ſudoris, uel potius quãtum ſanguinis mihi fundendum ſit in his explicandis. Quando & naturã ſint intellectu longè difficillima, & hoſteis quàm plurimos habeant tum acerrimos, tum infeſtiſſimos. Et alioqui incredibilis quædam expectatio mihi grauis aduerſaria iam ſit conſtituta. Aggrediar igitur, & quàm ueriſſimè potero, tantum negotij abſoluam. Præterea ut nihil, uel minimũ deſiderari queat: Verùm principio altius repetito.

Verba ſecundum ſe neque perſonalia eſſe, neque impersonalia, ſed indifferentia. Caput II.

OMnis perſonalitas, atq; impersonalitas ipſis uerbis extrinſecus adnaſcitur. Quoniã uerba ſecundum ſe neq; perſonalia ſunt, neque impersonalia, ſed

indifferentia. Persona autem, definientibus magna authoritate philosophis, est naturæ rationalis individua substantia. Huic, ut sit, tria omnino necessaria: ut individua, ut per se existens, ut rationalis. Igitur sermo quia inter loquentes atq; intelligētes propriè tantum uersatur, necessariò fit, ut ea triplex existat, nempe loquens, audiens, & remota. Qua quidem triformi è sermocinantiū uicißitudine, Grammatici triplex illud suum accidens, quam personam dictitant, nō minus doctè q̄ eleganter effinxerunt. Vt sitnotio quædam discriminatiua substantiæ loquentis, uel audientis, uel remotæ, certa quadam ratione ab illa triplici substantia usq; dependens, atq; existens. Quæ omnia si uera sunt, ut sunt, iam quis non uidet, personam, quam numerus tanquam individuus comes perpetim consequitur, quæ in uerbo trifariam transparet, non sua sponte uerbi (magno Seruij errore, personam in uerbi definitione ponentis) gigni, sed à supposito extrinsecus ipsis uerbis omnino subministrari? Nam uerbum, quam personam suapte natura sibi subijciat, cum aliunde totum prorsus dependeat, nec uirium quicquam per seſe habeat? Igitur personalitas omnis ipsis uerbis altrinsecus, hoc est, à supposito uenit: quicquid somniant Grammatici. Quòd si personalitas, uel ipsa dubio procul impersonalitas. Quia si ad positionem suppositi recti, uerba numeros habēt, & personas, quid ni ad carentiam eiusdem, & numeris careant, & personis? Prorsus, ut qua parte unum accipiunt contrariorū, eadem accipiant & alterum?

Ergo

Ergo itaq; uerba ad numeros & personas induendas, exuendasq; perinde sese habent, ut corpus diaphanũ ad lucem & tenebras. Quandoquidem ut illud non lucet ex sese, neq; tenebrosum est, sed aliunde: sic uerba secundum se neq; personalia sunt, neq; impersonalia, sed adiaphora. ita, ut eatenus personalia sint, quatenus suppositum rectum habent: impersonalia uero, quatenus eo ipso deficiunt.

Verba nihilo minus esse impersonalia, suppositio eis uel infinito, uel clausula, quàm cum suppositis rectis omnino deficiunt.

Caput III.

QVoties igitur uerba suppositio caruerint recto, tũ usquequaq; sunto impersonalia. Adhæc si uel infinitum, uel clausulam pro suppositio habuerint, nihilo minus etiamnum sunto impersonalia. Neq; enim audiendi Sophistæ quidam, quorum opinioni & Paulus Suardus Brixiotes, Grammaticus alioqui insignis, accessit, & Antonius Nebrissensis: summa pertinacia contendentes, infinita illa uerbis suppositia esse nomina. uel quia nihil subijcitur uerbis, quod idem non sit nomen. uel quia idem significant, quod sua ipsorũ nomina. Propterea q; fieri, quibus uerbis infinita supponantur, ea omnino esse personalia. Quorum quidem pestifera, atque importuna peruicacia, quoniam longè lateq; serpit, & multi eorum suasu inextricabilibus erroribus inuoluuntur, haud ultrà nobis fuit protollẽdum, quin statim eorum falsam opinionem diminueremus. Principiò Grammatica utpote man-

ſuetioribus Muſis nuncupata, non eſt diſputando (ut dicitur) ad uiuum reſecanda. Neq; adeò ad eam ſubtilitatis regulam reuocanda, ad quam hiſpida atq; horrida dialectica ſolet, ſed craſſiore Minerua (ut aiunt) explicanda eſt. Præterea Dialecticus & Grammaticus iuxta muſicorum prouerbium, ἀὶς διὰ πασῶν inter ſe materia, propoſitoq; diſtantes, nónne uterq; pro ſuis principijs profitetur? Grãmatica igitur cum authoritate, uſuq; potiſſimum conſtet, atq; adeò ſignificãdi qualitates in primis conſideret, inq; eo uerſetur, ut in campo ſibi ſubiecto, nihil eſt quòd ſcrupuloſam ad illam dialectices curam, ſuo quodã iure duas orationis partes, nempe nomen & uerbum, tantum agnoſcentis, exigatur. Quanquam iſti (cur enim uel ipſi non modicè à nobis ratiocinemur?) qui mihi obtinebunt, ut quod natura abnegauerit, id ulla ratione uel numeris uel perſonis inſignitum reddant? Nam ſi eo ipſo quod ſupponuntur, nomina fierent, eſſet fortaſſe quod eis aſſentiremur. Verum cum nominis partes ſupponendo ita gerant, ut uerbi tamen ipſius infiniti rigorem nihil omnino relaxent, quid eſt quod fruſtra laboremus, in extorquendis huiuſmodi uel numeris uel perſonis? An non ſatis conſtat, infinita uerbis ſuppoſita poſſe caſus anteriores & poſteriores, pro ſua quodq; natura accipere? Age quid prohibet, quò minus rectè, latineq; dicam, legere placet ſtudioſis, & me legere Vergilium placet ſtudioſis? Iam utrobiq; unum & idem infinitum eſt. Sed uis uerbi, quæ in ſuperiore latet, in poſteriore explicita eſt. Itaq; ſi

hoc

hoc nullo modo coire poteſt, ut nomina ſint, & caſus utrinq; petant, ut uerba, cur neceſſariò non conſequatur, uti quibus uerbis infinita ſupponãtur, ea ſint impersonalia? Præterea ſuperiori capite (mirum uero, ut hæc ratio nobiſcum faciat) nónne ſatis ac ſuper oſtenſum, uerba finita ſuapte natura neq; numeros habere, neq; perſonas: & hæc, ô ridicula capita, ab infinitis ſubminiſtrari uultis? Nam quòd obijcitis, infinita idem ſignificare, quod ſua ipſorũ nomina, ô plumbeum pugionem. Sed faciamus ita eſſe. Num nam igitur lectio ſimiliter & legere ſignificant? Non hercle magis, quàm aqua in puteo itidem ſeſe habet, atque aqua in flumine. Neq; enimad faciendã perſonalitatẽ requiritur eadem ſuppoſitorum ſignificatio, ſed multo magis eadem ſignificandi ratio, idem modus. Quare ſtante ui illa ſuppoſitorum cum appoſitis copulandi, quod eſt proprium uerbi, nullo modo fieri poteſt, ut infinitailla fiant nomina. At reclamabunt, quicquid ſubijcitur, nomen eſt. Imò uero quicquid ſubijcitur, uel eſt reuera nomen, ut lectio: uel inſtar nominis, ut legere. In quo tamen, præterquàm quòd ſignificationem cum nomine habet communem, natura uerbi perinde ſeruatur integra, ut nihilo ſecius omnia uerbi munia impleat, ac ſi nihil omnino ſupponeretur. Quapropter ut finem controuerſandi aliquando faciam, ſi infinita conſiſtẽte uerbi natura, nullo pacto fiunt nomina, quis egregiè literatus dixerit clauſulas nomina fieri? Sed neq; Ciceronianũ illud lib. iij. de Off. nobis quic-

quam obeſt. Facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata utilitate, fiunt non honeſta. Quandoquidē illuſtriſsimus author, quod uoci Grammatica è ratione dandū fuerat, id reiecta uoce, in ſenſum figuratè reflexit.

Quot modis infinita ſupponantur, & quo in ſenſu propriè imperſonalitatem efficiant.

Caput IIII.

QVin tanta eſt infinitiuorum infelix pertinacia, ut ſi nomina etiam fiāt, adhuc tamē nullis neq; numeris neq; perſonis inſigniri queāt. De quib. ne ullū lapidē (ut eſt in prouerbio) immotū reliquiſſe uideamur, triplex eorum uſus. Eſt, cum nihil ſignificant, uerùm excluſo omni ſenſu, pro ſemetipſis tātum dictionibus accipiuntur. Vt cum dicimus, amare eſt infinitum, legere ſupponitur uerbo. Quodq; Aul. Gell. lib. xvi. Feſtinare & properare idem ſignificare uidentur. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, duæ iſtæ dictiones, uel duo hæc uerba idem ſignificare uidentur. Quem modum Dialectici materialem, docti technicum appellant. Eſt, cum nil plus, aut minus ſignificant, quàm ipſa nomina. Quippe in quibus nihil tum uerbi, præter unam nominis ſignificationem, cernere ſit. Ceu cum Fabius lib. xi. Proponere, partiri, interrogare ſermoni proxima ſunt. nam hæc perinde ſignificant, ut propoſitio, partitio, interrogatio. Cumq; Horat. lib. Epiſt. i. Reddes dulce loqui, reddes ridere decorū. quod eſt, eloquium dulce, & riſum decorum. Cumq; Plin. lib. vij. Ipſum cremare apud Romanos non fuit ueteris

ueteris instituti. hoc est, ipsa crematio. Cumq; Valer. Max. lib. vij. Fabij Maximi non dimicare, uincere fuit. hoc est, Victoria Fabij Maximi fuit non dimicare. Est postremò, cum supponuntur seruata prorsus uerbi natura. Et hic est ille modus, quem Dialectici oppugnant, Grammatici propugnant, & quo uerba in primis fiunt impersonalia. Cuiusmodi Plautinum illud in Mostel. Potare tecum collibitum est mihi. Quodq; Cic. in Parad. Peccare licet nemini: id perinde est, ut neminem peccare licet. Quodq; Vergil. in Buc. Insanire libet quoniã tibi. Quod Fabius tum lib. xi. Lambere labra, & mordere deforme est: tum lib. xij. Accusatoriam uitam uiuere, et ad defendẽdos reos præmio duci, proximum latrocinio est. Quod Claud. de Raptu Proserp. lib. ij. Non crescere profuit hydræ. Sed quorsum tam multa? Nimirum ut omnes intelligant, infinita, ut sunt infinita, quocunq; modo accipiãtur, nullam uerbis personalitatem posse subministrare. Nam quos numeros, aut quas personas uerbis subijciant, cum his ipsa omnino careant? Authores tamen (uti iam diximus, utq; exemplo Ciceronis, Gellij, & Fabij iam testati sumus) reiecta infiniti uoce, significationem potius, uel quid aliud spectantes, uerba ipsa antecedentibus infinitis, uel clausulis, nonnunquam promunt personalia. Quoniam ars, ut docet Fabius, non immutabili quadam ueluti necessitate constat, sed usu, & authoritate.

Falsam esse illorum præceptionem, qui docent uerba tum esse impersonalia, cum appositum habent infinitum. Caput V.

VErba igitur qua parte fiunt personalia, eadē fiunt & impersonalia. Propterea quòd ut à supposito recto & numeros & personas accipiunt, ita eo amisso, nimirum eadem parte, eadem illa amittunt. Prorsus, ut nihil sit pernicioſius ista doctrina, quam totum uulgus oblaterat. Etenim quæ (malum) præceptio illa est quæ omneis ferè per diatribas debacchatur, ideo uerba esse impersonalia, quòd appositum habeant infinitum? Obsecro quid hoc stultitiæ est, uel potius qd portenti? Cur eadem igitur parte non fiunt etiam personalia, quando qua parte unum accipiunt contrariorum, eadem accipiunt & alterum? Sed inquiunt, uerba cum fiunt impersonalia, naturā mutant, syntaxim inuertunt. Et quos casus personalia exigunt posteriores, eosdem impersonalia requirunt anteriores. Scilicet appositā ut habeant infinita. Quando & themata sic melius proponuntur, & pueri longè facilius intelligunt. Deum immortalem, quas ineptias effutiunt isti? En quam ignorantiæ mephitim exhalant? Porrò ut demus, optimos authores infinita multo frequētius apposuisse, quàm supposuisse: num nam igitur quicquid apposuerunt, id uolunt à tergo ipsorum uerborum pendēre? Age, impersonalia actiuæ non pleraq; significationem habent actiuam? igitur & suppositū agens. Proin cum dico, mihi placet lectio, et mihi placet legere, obsecro te, quid placet? Nimirum lectio, & le-

& legere. Bene habet. Ergo si infinitum loco nominatiui constitutum est, uelis nolis consequitur, ut quemadmodum Placet personale exigit ante se nominatiuum, ita impersonale ante se requirat infinitum, & post eundem datiuum. Quid ordo, non ne omnia suis locis reponit? ut lectio placet mihi, & legere placet mihi. Adhæc quidni frequentius apposuerint, cum libuerit potius Latinè, quàm Grammaticè loqui? Siquidem Grammatica locutio est, cum omnia pro uerbi exigentia, ac natura suis locis collocantur. Latina uerò, ubi auribus consultis, artificiosa quadam partium dispositione oratio renidet. Quanquam Latinè loqui in alios etiam sensus accipi, non me latet. Sed affiramus ipsi iam exempla (tametsi quæ priori capite iam adduximus, uel satis esse poterant) quibus præclarum fiat, præstantißimos authores, non usq; huic legi sese addixisse, sed infinita, & clausulas, ut ratio postulat Grammatica. ipsis uerbis identidem præposuisse. Plinius lib. xvij. Libidine tempestiuè uti plurimũ interest cõceptus. Idem lib. xxx. Turdos edisse cum baccis myrti prodest urinæ. Et lib. xxxvij. Spectasse prodest oculis. Cæs. lib. ij. Ciu. bel. Nam inopiam excusare, & calamitatem queri, & difficultates auctionandi proponere, mediocris est animi. Cic. in Philipp. Clarum esse ciuẽ, bene de republica mereri, laudari, coli, gloriosum est. Pli. Cæcil. lib. Epist. i. Deliberare, et causas mortis expendere, mortisq; consilium uel suscipere uel ponere, ingentis est animi. Atq; his exemplis, atq; rationibus iam satis liqueat, uerba eadem parte

fieri

fieri impersonalia, qua & personalia, nulla parte sui nec diminuta, nec transmutata, uerum eadem numero permanentia, eademq; seruata natura, ijsdemq; posterioribus retentis casibus, habitu solo, modoq; significandi tantum mutato.

Quid uerbum impersonale, adhæc impersonalitatem non omnimodam personarum numerorumq; priuationem dicere. Et cur tertia in uoce singulari tantum fiant. Cap. VI.

HAec fuerant omnino, ita ut sunt, prius explicãda, ut præclara uerbi impersonalis definitio inde colligeretur. Quando principijs rectè expositis, aditus ad reliqua non nisi planissimus esse potest. Proin uerbum impersonale per ea quæ disputauimus, ecquid aliud esse potest, quàm quod ad carentiam suppositi recti caret numeris & personis? Vides, ut hæc definitio aperta sit? Impersonale tamen cum dicimus, non omnifariam personarum, numerorumq; abnegationem, priuationemq; intelligi uolumus. Quandoquidẽ existentibus sublatis, imago tamẽ quædam, ac figura personarum ibi, numerorumq; relinquitur. Vt enim cadauer non ideo dicitur informe, quòd omni prorsus careat forma, id quod minimè fieri potest: sed quòd formam exuit, positq; rationalem, ubi corporalis tamen forma remansit, quæ apparet. Sic uerba non ideo dicenda impersonalia, quòd omni personarum, numerorumq; uel existentia uel figura quoquo modo sint uiduata: sed quòd amisso supposito recto, propria personalitatis forma, sublatisq; existẽtibus numeris, personisq;,

sonisq;, tertiam uocem singularem specie tenus, tanquam inanimum quoddam corpusculum sibi retinuerunt. Alioqui ne per modos quidem finitos, nempe indicatiuum, imperatiuum, optatiuum, & coniunctiuũ inclinari potuissent: qui numeros & personas uel existentes apparentesq; simul, quod est uerborum personalium, uel apparentes saltem, quod est impersonalium, definiant, necesse est. Cur autem priuatio eiusmodi personarum, numerorumq; in tertia uoce singulari tantum contingat, id duabus de causis fieri arbitror. Primùm, quia ea ipsa uox suapte quadam natura infinita est, ac indeterminata: deinde, quia singulare inquãtum singulare, per se nullius numeri, nullius quantitatis censetur. Quippe monas, ut elementum numeri, sic minimè numerus. Quæ omnia quoniam impersonalitati mirum in modum congruunt, hinc factum, ut nulla alia in uoce impersonalia fiant.

Totidem uerbis impersonalibus accidere, quot personalibus. Et quotuplex ipsorum genus.

Caput VII.

TEmpus, modum, speciem, & figuram uerbis impersonalibus accidere, nemo est omnium qui nesciat. At quatuor reliqua, non perinde obuium. Nam primo prospectu nullo modo accidere uidẽtur: quòd his omnibus fermè sint defecta, quibus ea diffici, comprehendiq; soleant. Quo nos modo simpliciter loquẽtes, prima nostri Mercurij editione docuimus. Verũ si diligentius tamen intuiti fuerimus, ne ea quidem his uerbis non aliquo modo contingunt. Genus, per analogiam

logiam ad principaleis illas actiuitates, ac paßiuitates o, & or. Coniugatio, ad consequentem uerborum declinationem, quæ per infinita maximè perspicitur. uelut delectare, placere, officere, expedire. Numerus, & persona, per speciem & apparentiam. Impersonalium autem duplex genus, alterum actiuæ uocis t litera terminatum, ut placet: alterum paßiuæ in tur finitum, ut curritur.

E' quibus uerbis fiant impersonalia paßiuæ terminationis, & quot modis.

Caput VIII.

His autem ita constitutis, paßiuæ impersonalia literaturæ è quibus uerbis proficiscantur (neq; enim quicquam refert, utro genere potius exordiamur, actiuo ne, an paßiuo) & quot modis formentur, edisserendum. Atq; in primis explodenda illorum opinio, qui è neutris tantum oriri uoluêre. Quasi uero actiua genus sit, indignum scilicet, cui tanta tribuatur imperfectio, uel cui tanta fiat iniuria. Ego uero quæ sit ista imperfectio atq; iniuria, non intelligo. Neq; enim priuatio huiusmodi personarum, numerorumq; ullas tenebras, ullam'ue indignitatem uerbis affert, quo minus præclarè, exactè, enucleatè significent. Somnia sunt ista hominum leuißimorum. Ergo paßiuæ desinentiæ impersonalia de usu è uerbis tantum o terminatis, actiuæ significationis proficiscuntur. De usu autem dixi, primum: quia ex neutris etiam paßiuæ significationis nonnunquam exorta reperiuntur. Plautus in Capt. Cum caletur, cochleæ in occulto latent.

Idem

Idem in Pseud. Quid agitur Callidore? amatur, atque egetur acriter. Plin. lib. x. Nisi cum præsidio earum indigetur. [redacted] in Paneg. Tam ex æquo gaudetur ab omnibus, quàm tu æqualiter omnibus rediisti. Deinde, quia è communibus etiam, ac deponentibus. Sallust. in Iugur. Vti ex libris Punicis interpretatum nobis est, quàm paucissimis dicam. Ibidem: Ab ijsdem regis fautoribus summa ope enixum est, ne tale decretũ fieret. Apul. lib. iiij. Met. Rex olim beatus præcepta sortis enodat infaustæ, mœretur, fletur, lamẽtatur diebus plusculis. Quæ ipsa quoniam perrara inueniuntur, ne in regulã quidem cooptari debent. Neq; enim à nobis relata sunt, ut usui sint, sed ut noscantur tantum. Formantur autem duobus modis. nempe aut à secundã personã præsentis indicatiui singularis, sublata nouissima litera, & admota tur, ut amo amas, amatur. Aut à tertijs personis singularibus, addita ur, ut nunciat nunciatur. Sed superior Diomedis formatio mihi magis placet.

Contra communem omnium traditionem, duplex esse genus impersonalium passiuæ terminationis, quædam uera ac legitima passiua, quædam spuria. Caput IX.

IMpersonaliũ autẽ passiuæ terminationis duplex genus. Quædã sunt enim legitima passiua, quædã spuria. Verũ spurijs in alterũ caput reiectis, primũ genus nobis explicandũ. Enimuero si actiuitas omnis, ac passiuitas in uerbis (uti iam ostendimus) à supposito est: quoniam quorum uerborum suppositã sunt agentia,

corum

eorum significationes sunt actiuæ. Quorum autem patientia, itidem passiuæ, fieri non potest, quin plera que impersonalia passiuæ literaturæ, quibus pro suppositis patientibus uel infinita uel clausulæ antecedunt, non uera sint passiua. Quando in gignendis huiusmodi uerborum significationibus nihil interest, supposita ipsa, nominane reuera sint, an instar nominum, dum uel agere, uel pati sint manifesta. Itaq; Cic. cùm lib. i. Acad. dicit: Nunciatum est nobis à M. Varrone, uenisse eum à Roma. Et pro Milone: Satis iudicatum est à Pompeio, falsò ista conferri in Milonem. Et Sallust. in Iug. Mihi benefacere iam ex consuetudine in naturam conuertitur. Et Cæsar tum lib. vi. Gal. bel. Quarum ex uestigijs cum est animaduersum à uenatoribus, quò se recipere consueuerint. tum lib. i. Ciuil. bel. Sic omne prius perfectum, quàm intelligeretur ab Afranio, castra muniri. Et Fabius lib. iij. A Numa traditum est deos colere. Non his exemplis præclarè satis docent illustrißimi authores, hæc uerba pro suppositis patientibus habere uel infinita, uel clausulas? Neq; uero quicquam refert, utrum re ipsa hæc suppositia antecedant, dum intellectu, rationeq; ipsis uerbis præire intelligantur. Id quod non solum in his, uerùm etiam in omni fermè exornata elocutione, authoribus Latinè potius quàm Grammaticè loquentibus, obseruatum est. Quando intellectus cuncta dijudicans, omnia suis locis reponit. Ergo si constituēdum ad legitimum passiuum tria omnino requiruntur, significatio, constructio, & terminatio passiua (nam

ua(nam quibus in uerbis hæc tria conueniunt,non ea esse possunt nō legitima passiua) quid horum in eiusmodi uerbis desideratur? Nunciatum est nobis à M. Varrone, uenisse eum à Roma. Iam ibi significatio passiua est. Quoniam quorum uerborum supposita sunt patientia, eorum significationes sunt passiuæ. Sed quæret hic aliquis, Quod est tandem per deos immortales, istud suppositum patiens? Nempe, eum uenisse à Roma. Siquidem totum hoc illud est, quod nunciatum est à M. Varrone. Sed Cicero (ut paulo ante dixi) Latinè maluit, quàm Grammaticè loqui. Constructionem uero, ac terminationem ibi esse passiuā, quis non uidet? Nec est quòd ibi hoc uel illud subintelligatur, ut quidā pessimè literati somniant. Quorum o pectora cæca. Nam ubi hoc uel illud collocabitur, si dixerimus, Is nunciatus est nobis à M. Varrone, uenisse à Roma? Structuram hanc cùm alij excellentissimi authores probant, tum uero Plin. Cæcil. lib. Epistol. iij. Modo nunciatus est Syllius Italicus uitam finisse. Huc facit & Plautinum illud in Epid. In his locis dictus est habitare mihi Periphanes. Quorū utrunq; æquè Latinè, uel impersonaliter: Modo nunciatum est Syllium Italicū uitam finisse: Et, In his locis mihi dictum est habitare Periphanem. Pleraq; sunt enim eiusmodi, quæ eodem sensu æquè personaliter atq; impersonaliter conuerti possunt. Quod genus uel Terentianum illud in Andr. In hac habitasse platea dictum est Chrysidem. Quodq; Val. Max. lib. i. Creditū est Varronem tam infeliciter dimicasse. Quodq; Plin. lib. iij.

Aeolo uentos paruisse existimatum. Quæ omnia uel personaliter. Sic, In hac habitasse platea dicta est Chrysis, Creditus est Varro tam infeliciter dimicasse, Aeolo uenti paruisse existimati sunt. Quapropter si nihil subintelligendum est in earum altera, quas duas et duas posuimus, quod idē nō subintelligatur in utra libet, quoniam ambæ & sensu & uerbis pares existunt, ubi obsecro stultissimi, in passiua personali, ubi inquam istud uestrum, hoc, uel illud collocabitur? O mētes Cimmerijs umbris atriores. Sed ego stultior, ut qui in re perspicuè falsa perinde laborem. Superstitiosis tamen, ac pertinacibus istis, quorum contumacia non uerbis iam, sed fustibus erat contundenda, faciundum satis fuit. Ex antedictis colligitur, è uerbis actiuis (nimirum quoties post se accusatiuum cum infinito, aut certè uel infinitum uel clausulam habent pro accusatiuo) esse impersonalia passiuæ terminationis uera passiua. Prorsus ut nunciatur, iudicatur, conuertitur, animaduertitur, intelligitur, traditur, dicitur, creditur, existimatur, & alia id genus, nullare alia à ueris ac legitimis passiuis differant, nisi quòd impersonaliter efferuntur, una atque eadem in utrisque existente uerbi natura, significatione, & structura simul posteriore, simul ulteriore.

Ex illegitimis actiuis, hoc est neutris, impersonalia passiuæ uocis quæ descendunt, ea nihil amplius habere passiuitatis, quàm & structuram & uocem. Caput X.

VT legitima passiua è uerbis tantum uerè actiuis proficiscun-

proficiscuntur, sic spuria non nisi ex actiuis illegitimis, hoc est neutris, uenire par est. Neutra nunc accipimus, omnia o terminata actiuæ significationis, quæ posteriorem accusatiuum patientem re ipsa non habent. Quæ alio nomine intransitiua nuncupamus. Quo genere multa etiam actiua continentur, quoties uel absoluta enunciantur, uel accusatiuum in alium casum commutarint. Cuiusmodi Plautinum illud in Mercat. Hodie ire in ludum occœpi literarium Lysimache, ternas scio iam, quid ternas? amo. Et Ciceronianum lib. i. de Offic. Theseus de interitu Hippolyti optauit. Quo uerba quæ construuntur modo, haud aliter conuerti possunt, quàm impersonaliter. Plaut. in Pseud. Quid agitur Callidore? amatur, atq; egetur acriter. Cic. lib. ij. Acad. Libri duo Philonis, de quibus dictum à Catulo est, erant allati Alexandriam. Brutus ad Ciceronem: De conditione seruiendi recusatum est à nobis. Tacit. lib. v. Relatum est ad patres à Quintiliano de libro Sibyllæ. Aulus Gell. lib. i. Super hac quæstione cùm ab alijs multis, tum subtilissime à Theophrasto disputatur. Quo minus ferendi, qui hic uel res uel negotium subintelligendum censuerunt. Inter quos Antonius Nebrissensis. Spuria autem, uel ut ita dixerim, abusiua, ideo nũcupauimus, quòd de passiuitate nihil præter constructionem habent, ac terminationem. At enim quam uim habeant ipsa passiua, cum suppositis prorsus deficiant? Nisi fortè cuncta huiusmodi impersonalia similiter, atq; egetur, caletur, gaudetur, & mœretur, quorum intellectus pati-

tur, significare uelimus. Quod quàm absurdum, repugnante in primis uerborum natura, quis non uidet? Ergo quam significationem habent uoce actiua, eandem retinent uoce passiua, sed modo quodã obliquo. Propterea quòd in neutris significatio tam supposito, quàm uoce recta est: in his uero obliqua, ac reflexa. Neq; enim extremorum debita commutatio fit in eis. Quãdo appositis casualibus utraq; in uoce ijsdem remanentibus, nihil significationes actiuæ in passiuas commutantur. Dicis etenim, uerbi caussa (cur enim perspicuo exemplo rem nõ confestim demõstremus) noceo te. quis hoc non conuerterit, tu noceris à me? Dicis porrò, noceo tibi. hoc autem quis non conuerterit, nocetur à me tibi? Cernis ergo, in superiore ut significatio commutetur, in posteriore uero minime? Quid ita? Nempe, quia translatis casualibus appositis, ijsdemq; patientibus in supposita recta (nam & infinita & clausulæ uicem accusatiuorũ gerentia eandem uim omnino habent) necessariò uerborum actiuæ significationes in passiuas conuertuntur. Eis autem utraq; in uoce ijsdem remanẽtibus, nihil omnino commutantur. Præterea quis actiuè non dixerit, Miles cessauit, Vtriq; pugnarunt acriter, Romani descenderunt ad pedes, Sexaginta conspirarunt in eum, Docti & eruditi occurrunt nobis, Crassus perorauit? Horũ tamen nullum, quisquis Latinè scit, non impersonaliter eandem ob caussam non conuerterit. En tibi Liui. lib. viij. Cessatum est à milite. En Cæsar lib. iiij. Gal. bel. Pugnatum est ab utrisq; acriter. En iterum Liui. lib. ix.

lib. ix. Ad pedes descensum ab Romanis est. En Suet. in Cæsare: Conspiratum est in eum à sexaginta. En Cicero lib. ij. de Off. Occurritur nobis à doctis & eruditis. Et lib. i. de Orat. Hæc cum Crassus dixisset, silentium est consecutum, sed sentiebant celerius esse multo, quàm ipsi uellent, ab eo peroratum. Quasobres his omnibus præclarè satis iam liqueat, huiusmodi impersonalia, quoniam suppositis prorsus deficiant, nihil amplius habere passiuitatis, quàm uel constructionem, uel terminationem. Constructionẽ inquam, quia posteriorem ablatiuum agentem requirunt cum præpositione à, uel ab, quemadmodum & uera passiua. Terminationem uero, quia in tur finita. Quibus quidem quantum est in se, & esse & haberi passiua desiderant. Sed quia in eis abest prima passiuitatis ratio, uera passiua nec esse nec dici possunt.

Impersonalia passiuæ terminationis non habere intellectum nominatiui eius rei, quæ in uerbo intelligitur, contra Priscianum, atque adeò Apollonium, ac Theotistum.

Caput XI.

More tuo facis Prisciane. Nihil enim ferè probas alicubi, quod idem alibi non improbes. Quæ inconstantia palàm facit, te quid dicas, non satis intelligere. Nam quòd multis in locis affirmas, idq; adiũctis uel exemplis, uel glossulis, impersonalia passiuæ terminationis è uerbis neutris significationem habere actiuam, istuc quidem rectè, ac probè. Verum cum alibi tãquam tui oblitus, postea dicis, huiusmodi in uer-

bis nominatiuum nescio quem posse subintelligi, obsecro, unde istæc in te superstitio? Nec satis habes, quòd ipse te leuitatis infamas, nisi etiam Apolloniũ, ac Theotistum præceptorem tuum unà tecum traducas. Impersonalia (inquis) passiuæ terminationis omnia, quibus nos frequenter utimur, teste sapientissimo domino Apollonio, & doctore meo Theotisto, possunt habere intellectum nominatiui eius rei quæ in uerbo intelligitur. Nam cùm dico, curritur, cursus intelligitur, & sedetur sessio, & ambulatur ambulatio. Dij tui te eradicent Prisciane, cum tua istac doctrina. Sic enim primum tollis omnia impersonalia passiuæ terminationis. An quibus uerbis nominatiuus eiusmodi intelligitur, non ea manifestè sunt personalia? Deinde, sic omnibus passiuam tribuis significationem. Verumenimuero ratio tamen istæc tua, si uera, ea per totam uerbi naturam, ac declinationem intelligatur oportet. Neq; enim maior ratio præsentis, quàm cæterorum temporũ. Itaq; qui nominatiuus uerbo præsentis temporis per te intelligitur, idem uel per reliquam totam eiusdem uerbi naturam, ac declinationē subintelligatur, necesse est. Quare cum Tacitus ait lib. xxi. Procursum est ab hoste. & Cic. in Verrem: Non est ab isto perseueratum. & Plin. Cæcil. lib. Epistol. v. Legitimæ postulationi à quibusdam reclamatum est. & Liu. lib. i. Romam frequenter migratũ est à parentibus raptarum. Hic ego te, hic te appello Prisciane: Dic obsecro, tuus iste nominatiuus an huiusmodi uerbis præteriti perfecti temporis rectè intelligi po-

gi potest? Nullum enim excipis nec tempus, nec impersonale. Age, periculum faciamus. Procursum est procursus? Diui boni, quid hoc portenti est? perseueratum est perseueratio? reclamatum est reclamatio? migratum est migratio? sessum est sessio? ambulatum est ambulatio? peroratum est peroratio? O mentis inops: Qui intellectus iste tuus est, quæ dicendi ratio, quæ congruitas? uel potius quæ non insania? Quanto igitur satius feciſſes, ſi in eo quod iam rectè senseras, permansiſſes. Sunt, qui omnia huiusmodi impersonali a passiuam habere uim contendant, quòd per fio, & nomen resoluãtur. Quod genus, curritur, fit cursus: disputatur, fit disputatio. Quorũ opinio longè tolerabilior. Sed ne hæc quidem ratio mihi undecunq; facit satis. Nam in plurimis aqua hæret (ut aiunt) ac risui est. Quare nostra superior ut tutior, ac uerior, sic multo etiam probabilior. Adhæc nominatiuus ille ut in præteritis perfectis minimè intelligi potest, ita ne in reliquis quidem temporibus intelligi debet.

Non Latinè dici, legitur librum, amatur deum, ut lædit manum, frangitur pedem, contra Baptistam Pium. Caput XII.

BAptista Pius è Bononia uir est planè maximi ingenij, & reconditarum ac ueterum literarum in primis doctus. Homo tamen. Hic porrò carmen Lucretianum exponens, secundo ni fallor commentario, ad hunc modum præcipit: Vt per figuram dicimus, lædit manum, frangitur pedem, sic dicere licet, legitur librum, amatur deum. Id quod ubi ego offendi, equidē

admiratione totus obstupui, maioremq; hominis diligẽtiam, animiq; pensionem eo in loco desideraui. Ac primum, quòd per synecdochen rectè dici, læditur manum, frangitur pedem, contendit, equidem in eius sententiam non possum non pedibus ire: nempe optimis authoribus id comprobantibus. Ouidio in primis, tum lib. xij. Met. Figitur hinc duplici Grynêus lumina ramo, Eruiturq; oculos: tũ lib. xiiij. Percutimurq; caput: tum primo Elegiarum, Asper equus duris contunditur ora lupatis. Et Papinio lib. v. Syl. Carpitur eximium fato Priscilla decorem. Sed quid hæc ad structuras illas, legitur librum, amatur deum, quæ neque cœlum (ut aiunt) neq; terrã attingunt? Nec mihi Guarinum utraq; lingua peritißimũ, persuadere possum tale quid dixisse. Sed enim pleriq; Grammatici, quibus ut nihil ceruicosius, ita nihil temerarium magis, nihil non corruptum eunt. Ita fit, ut quæ hominum leuißimorum propria sunt uitia, ea optimis ac doctißimis uiris impingãtur. Quid, quòd synecdoche nunquam uerbum facit impersonale? Præterea si rectam quanq; ad synecdochen tria omnino requiruntur, totũ, pars eius accusatiui casus, & toti proprietas conueniens: ubi quæso hæc illis in locutionibus? Sed demus, synecdochen uel in extrapositis interdum fieri. Quod genus Vergilianum illud, No doq; sinus collecta fluẽtes. Et Horatianũ, Pueri læuo suspensi loculos, tabulamq; lacerto. Quid, non ne tamen hæc omnia ita sese habent, ut nihil extraneum à nobis, sed aliquid semper nostri significare uideantur? Itaque neruosius multo

perurgent,

perurgent, qui Plautinum illud in Aul. nobis obijciunt: Nam si opulento sit petitum pauperioris gratiã, pauper metuit congredi. Neq; non Sallustianum, referente Seruio, Castra sine sanguine introitum. Et Liuianum lib. xxvi. Duce nocturno Syracusas introitũ erat. Quorum prævalida tela, nihil est tamen quòd pertimescamus. Primùm Plautinus locus inconstãter legitur. Itaq; ei, ut uacillanti, ne fides quidem habenda. Dein Sallustianum iuxtà & Liuianum uerbum uim potius absolutam, quàm transitiuam mihi habere uidetur. Neq; enim (ut ego arbitror) Latinè dicerẽtur, Syracusæ introitæ, castra introita, quod alioqui liceret, accusatiuo illo ui transitiua pendente. Nec est quòd quisquam Ouidianum illud ex ix. Met. mihi obijciat, Soceri domus est intrata petiti: cum aliud uerbum sit intro, aliud introeo. Sed faciamus ita esse, ut uolunt isti. Quid tum? Num'nam igitur pueris id præcipiendũ, inculcandumq;? Nihil minus. Vt enim iuxta prouerbium, una hirundo non facit uer, nec unus homo ciuitatem, ita nec una, ad summum altera authoritas, legem dicendi facere debet. Nec si quid usquam in uentum est semel, aut iterum, id in exemplum continuò trahendum est. Quando Latinitas, ut nummus, nulla re aliamagis, quàm usu probatur. Quare locutiones illiusmodi tanquam his omnibus defectæ, quibus nulla non Latina oratio statuminari, fulcirique soleat, ne nobis quidem admittendæ. Quin potius ut barbaræ, prorsus exibilandæ.

Falsam esse Diomedis atq; Antonij Nebrissensis doctrinam, tenentium impersonalia passiuæ uocis generalitatem quandam semper significare.

Caput XIII.

REfellenda postremò Diomedis, atq; Antonij Nebrissensis nimis quàm pertinax sententia. Ei manibus pedibusq; obnixè contendunt, cuncta impersonalia passiuæ terminationis generalitatem quandam semper significare. ceu cum dicimus, legitur, curritur, omnes legere, omnes currere intelligamus. Hisq; propterea ablatiuum agentem nunquam apponendū, nisi generalitatem ipsam explicet. Quod genus Ciceronianum illud ad Lentulum: Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est. Quodq; Tacit. lib. i. Accurritur ab uniuersis. Deum immortalem, quantum stultitiæ, uel potius quantum uanitatis in mentibus hominum plerunq; regnat. Etiam ne asseritis, omnia impersonalia passiuæ terminationis generalitatē quandam semper significare? Sed faxim iam uterq; intelligatis, quid sit, Cornicum oculos (ut aiunt) configere. Neq; enim sicubi hæc uerba generalitatem quādam præ se ferunt, propterea ubiq; eam significant. Atq; ô inanem & cassum quatuordecim annorum laborem tuum Antoni. qui qua in re maximè omnium sapientissimus uideri laborasti, in ea maximè omniū ineptisse demonstrabere. Sed optimi authores iam utrunq; uestrum turpissimi erroris conuincant. Cicero lib. i. Acad. Nunciatum est nobis à M. Varrone, uenisse eum à Roma. Idē lib. ij. Libri duo Philonis, de quibus dictum

bus dictum à Catulo est, erant allati Alexandriam. Et lib. v. Tusc. Primo die est à nobis ea de re, quam tu ex omnibus maximam probas, disputatum. Et pro Lege Agraria: Consulibus legem curiatam ferentibus, à tribunoplebis sæpe intercessum est. Et pro Aul. Cluent. Cum unaquaq; de re à P. Cannutio grauiter diceretur. Et in Philipp. Milites ueterani uolebant sibi ab illo imperari. Et ad Balbum: Nihil est à me inseruitum temporis causa. Et ad Att. lib. i. Huic rei subuentum est maxime à nobis. Et in Verrem: A' Chelidone cum erat ad eum uentum. Inibi: Neq; ab isto prouisum est, ne quod bellum esset. Rursus: Non est ab isto perseueratum. Sallust. in Iugur. Sylla, cuius facundiæ, non ætati à Manlio concessum est, uerba huiusmodi locutus est. Item: Per idem tempus ab ducibus nostris P. Cepione, & M. Manlio malè pugnatum est. Liu. lib. ij. Ni maturatum ab dictatore Romano esset. Et lib. vij. De ambitu à C. Petilio tribunoplebis ad populum latum est. Et lib. viij. Ab collega litatū est. Ibidem: Animaduersum in capita coniurationis à consule, scribit Claudius. Et lib. xxij. Peccatum à C. Flaminio consule esse. Et lib. xxxv. Intentis in apparatum noui belli Romanis, ne ab Antiocho quidem cessabatur. Rursus: Præceptum à Philopœmone præfectis erat. Et libro xxxviij. A' consule inter Achæos, Lacedæmoniosq; disceptatum est. Tacit. lib. i. A' M. Martio prosperè pugnatum est. Et lib. v. Relatum est ad patres à Quintiliano de libro Sibyllæ. Et lib. xi. Trepidabatur à Cæsare. Et lib. xv. Nec à Corbulone properatum. Sene.

lib. iij.

lib.iij.Contro.Insanitur à patre.Et Epist.lib.lxxxv. Sapienti non nocetur à paupertate.Plin.Cæcil.in Paneg.Pariter à te necessitatib.eius subuentũ est.Et lib. Epist.v.Prius tamẽ à paucis acclamatũ.Sed quò me immodica rapit refutãdi libido? Receptui igitur canã. Ecqd hæc tibi uidẽtur exempla Antoni? An satis multa? Ecquid uidemur & tuam & Diomedis stultitiã refellisse? Extremum sit illud (repetam enim) impersonalia passiuæ terminatiõis partim esse legitima passiua, partim spuria: illa è uerbis tantum actiuis proficisci, hæc ex neutris: illa pro supposito habere uel infinitũ uel clausulam, hæc suppositis quoquo modo deficere.

Postremò, utrunq; genus ex æquo posteriorem ablatiuum agentem, siue certas personas, siue generalitatem quandam explicare uelis, nostro arbitratu posse accipere. Est tamen, cum interim accusatiuum etiam, cum præpositione inter admittunt. Fabius lib.ix. Inter plures consensum est, duas eius esse partes. Plinius Cæcilius in Paneg. Inter posteros quæreretur, an illud iam deus fecisset. His accedunt, benefit, m'e fit, & satis fit. Dolabella Ciceroni: Satisfactum . . te uel officio, uel familiaritati.

E quibus uerbis sunt impersonalia passiuæ, ab his fermè non esse impersonalia actiuæ, & quotuplex eorum genus. Caput XIIII.

IMpersonalibus passiuis in tuto collocatis, alterum genus aggrediundum, uarium illud quidem, elegans, & plurima Venere clarum. Ac prius, quid est causse, & quibus è uerbis fiunt impersonalia passiuæ, ab his fermè

fermè non sunt impersonalia actiuæ? An quia unicuique uerbo cumulatè satisfit ab uno tantum impersonali? Sed interior, credo, est alia ratio, quam assequi nondum potui. Eam posteris extundendam relinquo. Nocèo tamen utriuq; gignit. Lucan. lib. i. Semper nocuit differre paratis. Sen. in lib. quo modo in sapientẽ non cadit iniuria: Ab his nihil diuinitati nocetur. Nã quod Cyprianus Aser in Epistolis dixit, Si hominibus placetur, dominus offenditur: Id perinde rarum, ut nusquam alibi reperiatur. Impersonalium autem actiuæ terminationis quinquplex forma. De quibus dicere ingrediar, si uerbi tamen substantiui impersonalis multiplicem syntaxim prius paucis edisseruerimus.

Est, erat, impersonale multiplici posteriore structura pollere. Caput XV.

IMpersonale substantiuum pro suppositio ferè habet uel infinitum, uel clausulam. Nam & absolutũ nonnunquam reperire est. Cic. ad Att. lib. i. Apud matrem rectè est. A tergo uarijs modis construitur. Est, cùm nominatiuum, uel tum maximè, cùm uim sapit copulatiuam. Cic. lib. i. de Off. Latrocinari, fraudare, adulterari est turpe: id est, res turpis. Idem lib. ij. Posse liberalitate uti non spoliantem se patrimonio, nimirum est pecuniæ fructus maximus. Plin. lib. vij. Ex fœminis mutari in mares non est fabulosum: id est, res fabulosa. Obseruatu attamen dignum, præcedente nominatiuo, clausulaq; subsequente, uerbum hoc præcedenti nominatiuo interdum respondere. Valer. Max. lib. v.

lib.v. Speciosissimæ diuitiæ sunt, feliciter erogatis beneficijs, latè posse censeri. Imò uel præcedente clausula, nominatiuo etiam subsequenti nonnunquam conuenire. Cic. *in Paradoxis: Contentum esse suis rebus, maximæ sunt certissimæq; diuitiæ. Est, cum & nominatiuum & genitiuum indifferenter admittere potest.* Cic. *in Verrem: Minari diuisoribus ratio non erat. id est, non decebat.* Plin. *lib.xviij. Quo calidius solum est, eo minus addi stercoris ratio est.* Ibidē: *Sationem locis humidis celerius fieri ratio est. id est, conuenit.* Colum. *lib.iij. Tenuissimo solo uitiarium facere, minimè rationis est. Verùm illo dicendi genere nihil pulchrius, ut quod alioqui per infinitum & pronomen substantiuum possessiuum exprimeremus, id per uerbale in io, & pronomen enunciemus.* Plaut. *in Persa: Tua merx est, tua indicatio est. id est, tuum est indicare.* Liu. *lib.xxxiiij. Vtrũ è republica sit, nec ne, quod ad uos fertur, uestra existimatio est. id est, uestrum est existimare. Iam pronomina substãtiua, nempe meum, tuum, suum, nostrum, & uestrum, isti uerbo identidem recto in casu accedere, adhæc significare uel pertinere, uel decere, quis nescit?* Cic. *lib.v. Tuscul. Præfinire non est meum.* Plin. *lib.xvij. Nam dili gentiam in superuacuis affectare, non nostrum est.* Plaut. *in Pœn. Haud uestrum est iracundos esse, nec tuum est amicis per iocum iniustè loqui. Ne Vergilianum quidem illud lib.xi. prætermittendum: Aliam capessere gẽtem, Est animus. Id quod uel per ablatiuum efferas, licebit.* Fabius *lib.ix. Excerpere, in animo est.*

Nunc

Nunc quemadmodum obliqui casus huic eidem accedant, deinceps paucis absoluam. Est, cùm genitiuum regit. Cuius tum intellectus fere triplex. Quippe uel officium adsignificat. Cic. ad Capitonem: Hoc primũ ignoscere est humanitatis tuæ. Fabius libro iij. Bene dicere est oratoris. Vel exigentiam. Tacitus libro xvij. Suadere principi, quod oporteat, multi laboris est. id est, multum exigit laborem. Seneca libro vi. Controuer. Incedere splendido cultu, non est fortunæ meæ. id est, non exigit fortuna mea. Vel æstimationem. Martialis lib. xij. Iam tanti tibi non fuit ridere. id est, tanti non constitit, aut tanti non æstimatũ est. Quid moris est, non ne modus annotatu pulcherrimus? Fabius libro xij. Veteribus quidem etiam dißimulare eloquentiam fuit moris. Plinius libro xix. Moris non fuerat in oppidis haberi rura. Est, cum datiuum assumit. Aemilius in Prologo: Populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Fabius libro ix. Magnæ ueteribus curæ fuit, gratiam dicendi è paribus contrarijs acquirere. Aulus Gell. lib. iiij. Manulia apud tribunos plebis dixit, comessatorem Mancinum ad ædes suas ueniisse, eum sibi recipere nõ fuisse. id est, non placuisse. Macrobius libro ij. Saturnal. Si uolentibus uobis erit, aliqua relaturus sum. Est tertio loco, cum pro natura præpositionum alio & alio constituitur modo. Cicero de perfecto Oratore: Nihil ad rem est, extrema quàm sit longa. id est, nihil refert. Terentius in Hecyra: Neque enim est in rem nostram, ut quisquam amator nuptijs

lætetur.

lætetur. Plin. lib. vij. In pedes procedere nascentem, contra naturam est. Aul. Gell. lib. vij. Rhodiensium amicitiã retineri fuit è republica. Est postremò, cum absolutè positum significat uel conuenit, uel licet, uel opus est, aut oportet, uel expedit. Val. Max. lib. i. Nõ est inter patrem & filium ullius rei comparationem fieri. Tacitus de situ Germaniæ: Est uidere apud illos argentea uasa principibus eorum muneri data. Cic. Terentiæ: In uiam quòd te des hoc tempore, nihil est. Vergilius in Buc. Nihil est quòd pocula laudes. Horatius: Non est quòd multa loquamur.

Interest componi ex præpositione inter, & est. Caput XVI.

ETymologiam, ut quæ certitudinis parum habeat, minimi faciundam censeo. Cuius fluctuantiam, incertitudinemq; docti homines penè semper cauillati sunt. Quo magis miror quosdam Grammaticos in eã tantũ spei collocasse, quasi totius Grammaticæ cardo in ea uertatur. Nam ut cætera prætermittam, quid ea compositione ridiculum magis, quam nonnulli somniantes illi quidem confabricati, commolitiq; sunt, ut interest componatur ex in, re, & est? Obsecro, quis ueterum de Grammatica optimè sentiens, tale quid unquam commentus est? Multo igitur fuerit probabilius, ac simplicius, ut interest componatur ex inter, & est. Id quod cum alia plera; mihi persuadẽt, tum uel maximè Horatius, cum in Arte:

Inter erit multum, Dauus ne loquatur, an heros.

Rursus in primo Sermonum:

Rem

Rem patris oblimare malum est ubicunq;, quid inter
Est, in matrona, ancilla peccet ue togata?

Etenim superiore exemplo diduxit poëta compositum suas, easdemq; geminas in partes, ut pars quæq; suo accentu fulta, uegetior diuisa, quàm coniuncta, eoq; uersus numerosior in pronũciando redderetur. Posteriore illud idem duas itidem in portiones distribuit, quarum altera prius carmen clauderet, altera sequens institueret. Itaque si quibus ex partibus uerba componuntur, in easdem prorsus diuidendo resoluuntur, quis non uideat, interest componi ex inter & est? Sed isti ut sunt pertinaces in tuẽdis suis opinionibus, mihi statim reclamabunt, dabuntq; interest componi quidem ex inter & est, differentiam significans: utilitatem uero præ se ferens, non item. Perinde quasi interest non & officium præterea, & æstimationem ad significet. Quorum deridicula distinctio si admittatur, illud necessariò consequitur, ut totidem huic uerbo compositiones tribuamus, quota est ipsius uerbi significatio. Quo quid absurdius? An unum & idem uerbũ eiusdẽ naturæ, eiusdẽq; structuræ (quod paulò pòst liquebit) alijs & alijs partibus cõstiterit, prout diuersa notabit? Pertinet, eadẽ ferè quæ interest, ostendit. Num igitur alijs partibus constituitur, cum officium: alijs uero, cum utile, opportunum, & idoneum significat? Quid, quòd in re est, pro in utilitate est, nẽ Latinè quidem satis dicitur? Nam quod per ablatiuũ isti circunferunt, citatis exemplis, id per accusatiuum apud incorruptissimos authores nos obseruatum le-

gimus. Plaut. in Aul. Quod te iubet, in rem hoc tuam est. Idem in Trinum. Si in rem tuam Lesbonice esse uidetur gloriæ, aut famæ, sinã. Rursus: Sat scio, in rem quæ sunt meam. Terent. in Hecyra: Ita dij, deæq; faxint, si in rem est Bacchidis. Ibidem: Quod si tu idem faceres, magis in rem & nostram & uestram id esset. Sallustius in Cat. In rem fore credens, uniuersos appellare. Tacit. lib. iiij. Hæc conquiri, tradiq;, in rem fuerit. Vides, ut optimi authores longè aliter habeant, atq; isti deblaterant? Sed demus eis, id loquendi genus semel, aut iterum uspiam reperiri. (nam toties apud unum Liuium offendi: quanquam uterque locus mihi falsitatem subolet, nusquam non alibi accusatiuo eodem authore semper utente. Quin exactißimi uir iudicij [redacted], alterum eorum in Adagijs citans, iam in meam sententiam correxit. Plautinum autem exemplum, quod isti adducunt, nusquam apparet.) nihilominus tamen commentum illud reijciendum est. Quare compositio illa, cum apud idoneos authores non agnoscatur, & unum tamen atq; idem uerbum quatuor significet, quoquo modo exibilanda est. Sed roget quis, Quod est igitur proprium huius uerbi significatum, & quæ reliquorũ sensuum diuerticula? Ego uero in rebus dubijs nolim ariolari. Vt ne interim dicam, omnium, quibus illustrißimi authores usi sunt, certam rationem nequaquam reddi posse. Sunt enim multo plurima, quorum usus manifestus est, ratio abdita. Illud tamen satis arridebat, idq; haud inani argumento, proprium huius uerbi significatum, unde cæ-

tera

tera deducerentur, officium esse, idq; sponte ac natura sui simplicis. Nemo est enim omnium, qui nesciat, est, uerbum simplex cum genitiuo pertinere identidē adsignificare. Ergo si authoribus Stoicis, officium est recta actio, certè quod rectum est, id utile est, quod utile, æstimandum. Differre autem quartum huius uerbi significatū ratione totius compositi existit. Sedenim uerbum refert cum eadem structura, eisdemq; omnino significationibus polleat, quibus interest, & tamē longè alijs, ijsq; incertis partibus constet, quàm quibus interest: (nam sunt, qui dictum autument quasi res fert. alij uero ex præpositione re, & fert, compositum citius probent.) eoq; uerbum refert non eodem modo quatuor illa significationum diuerticula admittat, quo interest: Sanè malo sententiam meam super hac re suspensam tenere, quàm incerti quicquam affirmare, quo nasutis istis ridiculus fiā. Quare abstrusum suapte natura quod est, id relinquamus. Simulq; etymologiam illam, ut nimis commentitiam reijciamus, nec magnipendamus, qua ratione quadruplex illa significatio, una, eadēq; structura inducta sit, dum utriusq; uerbi usum probè, rectèq; retineamus.

Mea, tua, sua, nostra, & uestra, his uerbis apticita esse substantiua & ablatiui casus.

Caput XVII.

EXplosa superiore uerborum Etymologia, illud perquàm redditur incertū, pronomina hæc, mea, tua, sua, nostra, & uestra, istis cum uerbis constructa, substantiua ne sint, an adiectiua: adhæc cuius casus.

Quo in nodo sanè perplexo ac difficili soluendo primùm quid alij falsò senserint, refellam: tum quod ueritati magis simile, imò quod uerũ mihi uidebitur, subijciam. Ac primum omnium iam quis non uidet eos manifestò ineptire, qui asseruerunt huiusmodi pronomina iccirco fœminei esse generis, numeri singularis, & casus ablatiui, quòd eorũ substantiuũ, cui respondent, tale sit illis in uerbis inclusum: tametsi uerbo refert adiuncta, nonnulli citius nominandi esse uoluerunt, cum neutra earum compositionum, ut superiori capite iam demonstrauimus, consistat? Nam ut sint ablatiui casus, certè quî adiectiua esse possint, non uideo. An adiectiua extrinsecus posita cum partibus dictionis compositæ in genere, numero, & casu congruere uolumus? Quo delirio Priscianus princeps ille Grammaticorum ne dementisse uideretur, altrinsecus subintelligendum statuit in re substantiuum. Sed quàm rectè, uiderit ipse. Porrò non defuerunt, qui uerbo interest uel applicita nominandi itidem casus existimarint. Ea in primis ducti ratione, quòd uetustissimi authores etiam dixerunt, mea est, tua est, pro ad me, ad te pertinet. A quibus facere uidetur Plautus, cum in Aul. Da mihi operam, tua est. Et in Pseud. Ne gare mea est. Postremò Seneca in quarto Declamat. Non tam nostra erat ornare deos, quàm uindicare. Adiectaq; postmodum præpositione inter, Vsum, quem penes arbitrium, & ius & norma loquendi est, obtinuisse, ut dicamus mea interest, tua interest. Sed & ratio istorum ut friuola, nullo modo mihi facit satis.

tis. Propterea quòd & Plautino utroq; in exemplo ſubſtantiuum opera ſubintelligitur, & locus Senecæ falſitatis ſuſpectus habetur. Aelius autẽ Donatus Terentij obſeruantiſsimus interpres, ab omnibus ſupra iam refutatis longè alia fuit opinione. Quippe qui in Phormione huiuſmodi pronomina cenſuit tum ſubſtantiua, tum accuſatiui caſus. Quid mea (inquit) aut quid tua? An deeſt ad? ut ſit, aut ad mea, aut ad tua? Cuius arguta ſententia, ut mihi quidem uidetur, partim uera eſt, partim falſa. Nanq; ut ei libenter ceſſerim eſſe ſubſtantiua, perinde accuſandi caſus, ac numeri pluralis nullo pacto dederim. refragante in primis ſyllabæ certa quantitate: quam eſſe longam, Terentianus ille Senarius eadem in Phormione mihi facilè perſuadet.

Etiam dotatis ſoleo, quid id noſtra? nihil.

Eſt enim iambicus acatalecticus, cuius penultimus pes ſpondeus eſt. quando eiuſmodi uerſus ſpondeon etiam quinta in ſede grauitatis cauſa nõ rarò accipiũt. Prorſus ut carminis huius primus pes anapæſtus ſit, alter ſpondeus, tertius dactylus, quartus anapæſtus, quintus ſpondeus (trocheũ ſiquidẽ eo loci nũquam admittunt) poſtremus pyrrhichius. Ex quibus omnibus illud tandem perſpicuè, firmiſsimeq; concludo, hæc pronomina iſtis cum uerbis cõſtructa, eſſe tum ſubſtãtiua, tum ablatiui caſus. Id quod & Laurentius Vallenſis iuxtà mecum & ſentit, & probat.

Ratione nihil prohiberi, quo minus dicas, legere interest mei, tui, sui, sed usu tantum, & authoritate. Caput XVIII.

OHe desine tamen Laurenti, tam impotenter efferri. Nam quòd pertinacißimè tenes, mei, tui, sui, nostri, & uestri primitiuorum genitiuos usq; paßiuam habere significationem, ac propterea non licere dici, Legere interest mei, tui, sui, nostri, & uestri, quòd ea uerba genitiuum sibi exigant non pathicum, sed actiuum: Antecedens tuæ istius ratiocinationis non undecunq; uerum ostendam. Primum omnium, mis, tis, sis, nostrum, & uestrum, actiuam habere significationem, quem fallit? Plaut. in Milite: Lamentari ait illam miseram, quia tis egeat, quia te careat. Super hoc egeo, & indigeo uerba esse sui paßiua, & iccirco posteriorem casum agentem sibi exposcere, cùm Plautinum exemplum nuper adductum, tum ipsa uerbi natura in primis ostendunt. Quare si exemplis docuero, tui pro tis eidem uerbo appositum: opinor, non mihi inficiabere, tui significationem habere actiuam. Plaut. in Asin. Quia tui abeuntis egeo. Cic. ad Att. lib. ij. Amalthea indiget tui. Neq; enim aliter nunc dici potest, cum mis, tis, sis, iampridem obsoluerint, & alioqui eadem uerbi natura immutata remanserit. Quid, cum idem Plautus in Aul. Hic homo abijt, fastidit mei: non'ne fastidio à me afficitur, interpretandum? Adhæc in Pseud. Si ex te tacente fieri possem certior,

Here, quæ miseriæ te tam miserè macerant,

Duorum

Duorum labori ego hominum parsissem lubens,
Mei, te rogandi, & tui, respondendi mihi.

Non itidem actiuè intelligenda? Sic, Ego Pseudulus duplici labore lubens supersediſſem. altero, ne ego te rogarem: altero, ne tu mihi responderes. Quid postrè mò impersonalia illa, pudet, pœnitet, miseret, & id genus, nõ accusatiuo anteriore personam patientem, et genitiuo posteriore, unde illa ipsa passio gignitur, adsignificant Certè nobilissimi authores sic demonstrant. Cic. in Pisonem: Crassè pudet me tui. Verg. in Euc. Nostri nec pœnitet illas. Tacitus lib. xx. Vestri me pudet, miseretq;. Plaut. in Pseud. Nihil'ne te mei miseret? Terent. in Heaut. Atq; inopis te misereſcat mei. Quibus exemplis si satis liquet, ueteres illos totius ueræ latinitatis authores, super his primitiuorũ genitiuis non usqueadeò fuisse anxios, aut superstitiosos, ut non promiscuè, indiscretèq; utroq; uersum eis uterentur, equidem non uideo, quo minus rectè, licet inusitatè, dicam, Legere interest mei, tui, sui, nostri, & uestri: sicut ego indigeo tui, tu mei, ille nostri. Quare pronomina hæc sint promiscua. Nec uereamur, quicquid Laurentius oblatrat, his actiuè & passiuè uti, ubiubi opus fuerit.

Quem in modum construantur interest, & refert, & quid significent. Caput XIX.

HIs propulsatis, quæ nostræ huic disputationi obesse poterant, paucis quemadmodum interest & refert construantur, explicandum est. Hæc igitur à fronte pro suppositio requirunt uel infinitũ, uel claum 4 sulam:

ſulam: à tergo genitiuum omnium caſualium dictionum, gerundijs tantum exceptis. Plin. libro ij. Mundi extera indagare nec intereſt hominum. Fabius lib. ix. Plurimum refert compoſitionis, quæ quibus anteponas. Mirum, cur mei, tui, ſui, noſtri, & ueſtri primitiuorum genitiui his uerbis non apponantur, cum his ipſis perinde actiuè ac paßiuè utaris, liceat? Sed uſui authoritatiq; obtemperandum. Eorum autem loco cunctos authores mea, tua, ſua, noſtra, & ueſtra poſſeßiuorũ abſolutis ſubſtantiuis uſitatos, tam propalam eſt, quàm quod maximè. His accedit cuia. Cicero pro Varrone: Cædes detur ei, cuia interſit: non ei, cuia nihil interſit. Sed cuius multo eſt in frequentiore uſu. Idem in Philipp. Quis eſt hodie, cuius interſit hanc legem minuere? Significant autem hæc uerba, uti iam diximus, quatuor. Primùm pertinere. Cic. lib. ij. Acad. Medici, quorum intererat ea noſſe, aperuerunt, ut uiderentur. Plin. Cæcil. lib. Epiſtol. ix. Quiſquis ille, ſileatur, quem inſignire, exempli, non inſignire, humanitatis plurimum refert. Secundò utile eſſe. Plin. lib. xxxi. Horum ſententiam refellere intereſt uitæ. Salluſt. in Iugur. Sylla regi pateſecit faciendum aliquid, quod Romanorum magis, quàm ſua retuliſſe uideretur. Tertiò æſtimari. Liu. lib. xxvi. Ea uos rata habeatis Patres Conſcripti, nec'ne, magis reipublicæ intereſt, quàm mea. id eſt, magis reipublicæ, quàm mihi æſtimandum eſt. Idem lib. ij. Adeo'ne eſt fundata leuiter fides, ut ubi ſim, quàm qui ſim, magis referat? id eſt, magis æſtimetur? Quartò differre. Fab. lib. x.

Sunt

Sunt alia huius naturæ, ut nihil significationis, quo potius utaris, interſit, ut enſis, gladius. Liu. lib. xxix. Nihil noſtra intereſt, utrum ſub illo legato Locros eſſe ſinatis, an irato Annibali ad ſupplicium dedatis. Plin. Cæcil. in Paneg. Tu nihil referre iniquitatis exiſtimas, exigas, quod deberi non oportuerit, an conſti tuas, ut debeatur. Sed refert, amplius etiam quid mali nonnunquam oſtendit. Plautus in Caſina: Inimica eſt uxor tua mihi, inimicus filius. Quid id refert tua, unus tibi dum propitius ſit Iuppiter? id eſt, Quid tibi id obeſſe poteſt? Atq; his ita expoſitis, ſtudioſi adhuc tria mihi ſunt addocendi.

Quæ his uerbis accedant ad augendam eorum ſignificationem. *Caput XX.*

ADuerbia quædam, adhæc nonnulla inſtar aduerbiorum his uerbis quandoq; accedunt, intendendam & remittendam ad eorum significationẽ. Quæ noſſe haud fuerit ab re. Cic. ad Att. lib. xiiij. Magni intereſt Ciceronis, uel mea potius, me interuenire diſcenti. Terent. in Phorm. Parui retulit non ſuſcepiſſe. Plaut. in Rud. Nihilo pluris tua hoc, quàm quanti illud refert mea. Seruius Sulpit. apud Aul. Gell. libro iiij. Quanti interfuerat eam uxorem accipi. Fab. lib. v. Multum refert. Plin. lib. xvij. Plurimum intererit. Plin. Cæcil. lib. Epiſtol. iiij. Vehementer intererat ueſtra. Cic. lib. iij. Tuſc. Quorum maximè interfuiſſet. Liu. lib. ij, Magis referat. Sunt & alia ad hunc modũ, quæ ſcrupuloſius proſequi non eſt neceſſe.

Nihil referre latinitatis, utrum quis dicat, persuadere interest mea oratoris, an mea qui sum orator. Caput XXI.

NIhil est profectò toto isto genere Grammaticorũ incertius, nihil superstitiosius. qui ubi nihil dubitandum est, ibi maximè tricantur: ubi dubitandum, ibi obmutescunt. Vel quæ insania illa est, uti rectè, Latineq; dici negent, Bene dicere interest mea oratoris: dicendum autem, mea, qui sum orator? Cur enim tanta his uerbis fiat iniuria, ut pronomina possessiua ipsis adiuncta non eam uim retineant genitiuum iuxta se admittendi, quam habent, alijs uerbis applicita? Cur inquam non æquè Latinè dicatur, interest mea oratoris, ut Sortem nactus est urbanæ prouinciæ ex sua Chelidonis uoluntate? qui locus Ciceronis est in Verrem. Vtq; cum Brutus ad Ciceronem: Bibulum noli dimittere, tantum iam uirum, ex quanto potest euadere, qui uestris paucorum respondeat laudibus. Et P. Lentulus ad populum Rom. Neq; uestra ex parte, neq; nostra præsentiũ. Et M. Cato Ciceroni: Tuam uirtutem domi togati, armati foris pari industria administrare gaudeam. Et Liu. lib. vij. Valerius cùm desiluisset ex equo, nostrum inquit peditum illud milites opus est. Et Plin. Cæcil. lib. Epist. viij. Incipio gloriam petere post iudicium tuum uiri eruditissimi. Et Apuleius lib. viij. Met. Quæ res circunstantium ab emptione mea, utpote ferocissimi, deterruit animos. Quem dicendi modum ne Hagiographi quidem ignorarunt. Hieronymus lib. Basileon iij. Et consurgens intempestæ

intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis. Neq; enim refert, *quibus uerbis hæc pronomina adhæreſcant, dum ubique uim ſuam retineant. quando huiuſmodi genitiuus non à pronomine, ſed aut à uerbo, aut à nomine ſubſtantiuo regatur.* Obſeruandum tamen, *ſi ſecundam ad perſonam dirigatur ſermo, uocatiuo tum potius eſſe utendum. Liu. lib. xxiiij. Magis nullius intereſt, quàm tua Tite Octacili, nō imponere ceruicibus tuis onus, ſub quo concidas. Tacit. lib. xvij. Veſtra commilitones intereſt, ne imperatorem peßimi faciant. Quòd autem nonnulli circuitionem illam tanti æſtiment, uiderint ipſi. Nos utrunq; modum, ut Latinum, ſic uſurpandum cenſemus. Terent. in Adel. Id mea minime refert, qui ſum natu maximus. Plinius Cæcilius libro Epiſtolar. iiij. Vehementer intererat ueſtra, qui patres eſtis.*

Falſam eſſe Laurentij Vallenſis, ac cæterorum quorundam præceptionem, qui uerbis intereſt & refert perſonalibus nil aliud ſupponendū ſtatuunt, quàm pronomina quædam in neutro genere.

Caput XXII.

HEm ſiquis Latinam linguam probè ſartam (ut aiunt) ac tectam eſſe uelit, hanc Laurentio Vallenſi tuendam, propugnandamq; committat. Nihil enim hic ignorat, quod eam ad illuſtrandam, atq; adaugendam facere poßit. Dic mihi, ecquo Apolline doctus aſſeris, uerba intereſt & refert perſonalia, nil aliud pro ſuppoſito ſolere ſibi accipere, niſi pronomina quædam

quædam in neutro genere? qualia, id, quod, illud, hoc, istud, & similia. Verùm in te arguendo non pluribus immorabor, cum excellentissimi latinitatis authores te statim conuincant. Cic. ad Att. lib. iij. In Epeirum ad te statui me conferre, non quòd mea interesset loci natura. id est, non quòd mihi foret accommoda loci natura. Idem lib. iiij. de Finib. Mihi non satis uidemini considerare, quid interſit naturæ quæq; progressio. Plaut. in Mostell. Pluma haud interest, patronus an cliẽs fiat, cui nulla in pectore est audacia. Idem in Bacch. Triduum non interest ætatis, uter maior fiet. Plin. in Præfatione: Multum apparatus interest apud inuitatum hospitem, & oblatum. Idem libro xvij. Plurimũ intererit hac in quæstione terra, in qua seremus. Cic. ad Att. Quid refert una sententia omnium? Varro lib. i. Rerum rust. Hæc uarietas maximè refert. Plin. lib. vij. Incessus in grauida refert. Et libro xvij. Refert & tempus anni. Et lib. xviij. Plurimùm refert soli cuiusq; ratio. Rursus: Longitudo in his refert, non crassitudo. Iam'ne sentis Laurenti, his te exẽplis iugulatum? Quare uerba hæc personalia non modo pronomina illa pro suppositis accipiant, sed & quoduis aliud, modo sit personæ tertiæ, idq; singulare. Nam pluralis numeri nunquam legisse memini, nisi semel apud Plautum in Persa: Ex puella percunctari uolo, quæ ad rem referunt. id est, quæ ad rem pertinent.

Imperso-

Impersonalium actiuæ uocis secunda classis.

Caput XXIII.

RElIquæ prætereà huiusmodi impersonalium actiuæ terminationis species in suas classes digerēdæ. Non quòd in eis ullus insit magnus difficultatis scrupus, ulla interior explicanda perplexitas, sed quòd sua sponte in ordinem ueniunt. Simul ne prætermisisse, quod erudiendis studiosis faceret, aliquid uidere mur: pluribus alioqui recensitis, quàm antea ab ullo unquam factitatum. Igitur uerba huius classis à fronte pro suppositio requirunt uel infinitum, uel clausulam, à tergo datiuum. Qualia hæc, & alia.

Placet bat placuit, & placitum est. Fab. lib. ij. Pueros adulescentibus sedere permixtos non placet mihi.

Libet bat libuit, & libitum est.

Sedet bat sedit. Cic. lib. ij. de Legibus: Libitum est uobis me ad hoc impellere. Papinius lib. i. Theb. Tibi summe deûm socijs hanc addere mentem Sedit. id est, placuit. In quem sensum dicitur & cordi est. Columella libro v. Cui arbustum nouum instituere cordi est, seminaria ulmorum parentur.

Displicet bat displicuit, & displicitū est.

Dolet bat doluit, & dolitum est. Sen. lib. iiij. Nat. Nobis dolet, quòd solem emere non possumus. Aul. Gell. lib. ix. Id subitò perdolitum est cuidam T. Manlio.

Licet bat licuit, & licitum est. Cic. in Parad. Peccare licet nemini. Idem ad Att. lib. ij. Nihilo

hilo magis ei liciturum esset plebeio rempublicã perdere, quàm similibus eius me cõsule patricijs licitum esset. Sanè intelligendum, quod alioq i huic uerbo apponeretur in datiuo, id nõnunquam in accusatiuum transferri per uim infiniti. Cic. pro L. Flacco: Hanc te capere non licuit. Et lib. i. de Off. Hæc præscripta seruantem licet magnificè, grauiter, animosèq; uiuere. Sub hoc, accusandi casu cum præpositione per, eidem adiuncto, negatiuè prohibitionem, affirmatiuè potestatem rei alicuius faciundæ significari. Martialis lib. i. Per quem perire non licet meis nugis. Terentius in Hecy. Per me exquirere licet. Cic. Terentiæ: Expectassem Brundusij, si esset licitum per nautas. Postremò absolutum miram habet elegantiam. Cato in Re rust. Et si uoles insuper uinum Coum mixtum bibere, licebit bibas. id est, poteris bibere. Cic. ad C. Memmium: Totam hominis uitam, rationemq;, quam sequitur in philosophia, derideamus licet. Idem lib. i. de Offic. Licet ora ipsa cernere iratorum.

Apparet bat apparuit.
Liquet bat, sine præterito. Sen. lib. de Breuit. uitæ: Quam patiens iuris & æqui pietas Africani fuerit, cunctis apparuit. Fabius lib. ix. Relationem quid accipi uelit, non liquet mihi. Propè in sensum præcedentis uerbi accipiunt authores & Videtur impersonale, nisi quòd amplius electionem quandam adsignificat. Cic. lib. i. de Offic. Imitamur, quos cuiq; uisum est. Liu. lib. xxxi. P. Aelius, quem uideretur ei, cum imperio mitteret. Vbi tamen studiosi obseruent,

seruent, accusatiuum non regi à uerbo uidetur, sed à subintellecto infinito, nempe imitari, mittere. Atque ita reliquos omneis obliquos pro infinitorum exigentia, quibus accesserit, posse accipere.

Stat	*bat*	*stetit.*	*Cornelius Nepos in Vita Pomponij: Nam mihi stat alere morbum desinere. id est, decreui. Hoc idem cum accusatiuo & præpositione per, est impedimento esse. Plin. lib. xviij. Non stat per me, quò minus cœlum intelligas. id est, non te impedio, per me licet.*
Constat	*bat*	*constitit.*	*Plin. Cæcil. libro Epist. ij. Tanti constat, ut sis doctissimus. Cic. in Bruto: Præclarè tibi constat, ut nihil dicere uelis. Quem in modum usurpatur & immotum est, & fixum est, & decretum est. Tacit. lib. i. Immotum, fixumq; Tyberio fuit, non omittere caput rerum. Lucan. lib. i. Socerum depellere regno Decretum est genero.*
Prodest	*erat*	*profuit.*	
Expedit	*bat*	*diuit.*	
Confert	*bat*	*tulit.*	
Conducit	*bat*	*uxit.*	
Refert	*bat*	*retulit.*	*Plinius lib. xxxvij. Spectasse prodest oculis. Varro lib. ij. Rerum rust. Pabulum in fundo compascere plerunq; expedit domino fundi. Plinius lib. xxiij. Corpus augere uolentibus conducit inter cibos bibere. Idem libro xviij. Acino plurimum refert, si contingat crescente luna uindemiare. Plaut. in Bacch. Nihilo pluris ea res refert sibi, quàm si ad sepulchrum mortuo dicas iocum. In*

his uel

his uel datiuum in accusatiuum transferri usu uenit. Plin.lib.xxvij. Ischiadicos uti hac herba prodest.

Obest erat obfuit.
Officit bat offecit.
Nocet bat nocuit. Plin.Cæcilius lib. Epistol.vi. Nec uero Isocrati, quo minus haberetur summus orator, offecit, quòd infirmitate uocis impediebatur. Sen.lib.vij.de Benef. Non multum tibi nocebit transisse, quæ nec licet scire, nec prodest.
Conuenit bat conuênit. Plin.Cæcil.libro Epist.ij. Conuenit amori in te meo præmonere, quid debeas agere. In hoc uel datiuus in accusatiuum. Cic. pro Sex.Roscio: Homines ista potestate præditos his rebus maximè mederi conuenit.
Decet bat decuit.
Oportet bat oportuit. Plaut.in Amphit. Facinus, quod tu insimulas, nostro generi non decet. Liuius lib.xxxiiij. Honesta aut sola, aut prima certè pensari, decet principi orbis terrarum populo, & tanto regi. Aul.Gell.lib.vij. Fœminis solis uestem longè lateq; diffusam indecere existimauerunt, ad ulnas, cruraq; aduersus oculos protegenda. indecere, id est, ualde decere. Idem lib.viij. Adulescens præfatur elatius, quàm ætati eius decebat. Plaut.in Milite: Homini seruo suos domitos habere oportet oculos, & manus, orationemq;. oportet, id est, decet.
Excidit bat excidit. Fabius lib.ij. Non excidit mihi scripsisse me in libro priore.
Succurrit bat currit. Pli.Cæcil.in Paneg.

Fingenti

Fingenti mihi principem, quem æquata dijs immortalibus poteſtas deceret, nunquam uoto ſaltem concipere ſuccurrit ſimilem huic, quem uidemus.

Reſtat bat reſtitit. Seneca Epiſt. xcix. Cui naſci contingit, mori reſtat.

Accidit bat cidit.

Euenit bat euênit.

Obtingit bat obtigit.

Contingit bat contigit: Sen. Epiſt. lxxvi. Nulli ſapere caſu obtigit. Ouid. xi. Met. Iouis eſſe nepotem Contigit haud uni. Nam quòd plerique dicunt, aduerſa accidere, optata contingere, ne id quidē ſemper uerum. Terent. in And. Interea aliquid acciderit boni. Cic. ad Tytium: Si tibi unum hoc detrahi poteſt, ne quid his quos amaſti, mali putes contigiſſe.

Vacat bat uacauit. Fabius lib. x. Tunc & elegiam uacabit in manus ſumere. Et lib. xi. Oderit reum, cui eſſe diſerto uacet. Plinius Cæcilius libro Epiſtolar. i. Nihil legere aut aſſidenti uacat, aut anxio libet.

Tertia claſſis. Caput XXIIII.

HAec à frõte pro ſuppoſito requirunt uel infinitũ, uel clauſulam, à tergo accuſatiuum patientem. Qualia quæ ſubſcripſimus.

Iuuat bat iuuit.

Delectat bat auit. Sen. Epiſt. lxxviij. Iuuat bibere ſitientem. Cic. ad Qu. Fr. Te hilari animõ eſſe, ualde me iuuat.

Decet bat decuit.

Dedecet bat dedecuit. Horatius i. Carm. Hunc Lesbio sacrare plectro, Teq;, tuasq; decet soro res. Est, cùm decet honestamentum quoddam significat. Etenim quicquid decet, honestat, & ornat. Plin. lib. xxxvi. Callaides inclusæ decorantur auro, aurũq; nullæ magis decent. id est, honestant. Plin. Cæcil. lib. Epist. v. Illam thori quidam, & quasi iubæ decent. id est, decorant. Huius contrarium est dedecet. Ouidius libro i. Amorum: Nec dominam motæ dedecuere comæ.

Oportet bat oportuit. Verbum hoc, inquit Phocas, nullo casu indiget. Nimirum impersonale, & necessitatem significans. Nec falsò. Siue enim coniunctiuo, siue infinito coniungas, nullum casum regit. Cic. ad Cælium: Hominem occidat oportet, qui opera uestra uti uolet. Idem pro Deiotaro: Amplissimis uiris semel ignotum esse à te, oportet. Nam si accusatiuũ sponte sua regeret, uel mutato infinito, eundem indubitatò retineret. Personale tamen, idemq; necessitatem significans, nominatiuum regit. Terentius in Andria:

Adhuc Archyllis, quæ assolent, quæq; oportent
Signa ad salutem esse, omnia huic esse uideo.

Decere alioqui & oportere differunt. Quippe illud, authore Cicerone, significat quasi aptum esse, consentaneumq; & tempori & personæ. Hoc uerò perfectionem declarat officij, quo & semper & omnibus utendum est. Licere præterea latius est, quàm oportere. Siquidem aliquid est, eodem authore, quod non

oporteat,

oporteat, etiamsi liceat. Quicquid uero non licet, certè nõ oportet. Est postremò aliud opus esse, aliud necesse esse. Cic. ad Lentulum: Appius dictitabat, legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. Opus igitur est proprie, quod conuenit. Necesse est, quod aliter sese habere non potest.

Subit bat subiuit. Apuleius libro iiij. Metamorph. Subibat me, uiros finxisse cæcam esse fortunam.

Facit bat fecit. Valerius Max. lib. iiij. Quia locupletem illum faciebat non multa possidere, sed modica desiderare.

Affert bat attulit. Cic. pro Domo sua: Ad immortalitatem gloriæ plus affert desideratum esse à suis ciuibus, quàm omnino nunquam uiolatum esse.

Latet bat latuit. Plinius libro ij. Latet plerosque, compertum supernorum trium siderum ignes esse.

Præterit bat iuit.

Fugit bat fugit. Plin. Cæcil. lib. Epist. vi. Nec me præterit, usum esse & haberi optimum dicendi magistrum. Cicero ad Att. De Dionysio fugit me scribere.

Desiderat bat duit. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Nam delectare, persuadere, copiam dicendi, spatium q; desiderat.

Quarta classis. Caput XXV.

HAec sui passiua dicitantur. Quippe idiopathian, hoc est, innatam propriamq; passionem adsignificãt. Quid est enim, me pœnitet, pudet, tædet, nisi pœnitentia, pudore, tædio afficior? Suppositum igitur patiens habeant, necesse est. Horum uerborum ea uis, id ingenium, ut accusatiuo anteriore personam exprimant, in qua fit passio: genitiuo, eoq; posteriore, rem uel personam, unde illa ipsa proficiscitur, ostendant. Cic. ad Appium: Video planè fore, ut inimicos tuos pœniteat intemperantiæ suæ. Idem ad Pontific. Vt me non solum pigeat stultitiæ meæ, uerum etiam pudeat. Est, cum uice genitiui subinde accipiunt uel infinitum, uel clausulam. Fabius lib. iij. Neminem didicisse pœniteat. Planeus ad Ciceronem: Nunquam me pœnitebit, maxima pericula pro patria subire. Quibus omnibus præclarè satis iam liquere arbitror, uerba hæc primùm passiuam habere significationem, adhæc accusatiuum à fronte patientem, à tergo genitiuum agentem sibi adsciscerè. Quod ideo libuit admonuisse, ne cui Aldus Manutius aliter præcipiens, uir ille quidem eruditus, sed non satis certus ac limatus, imponat. Permulta sunt mediusfidius in eo bona. Sed pleraq; ita dubia, ut dum magnifica illa sua fragmenta identidem pollicetur, ne micas quidem satis utiles interim præbeat. Itaq; quo maior est authoritate, hoc cautius legendus est. Nusquam enim fides labitur pronius, inquit Plinius, quàm ubi falsæ rei quispiam grauis author existit. Sed & participia huiusmodi

modi è uerbis descendẽtia, eundem genitiuum à tergo sibi reposcunt. Id quod clarißimo est argumento, uerba hæc non posteriorem exigere accusatiuum. Suet. in Vitellio: Non multo pòst pœnitens facti. *Tacit. lib. xv. Epicharis quædam lentitudinis eorum pertæsa, primores illigare connixa est. Nec obstat, quod alibi à Suetonio dictum,* Pertæsus ignauiam, *&*, Pertæsus peruersitatem morum. *quando ibi pertæsus ut constructione, ita significatione priori illi iuxta prouerbiũ ex diametro aduersatur. De quo mox, ubi de participijs. Ac ne ratio quidem illorum admittenda, qui genitiuum propterea his uerbis supponendum arbitrantur, quòd in locum nominatiui succeßit. A quibus Terentianum illud in Adel. mirum in modum facere uidetur,* Non te hæc pudent? *nempe recto in genitiuum cõuerso,* Non te horum pudet? *Sed nihili, & uano argumẽto. Quia utroq; in uerbo eadem significatio non remanet. nam in uno actiua est, in altero paßiua. Quid est enim,* Non te hæc pudent, *nisi hæc non te pudore afficiunt? Quid rursus,* Non te horum pudet, *nisi,* horum pudore non tu afficeris? *Mutata igitur significatione, necessariò mutatur & constructio.*

Pœnitet bat pœnituit. *Cicero in Catone:* Num si ad centesimum uixisset annum, senectutis eum suæ pœniteret? *id est, tæderet. Significat & parum uidetur. Plaut. in Sticho:* Si duarum pœnitebit, addentur duæ. *Cic. lib. vi. de republica:* Ipsa terra ita mihi parua uisa est, ut me imperij nostri pœniteret.

Est etiam pœnitere, dolere: de quo iam.

Piget bat piguit. Sunt, qui uerbũ hoc etiam exponant, non surgit mihi animus. Ad quod Plinianum illud lib. ix. mihi facere uidetur: Pigeret re ferre, ni Mecœnatis esset literis mandata. Nec desunt, inter quos Ambrosius Calepinus, qui uel datiuum pro accusatiuo interdum regere autument. ut cum Ouid. ij. Met. Pigetq; actorum sine fine mihi, sine honore laborum. Sed magno suo errore. Quando datiuus hic non ad uerbum piget refertur, sed ad participium actorum. ut sit Mihi, pro à me.

Pudet bat puduit. Pli. lib. xxxvi. Cum puderet uiuos, tanquam puditurum esset extinctos. Quo Pliniano dicendi genere obiter annotandum, puditurum esset, non minus esse uerbum, atq; pudet, ac puditum est. An quibus una atq; eadem uis omnino subest eorundem casuum regendi, tum anteriorum tum posteriorũ, non ea omnia pariter uerba existant? Nisi forte puditurum participium, & esset uerbum se iuncta, per se unumquodq; accusatiuum illum anteriorem regere possunt. Quo quid à uero magis alienũ? Igitur qua potestate dixerimus, Nos pudet peccatorum, eadem certe dicendum, Nos puditurum est peccatorum. Vbi inter suppositum & puditurũ est, tam conuenire potest, natura scilicet uerbi repugnante, quàm inter nos & pudet. Quare puditurum est, uerbum sit, necesse est. Iam uero pigitum est, & puditum est, pro piguit, & puduit, iam quis inter uerba non recepit? Aul. Gell. lib. xiij. Pigitum est cinctos saltem esse,

esse, & penulatos. Apuleius in Apologia: Nónne uos puditum est hæc crimina tali uiro obiectare? Atque hæc si uera sunt, ut sunt, igitur uel amans sum, amatus sum, amaturus sum, & amandus sum, adhæc legendũ est, seruiendum est, & alia id genus, ut sic coagmentata, uerba sint oportet.

Dispudet bat dispuduit. Apul. in Apologia: Non uos tot calumniarum tandem dispudet?

Tædet bat pertæsum est. Verg. v. Aeneid. Quos pertæsum magni incœpti est. Cic. in Verrem: Sunt homines, quos libidinis, infamiæq; suæ neque pudeat, neq; tædeat.

Miseret bat misertum est.

Miserescit bat, sine præterito. Terent. in Hecyra: Me miseret mulieris. Idem in Heaut. Atque inopis te miserescat mei. Quem in modum & misereturimpersonale construitur. Quadrigarius lib. xix. Annalium: Ecquando te & nostrum & reipublicæ miserebitur? Cic. lib. i. de Inuent. Vt maioribus assurgatur, ut supplicantiũ misereatur. Quid ueritum est, nónne pulcherrimum annotatu? Accius apud Non. Veretur te progenitoris. Cic. lib. ij. de Finib. Primum Aristippi, Cirenaicorumq; omniũ, quos non ueritum est in uoluptate summum bonum ponere. Id autem perinde est, ac si dixisset, Te pudet, Quos non puditum est. Illud autem intelligendum, omnia huius centuriæ uerba uel personalia reperiri. Quorum exempla apud optimum quenque authorem passim cernas, licet.

Quinta classis. Caput XXVI.

HAec à fronte pro suppositio requirunt uel infinitum, uel clausulam, à tergo casum cum præpositione, uel per se perfecta sunt.

Pertinet bat pertinuit. Huius uerbi quoniam multiplex intellectus, haud ab re fecero, si omnia eius significata appositis exemplis explanauero. Est, ubi officium adsignificat. Liu. lib. v. Dies dicta erat tribunis plebis biennij superioris à Virginio, & Q. Pomponio, quos defendi patrum consensu, ad fidem senatus pertinebat. Est, cùm utilitatem. Idem lib. i. Si secum congressus sit, satis scire ea se allaturum, quæ nihilo minus ad rem Romanam, quàm ad Albanam pertineant. Sen. lib. v. Controu. Nihil tibi nocet arbor recisa, mihi plurimum non recisa. Quid ad te illi rami pertinent, qui extra domum sunt? Est, cùm æstimationem. Liu. lib. xxvi. Ad rempublicam pertinet, ne acta mea rescindẽdo, alios in posterum segniores duces faciatis. Est, cùm aptitudinem, & conuenientiam. Fabius libro i. Cur non pertineat ad literas ætas, quæ ad mores iam pertinet? Sen. lib. i. de Benef. Si quæ ad rem non pertinent, transilire mihi permiseris. Est postremò, cum significat pertingo, peruenio, contingo. De quibus Hadrianus Cardinalis in eo quẽ de modis Latinè loquendi scripsit, nimis quàm eleganter, & copiosè.

Interest erat interfuit. Cic. lib. ij. Acad. Hæc refelli possunt, sed ad id quod agitur, nihil interest. id est, nihil pertinet. Liuius lib. v. Ad disciplinam militiæ

militiæ plurimùm intererat, insuescere militem nostrum parua uictoria frui. id est, plurimum conducebat. Cic. pro Gn. Plancio: Hic est è præfectura Atinati, non tam prisca, quantum interesse uis ad rationem petendi. id est, opus esse. Idem pro Sex. Roscio: Et certè ad rem nihil interfit, utrum ego comicũ adulescentem, an aliquem ex agro Veiente nominẽ. id est, nihil differt, aut non magni æstimandum est. Et pro Milone: Interfit inter uitæ dignitatem summorum atq; infimorum. id est, esto differentia sit.

Refert bat retulit. Plautus in Perſa: Quid id ad me, aut meam ad rem refert, Perſæ quid rerum gerant? id est, quid mihi prodest? Varro lib. i. Rerum rust. Refert ad fundi fructus, quemadmodum uicinus in confinio consitum agrum habeat.

Attinet bat attinuit. Plin. lib. xviij. Vergiliæ priuatim attinent ad fructus. id est, pertinent. Brutus ad Ciceronem: De Apuleio quid attinet ad me scribere? id est, quid refert, uel quid opus est? Fabius libro v. Ego uero ista non dico, quid enim attinet illa bis dici? id est, quid opus est. Cic. lib. i. de Off. Nec attinet repugnare naturæ. id est, nec decet.

Expedit bat expediuit. Plin. lib. xxij. Expedit ad lienem bibere.

Constat bat constitit. Cic. ad Memmiũ: Te abiecisse ædificationem constabat inter omnes amicos tuos. id est, manifestum erat. Idem ad Herenniũ: Quæ dicta sunt, arbitror mihi constare cum cæteris artis scriptoribus. id est, conuenire.

Facit bat fecit. Quintilianus libro ij. Iam collidere manus, terræ pedem incutere, fœmur, pectus, frontem cedere, mire ad pullatum circulum facit. id est, pullatorum coronæ conuenit.

Conuenit bat conuenit. Colum. lib. ij. De sarritione non conuenit inter authores. Sen. libro ij. Contro. De prima quæstione nulli cum altero conuenit. Iuuenal. Saty. xv. Sæuis inter se conuenit ursis. Terent. in Hecyra: Nec conuenturum inter nos posthac esse arbitror. Quo Terentiano quidem exemplo manifesti erroris obiter illi conuincuntur, qui impersonalia actiuæ uocis futuro infiniti carere asseruerunt.

In calce illud obseruandum, actiuæ impersonalia literaturæ, quæ recensuimus, eisdem seruatis intellectibus, cum sunt personalia, tertias uoces utriusq; numeri tantum in usu habere. His tamen quæ sequuntur, ferè exceptis, est, placet, displicet, prodest, obest, officit, nocet, iuuat, delectat, affert, desiderat, & miseresçit. Quibus insunt uoces omnium personarum, tam singulares quàm plurales. Porrò Papinianum illud lib. x. Theb. Si non dedecui tua iussa: ut perrarum, sic non usurpandum.

De uerbis per genus defectiuis. Cap.

XXVII.

Postremò defectiua per genus uerbis quà personalibus quà impersonalibus summum fastigium imponant: quando & his famulantia sunt, & sine illis nullius ferè sunt usus latinitatis. Defectiua autem, ut ego arbitror, ideo appellata, quòd nullius sunt generis. ho-

ris. hoc est, neq; actiua, neq; passiua, neq; neutra, neq; communia, neq; deponẽtia. Quid ita? Nimirum quia nec determinatam habent significationem, nec determinatam structuram. Est nanq; in uerbis duplex significatio. Vna, id quod ab unoquoq; uerbo significatur: altera, significandi modus, hoc est actiuitas ipsa, uel passiuitas. Quo fit, ut quorum uerborum est determinata actiuitas, ea omnia rectum, uel obliquum semper ante se requirant agentem. Quorum definita passiuitas, omnia itidem rectum, uel obliquum patientem. Hæc autem quoniam nec fixam nec propriam habẽt actiuitatem, aut passiuitatem, iccirco nullam determinatam habẽt structurã. Sequitur enim certam quanq; significationem sua structura. Sed pro qualitate infinitorum, quibus ancillantur, nunc actiuam, nunc passiuam referunt: eorum naturam haud secus, quàm cameleon proximum quenq; colorem, reddentia. Prorsus, ut sp̃te sua nullos casus regant: ut uel Cameleontina multo iustius, quàm famularia, fuerint appellanda. Hæc igitur cum suopte ingenio sint indeterminatæ simul actiuitatis, simul passiuitatis, porrò iuncta infinitis uerborum personalium, sunt personalia, indutaq; sibi eorum significatione, nominatiuum, nempe agentem, infinitis actiuè, patientem uero, eisdem passiuè significantibus, ante se petunt. Plin. Cæcil. libro Epistol. iij. Potestis efficere, ut malè moriar: ne malè moriar, non potestis. Iuncta uero infinitis impersonalium, sunt itidem impersonalia: casuq; recto, qui totius est author personalitatis, amisso, aut nullum ca-

sum,

sum: aut certè quem casum sua impersonalium finita ante se exigerent, hunc eundem famularia cum ipsorum infinitis coniuncta à fronte requirunt. Plin. Cæcil. lib. Epist. iiij. *Huic uitio occurri uno remedio potest.* Cic. de Arusp. resp. *Cuius authoritatis neminem posset pœnitere. Possum & clausulam admittere.* Valer. Max. lib. iiij. *Multum occupasse, habere inuidiam potuit: tantũ tribuisse, gloria carere nõ potuit. Quod autem Iustinus dixit libro xi. Primi pœnitere cœperunt: quod item* Apul. libro v. Met. *Tum memineris meæ seriæ monitionis, cum cœperis serò pœnitere: sanè infinitum hoc istiusmodi in locutionibus nõ est à pœnitet impersonali, sed à pœniteo.*

Possum	potes	potui,	
Queo	is	iui	itum.
Nequeo	is	iui	itum.
Cœpi	cœpisti	cœptum.	
Incipio	is	incœpi	incœptum. Iustinus

lib. xij. Pigere eum facti cœpit. Oui. lib. ij. de Remed. *Incipiet dominæ quenq; pudere suæ. Hoc uel transitiuum sine infinito nonnunquam inuenitur.* Terent. in Heaut. *Neq; quod principium incipiam ad placandum scio.* Liu. lib. ix. *Armatos, cum ab neutris prælium incipitur, nox oppreßit.* Plin. Cæcil. in Paneg. *Incipimus inde, desinimus ibi, à quo incipi, in quo desini sub alio principe nemo posset. Nam et absolutum usurpatur.* Verg. iij. Aen. *Vix prima incœperat ætas.* Fab. lib. i. *Optimè institutum est, ut ab* Homero *atq; Vergilio lectio inciperet.* Idem libro ix. *Optimè incipitur*

cipitur à longis.

Desino is siui itum. Liuius libro xxiij. Non desiuisse pœnitere me belli, nec desiturum esse. Sen. Epist. xl. Si te pudere desierit.

Debeo es debui itum. Perfectionem hoc uerbum declarat officij, ut oportet. Cæsar lib. ij. Gall. bel. Pugnatum ab hostibus ita acriter est, ut à uiris fortibus pugnari debuit. Hoc idem interim actiuũ est, interim neutrum. Actiuum, ubi solucdæ pecuniæ, aut alterius rei alicuius debitum ostendit. Plautus in Bacch. Ducentos philippos attulimus aureos Ephesio, quos hospes debuit nostro seni. Cic. pro Sylla: Per solui patriæ, quod debui, reliqua iam à me meæ perpetuæ naturæ debentur. Neutrum, ubi accepti beneficij obligationẽ signat. Idem Curioni: Est animi ingenui, cui multum debeas, eidem uelle plurimum debere.

Soleo es solui, & solitus sum. Sallust. lib. ij. Hist. Neq; subsidijs uti soluerat compositis. Cicero ad Att. lib. viij. Solet eum, cum aliquid furiosè fecit, pœnitere. Volo autem nullo modo Cameleontinũ esse, hoc est famulare, uel duo, quæ subscripsimus, probant exempla. Curt. lib. iiij. Malo me fortunæ pœniteat, quàm uictoriæ pudeat. Cic. pro Ligario: A te ignosci nemini uellent.

Obseruata in eisdem. Caput XXVIII.

AD extremum notandum illud, ex his uerbis tria esse, nimirum cœpi, desino, et queo, quæ iuncta cum infinitis passiuæ terminationis, possunt arbitratu nostro & uocem seruare actiuam, & formam subire passiuam.

paßiuam. Liu. lib. ij. Plebi iniuriæ à primoribus fieri cœpere. Plin. lib. ij. Turres bellicis temporibus desiere fieri. Liu. lib. iij. Contemni cœpti erant à finitimis populis. Cælius Ciceroni: De damnatione feruenter loqui est cœptum. Cicero in Bruto: Veteres orationes post nostras à plerisq; legi sunt desitæ. Idem lib. ij. de Off. Desitum est uideri quicquam in socios iniquum; cum extitisset in ciues tanta crudelitas. Terent. in Hecyra: Forma in tenebris nosci non quita est. Aul. Gel. lib. xx. Sæuitia contemni non quita est. Lucret. lib. i. Suppleri summa queatur. Et Apuleius in Apologia: Sola uirginitas cum semel acceptaest, reddi nequitur. Sedenim hæc ut exosculanda, sic illa non perinde amplectenda. non quòd fornacē latinitatis non sapiant, ut quæ nobilißimorum scriptorum authoritate probentur: sed quòd uetusta nimis, ac prisca, antiquitati, ut prærancida, iam sunt renuncianda. Ceu cum Ennius, Nec retrahi potestur imperijs. Et Cælius: Bellum geri poteratur. Et Quadrigarius: Cum non possetur decerni. Viuendum est enim, suadente Phauorino philosopho, moribus præteritis, loquendum uerbis præsentibus.

AVGV-

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Quartus.

De infinitis. Caput primum.

INFINITA uero tantam Latinæ orationi gratiam, eam afferunt commoditatem, ut maiorem nō modo sperari, sed ne optari quidē liceat. Nam quotusquisq; sermo est, in quem infinita non sese immisceant? Quotus inquam sermo nota aliqua uel effectiua uel adiunctiua suspensus, alioqui indicatiuo, aut coniunctiuo enunciabilis, qui per infinitum non multo elegantius expromatur? Quo magis omnibus neruis mihi adnitendum, ne quid prætermittam, quod eorum cumulatiorem ad explicationem facere posit. Quando his diligenter explanatis, uel impersonalibus non minima lux inde accesserit.

Quibus infinita cum impersonalibus conueniant, & quibus dißideant, adhæc cur utraq; sic appellata. Caput II.

PRincipiò infinitis cum impersonalibus non parua intercedit naturæ communitas: primum utrisque uerbis existentibus, deinde numeris ac personis utrisque defectis. Nullos enim, quantum est in se, neq; numeros designant, neq; personas. Roget quis: Cur ego idem uocabulum ambo sortita non sunt? Nimirū quia priuatio illa numerorum ac personarū infinitis contrà, atq;

trà, atq; impersonalibus cõtingit. Quippe illa carent ſpõte naturæ, hæc ob carentiã ſuppoſiti recti. Quid, quòd impersonalia per modos finitos, etſi exiſtẽtibus numeris, & personis caſſa, ſpeciem tamen, effigiemq; neſcio quam numerorum, perſonarumq; figurãt? ceu pœnitet, pœnitebat, itur, ibatur. Videtur enim quod non ſunt, quemadmodum & cadauer, homo: & cicendula, ignis. Infinita uero nihil horum. neq; enim poſſunt, reluctante natura. Rectè igitur illa dicta ſunt impersonalia, quòd ueritate ac differentia numerorum atq; perſonarum deficiant. Hæc uero infinita, quod nihil eorum, ne ſpecie quidem tenus, ullo modo effigiant, ſed undiq; indefinita ſunt, & indeterminata. Vnde et perpetua non immeritò à quibuſdam nuncupata. Poſtremò (ut tertia accedat differentia) impersonale genus eſt quoddam per omneis modos & tempora diffuſum, ac declinabile. Infinitum uero intra unum modum tantum, & eum quidem ex quinq; poſtremum, atq; imperfectum continetur.

Infinita uerborum perſonalium accuſatiuum anteriorem tantum accipere. Caput III.

VT uerborum finitorum, ſic etiam infinitorum duplex genus, quædam perſonalium, pars impersonalium. Infinita eo ipſo quòd infinita, arcano quodã modo, & inſitã quadam ex ui, accuſatiuum à fronte ſibi requirunt: Agentem, ſi actiuæ ſunt ſignificationis: patientem, ſin paſſiuæ. Eoſdem uero tum poſteriores, tum ulteriores caſus ſibi prorſus exigere, quos et ſua ipſorum finita, quis neſcit? Accuſatiuum inquam anteriorem,

anteriorem, nempe illa, quorum finita sunt personalia. Quod genus Papinianum illud lib. iij. Theb.

Iuppiter omnipotens, nam te pernicibus alis
Addere consilium, uolucresq; implere futuri
Accipimus. Quodq; Aul. Gellius libro iij. Memoriæ mandatum est, Aristotelem libros pauculos Speusippi emisse talentis Atticis tribus. Quod Cic. in Verrē: Dico, Potamonem scribam retentum esse à Verre in prouincia. Quod deniq; Plin. lib. xiiij. Inuenimus inter exempla, uxorem, quòd uinum bibisset è dolio, interfectam fuste à marito, eumq; cædis à Romulo absolutum. Quippe sic natura comparatum, ut quibus uerbis nominatiuus per modum finitum antecedit, eisdem accusatiuus locò nominatiui per infinitum antecat. Contrà uero, quorum infinitorum uerba finita sunt impersonalia, ea nunquam accusatiuum ante se admittere queunt. Vnde hoc? Quandoquidem quibus uerbis rectum casum per modum finitum supponi nō datur (neq; enim aliter impersonalia forent) eisdem ne accusatiuus quidem per infinitum subijci permittitur. Idq; uerum, nisi ex quarta impersonalium classe extiterint. Quando quem accusandi casum ea uerba accipiunt finita, eundem (nimirum ui ipsa impersonali) reposcunt uel infinita. Sen. Epist. lxxxi. Nullū est odiū pernicioſius, quàm me beneficij uiolati puderē.

Infinita præsentis pro præteritis imperfectis indicatiui, nominatiuum prō accusatiuo ante se capere. Caput IIII.

SVperior canon primū fallit, infinitis præsentibus

pro præteritis imperfectis indicatiui collocatis: nominatiuum pro accusatiuo tum exigentibus. Quod ideo præstantißimos authores factitare asserit Donatus, ut oratio sit maioris asseuerationis, concitatioriśq; motus. Sallust. in Iugur. Milites Romani perculsi insolito metu, arma capere, alij sese abdere, pars territos confirmare, trepidare. Cernis, quàm uelox maturitas, quàm matura uelocitas? Hoc igitur dicendi genere, quoniam elegantißimum est, & nobis utendum.

Esse, & fuisse non semper accusatiuum regere, sed alia & alia structura pollere.

Caput V.

QVid esse, & fuisse, quibus Latina lingua nihil habet usitatius, nihil uenustius, num eo ipso quod sunt infinita, perpetuò accusatiuum à fronte sibi requirunt? Minimè. Nam pro sua multiplici natura, nunc hac, nunc illa reflorent structura. Ac primùm uim sapientia copulatiuam, si à suppositio uerbi finiti personalis, cui iunguntur, pependerint, tum proculdubiò semper copulant similes casus rectos. Terentius in Adel. Meditor esse affabilis. Cic. lib. i. de Diuinat. Is cibus tranquillitatem mentis quærentibus constat esse contrarius. Martialis in Xenijs: Non edat hanc uolucrem, qui cupit esse salax. Ouidius lib. Met. xij. Sedenim quia retulit Aiax Esse Iouis pronepos. Lucanus lib. ix. Tutumq; putauit, Iam bonus esse socer. Pendentia uerò ab appositio uerbi finiti, siue id personale existat, seu impersonale, tum copulant similes

miles casus obliquos. Cic. in Catilinam: Cupio me esse clementem. Liu. lib. xxi. Necesse est uobis esse uiris fortibus. Claudianus in Ruffinum: Natura beatis omnibus esse dedit. Quæ ratio copulandi similes casus non solum hoc in uerbo, uerùm etiam in alijs similiũ copulatiuis uera existit. Ouid. in Epistolis: Quæ merui culpa fieri tibi uilis Achille? Horatius in primo Serm. Quò tibi Tulli, Sumere depositum clauum, fieriq; tribuno? Val. Max. lib. iij. L. Sylla, cùm esset Imperator, chlamydato sibi & crepidato Neapoli ambulare deforme non duxit. Et lib. v. Maximo tibi & ciui & duci cuadere contigit. Tertiò si absoluta clausula uerbis supponuntur, uel apponuntur, tum accusatiuum uel tacitum uel expressum ui infinita utrinq; requirunt. Plin. lib. ij. Omnes fontes esse gelidiores æstate, quàm hyeme, quem fallit? Cicero ad Lentulum: Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam. Ouid. libro Met. v. Quantum est, esse Iouis fratrem? Et lib. ix. Et me dignus eras, uerùm nocet esse sororem. Est autem hæc regula semper uera, nisi uel possessiuè, uel acquisitiuè, uel effectiuè, uel absolutè constructa fuerint. Nam etsi omnibus istis modis accusatiuum anterior ẽ petunt, possessiuè tamen à tergo genitiuum, acquisitiuè datiuum, effectiuè septimum, absolutè casum cum præpositione sibi adsciscunt. Terent. in Eun. Apparet seruũ hunc esse domini pauperis. Aemilius in Prologo: Populo esse spectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Cic. ad Lentulum: Hac me mente fuisse, senatus ex me te consule audiuit. Ad eundem

Scis Pompeium temporibus illis non sæpe fuisse in senatu. Postremò adiuncta cuipiam nomini, si antecesserint secundæ classis impersonalibus, & tota oratio ad unam & eandem personam referatur, tum nomen illud exigunt, aut in accusatiuo sponte infiniti, aut in datiuo ex ui uerbi, cui supponuntur. Cic. pro Corn. Balbo: Ciui Romano licet esse Gaditanum. Cæsar lib. vi. Gall. bel. Quibus iam licet esse fortunatissimos. Cicero lib. i. Tuscul. Licuit otioso esse Themistocli, licuit Epaminondæ. Ouid. lib. viij. Met. Nec fortibus illis profuit armentis, nec equis uelocibus esse. Atq; de infinitis esse & fuisse, hactenus hæc. Quibus qui aliter, atq; ipsi hic nos præcepimus, usi fuerint, nouerint non se Latinè, sed barbarè locutos.

Non Latinè dici, Ciceronis interest esse eloquentis. *Caput VI.*

QVo magis miror, quid in mentem uenerit sciolis quibusdam, qui rectè, Latinéq; dici præcipiunt, Ciceronis interest esse eloquentis, &, Romanorum magni retulit fuisse bellicosorum: cum hoc structuræ genus apud idoneos authores nusquam reperiatur. An ideo licet, quia dicimus, mihi placet esse docto, illi uacat esse diserto, omnibus expedit esse bonis, nulli contingit esse felici, Epaminondæ licuit fuisse otioso, equis non profuit esse uelocibus? Non licet. Non licet inquam Grammatico, quatenus Grammaticus est, nouarum structurarum authorem se facere. Nostrum est, non quid potuerint, aut debuerint, sed quid dixerint authores, diligentissimè obseruare. Neq; enim si quid

quid analogia, uel ratio permittit, id continuò tanquam plausibile admittendum est. Fluxa est enim omnis ratio Grammatici, cui nullum succurrit exemplũ, quam recepta scriptorum authoritas non stataminat. Grammaticis eatenus credẽdum, quatenus, quod præcipiunt, exemplis confirmauerunt. Quare facessat ex omnibus ludis temeritas tanta, nec doceamus quicquam, quod aut dubium, aut minus probatum existat.

Quo differant infinita passiuorum ab infinitis impersonalium passiuæ terminationis.

Caput VII.

INfinita uero uerborum passiuorum ab infinitis impersonaliũ passiuæ terminationis duobus differunt. Primum, quoniam illa semper accusatiuum patientem à fronte sibi requirunt, hæc uero nunquam. Cic. ad Trebatium: Consuli te à Cæsare scribis, sed ego tibi ab illo consuli mallem. Deum immortalem, quàm paucis, quàm bene Cicero hanc differentiam demonstrauit. In ordinem autem locus sic digeritur. Scribis te consuli à Cæsare, sed ego mallem consuli ab illo tibi. Cernis, utrobiq; ut eadem sit uox infiniti? Alterum tamen est à consulor, passiuo, uidelicet te consuli à Cæsare: alterum à consulitur impersonali, cùm subiungit, consuli ab illo tibi. Huc tendit & Liuianum illud ex lib. viij. Creditum uulgò est, subueniri frumentatoribus à legato potuisse. Secundo loco dissident, quòd illorum præteritum perfectum constat ex participio & infinito esse, uel fuisse. Cui quidem participio in

genere, numero, & casu, cum suo supposito conueniendum est. Impersonalium uerò ex priore supino, & eodem infinito. Sallust. in Iugur. Quæ ab imperatore decuerant, omnia suis esse prouisa. Cic. lib. ij. de Nat. deor. Facilius intelligitur, à dijs immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta. Hirtius de bel. Africo: Animaduertebat sæpe fugatis hostibus à se & concessam uitam, & ignota peccata. Cicero pro Deiot. Amplißimis uiris semel ignotũ esse à te, oportet. Meminerimus tamen præterita perfecta impersonaliũ pro supposito uel infinitũ uel clausulam habentium, illa tum constare potius ex participio, primum quia significationem habent passiuam: deinde quia ex ueris actiuis, quorum paßiua sunt uera p,roficiscuntur. Sallustius in Iugurth. Maurus dicit, sibi à speculatoribus cognitum, haud procul Iugurtham abesse. Liuius libro iiij. Neuter tribunos militum eo anno fuisse, traditum à scriptoribus antiquis dißimulat.

Præterita perfecta impersonalium paßiuæ uocis, quibus nulla sunt supposita, constare ex priore supino, & uerbo substantiuo. Cap. VIII.

OBiter studiosos illud mihi admonendum, præteritum perfectum, & plusquàm perfectum, nec non futurum subiunctiui omnium impersonalium paßiuæ terminationis, quibus nullum neque infinitum, neque clausula in locum suppositi antecedit, ex priore supino, et uerbo substantiuo componi. Qualia, uentũ est, itum est, subuentum est, assurrectũ est, insanitum est, inser-

inseruitum est, intercessum est, mansum est, & alia id genus sexcenta. Id quod triplex mihi ratio facilè persuadet. Simul, quia talia participia nusquam reperiuntur. Simul, quia nullum habent suppositum, cui respondeant, quod faciunt participia. Simul, quia eiusmodi uerborum compositiones à significatione actiua nunquam desciscunt.

Participia præteriti perfecti, & futuri in rus, uim nonnunquam induere infinitam. Caput IX.

RAtio Grammaticæ, & communis authorum usus exigunt quidem certè, ut participia uerbo substantiuo composita, ea in genere, numero, et casu, his suppositis semper respõdeant, quæ ipsis uerbis naturâ et ordine antecedunt. Ceu cum Cic. in Verrẽ: Video non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cædis. Rursus: Hoc dico, Cererẽ antiquissimâ à Caio Verre ex suis templis esse sublatã. Et lib. v. Tusc. Me authore, Peripatetici clara uoce audeãt dicere, beatã uitam in Phalaridis taurum descensurã. & pro Mil. Spero multa uos, liberosq; uestros in rempublicã bona esse uisuros. Hoc inquã exigit ipsa ratio Grãmaticæ. Verum tamen excellẽtissimi authores euphoniæ, uerborũq; delectui, nec non modulamentis orationis indulgẽtes, his ipsis nonnunquã sic usi sunt, tanquã illa non iam sint participia, sed tanq̃ uerba quædã infinita, quæ Græci aparẽphata dicũt. Prorsus, ut uim quandã induãt infinitã. sic, ut quemadmodũ ab omni ratione suppositi quoquo modo sunt absoluta, sic nullis neq; numeris præseruiãt, neq; generib. sed undiq;

in hæc uerba: Hercle credo te facilè impetratum ire. Sed nunquid inculpata, approbataq; præcipiendi ratio uno tantum exemplo constat? Quin afferamus ipsi iam exempla ex uetere memoria plena dignitatis, quibus propalàm fiat, huiusmodi infinita præsentis, uel præteriti imperfecti potius, quàm futuri temporis existere. Plautus in Cistell. Tu, atq; hæc, soror si mea esses, quî magis mihi potueritis ire honorem habitũ, nescio. habitum ire dixit, pro habere. Idem in Bacch. Sine hoc exorare, ut istuc delictum desistas tantopere ire oppugnatum. pro oppugnare. Liu. lib. xxxix. Vi Atricus tuus pudicitiam, uitamq; tuam perditum ire hoc facto properat. pro perdere. Fabius lib. xi. Sed illa quoq; diuersa bonum uirum decent, malos odisse, publica uice commoueri, ultum ire scelera. pro ulcisci. Aul. Gell. lib. vij. Cato nihil sibi factu in ea re turpe duxit, quin omnium sententiarum uia seruatum ire socios niteretur. pro seruare. Idem lib. xij. Publica detestatione dignum, in ipsis hominẽ primordijs, dum animatur, interfectũ ire. pro interficere. Et lib. xiiij. Homo nobis familiaris, adiutum, inquit, ornatumq; uolo ire noctes tuas, & simul dat mihi librum grandi uolumine. pro adiuuare, ornareq; uolo. Sentis quàm longè aliter habeant nobilißimi authores, atq; isti inculcant? Est tamen interim, cum nihil tale faciunt, sed uim suam retineant, ac motum quendam localem significent. Quod genus Plautinũ illud in Pseud. An tu coquinatum ire quóquam postulas? Quodq; Sen. lib. vij. Declam. Laberium Iulius cum iußisset ire

seſſum, omnes ita ſe coarctauerunt, ut ucnientem non reciperent. Quid, alterum illud infinitorum genus, amatum iri, doctum iri, num ſemper futurum tempus deſcribit? Minimè. Eſt, cùm præſens, uel præteritum imperfectum deſignat. Plaut. in Rud. Mihi iſtæc uide tur præda prædatum irier. pro deprædari, paßiue. Cicero lib. ij. de Inuent. Si illud concedatur, id non conceſſum iri oportet. pro concedi. Plin. Cæc. lib. Epiſt. ij. Quæ abſolutiora mihi uidebantur, non fuit alienũ iudicio tuo traditum iri. pro tradi. Lactant. lib. i. Sibylla & nomen ſuum carmini uerum inſeruit, & Erythræam ſe nominatum iri prælocuta eſt. pro nominari. Eſt, cùm futurum oſtendit, idq; multo etiam frequentius. Cic. ad Att. lib. xv. Brutum, ut ſcribis, uiſum iri à me puto. id eſt, quòd uidebitur. Liu. lib. i. Interpres deũm te auƈturum cœleſtium numerum cecinit, tibiq; aram hic dicatum iri. id eſt, dicandam eſſe. Capita autem & radices, unde huiuſmodi infinita tam actiua quàm paßiua dimanarint, ibi licet perſpicias, ubi de ſupinis diſputauimus.

Quàm fœde Antonius Nebriß. prolapſus ſit ſuper infinitis amatum iri, & ſimilibus. Caput XI.

VErba ſunt Antonij Nebriſſenſis libro ſuarum inſtitutionum quarto, in commentario ſe ipſum exponentis, hæc ferè: Cum dico, inquit, ſpero me amatũ iri, impersonale eſt, me uero accuſatiuus ab illo ſupino amatum regitur à parte poſteriore. O grauis, & docta, & quatuordecim annos penſitata expoſitio. Hic porrò ſunt duo manifeſtarij errores, et ij quidem

perpudendi.

perpudendi. alter, quòd infinitum paßiui personalis confundit cum impersonali. alter, quòd supinum cum infinito iri compositum, post se accusatiuũ patientem regere mordicus tenet. Verumenimuero Antoni dic, amabo te: quam differentiam facis tu inter amatum iri futurum paßiui personalis, & amatum iri impersonalis? Quòd si nulla re alia expreßius, illustriusq; distant, quàm qua nos iam suprà constituimus: nempe infinita paßiuorum personalium semper accusatiuum patientem à fronte sibi exigere, impersonalium uero nunquam: Ecquo argumento inter se, ecqua ratione intererunt, utrobiq; dicendo, spero me amatum iri? Nullum prorsus discrimen extiterit. At dices, accusatiuum illum non à fronte infiniti, sed à tergo ipsius supini omnino regi. O dignum sinciput Anticyra. Non te pudet huiusmodi puerilia effutire? Infinita stultißimè cum eandẽ uim, potestatẽq; regendorũ casuum & anteriorũ & posteriorũ tota sui declinatione retineant, nullus profectò casus ab ulla eorum parte regi potest, qui idem à cæteris omnibus non regatur. Vin' periculũ fieri? arbitror. Et erit utriq; quæstioni soluẽdæ peropportunũ. Enimuero qua potesta te dicis, spero me amari ab omnibus, & spero me amatum esse ab omnib. eadẽ quoquo modo enuncias, spero me amatũ iri ab omnib. una & eadẽ ubiq; structura. Quid ita? Nimirũ, quia unum atq; idẽ tota sui declinatione uerbũ est, eandem uim ubiq; posßidens, licet per differentias temporũ alia et alia uocis figura enunciatum. Itidẽ qua potestate dicis, puto amari ab omnib.

& puto

& puto amatum esse ab omnibus, eadem prorsus dicis, puto amatum iri ab omnibus. Vbi amatũ nullum casum regit, ut supinum. neq; enim potest: quando cum infinito iri compositũ, ita unum atq; idem cum eo uerbum effectum est, ut eosdem casus, nimirum ipsa eadem ui, omnino regat, quos & cætera tempora eiusdem infiniti præcedentia. Quare Antoni, aut erroris tibi pœnitendum, reuocandumq;: aut concedendum rectè dici, amatum est deum, amatum erat deum. Quo quid absurdius? Quid insolentius?

Infinitorum multiplicem esse intellectum & usum apud authores. Caput XII.

REgina uero dicendi consuetudo quid non obtinet? Erant sanè amatum ire, doctum ire, adhæc amatũ iri, doctum iri, natura præsentis tẽporis. Verum consuetudine, authoritateq; uel in futurũ translata sunt. Tametsi primum illud genus de futuro uix constet. Nec mirum cuiquam uideri debet, si ista ipsa in futurum usurpentur, cum passim alijs etiam infinitis præsentibus de futuro præclarissimi authorũ usitati sint. Cic. in Valerium: *Hi cum se à tanto squallore unius morte liberari intelligerent, omnia ei peragere promiserunt. Quid hoc, nónne liberari, peragere, utrunque pro liberatum iri, & peracturos dictum est?* Est præterea infinitorum intellectus suapte natura multiplex admodum, & sinuosus. Ac primùm omnium, quem fallit, infinita per quòd, uel ut, identidem exponi? In reliquis uero explicandis, pauca exempla de multis referam. Terentius in Adelphis:

Curemus

Curemus æquam uterq; partem, tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Reposcere illum est, quem dedisti. Porrò *curare hic uoluntatem significat: nempe uelle curare.* Tacitus *lib. iij.* Haud *frustra placitum olim, ne fœminæ ingentes externas traherentur, incedere inter milites, habere ad manum centuriones. Hoc autem perinde est, tanquam si diceret, propterea quòd incederent inter milites, haberent ad manum centuriones.* Aul. Gell. *libro v. Corona ciuica* L. Gellius *uir censorius in senatu Ciceronem consulem donari à republica censuit. id est, dignum, qui donaretur.* Cic. *lib. i. de* Offic. *Platò philosophos ad rempublicam ne accessuros quidem putat, nisi coactos. id est, non debere accedere.* Terent. *in* And. *Nunquam destitit instare, ut dicerem me esse ducturum patri. id est, me uelle ducere.* Cic. *ad Cœliũ: Quod cum audissem, nónne tibi affirmaui, quiduis me potius perpessurum, quàm ex* Italia *me ad bellum ciuile exiturum. id est, quiduis potius me uelle perpeti, quàm ex* Italia *uelle exire.* Idem *in* Verrem: Ganius *hac se commemoratione ciuitatis, omnia uerbera depulsurum, cruciatumq; à corpore deiecturum arbitrabatur. id est, posse depellere, posse deijcere.* Fabius *lib. ix. Reus parricidij, quòd fratrem occidisset, damnatum iri uidebatur. id est, dignus qui damnaretur.* Cic. *lib. i. de Inuent. Maiores nostri, si quod obesset, scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. id est, debere repudiari.* Liu. *libro xxix. In eam spem erecta ciuitas erat, in Africa eo*

anno

anno debellatũ iri. id est, posse bellum finiri. Demum aliud est amaturũ fuisse, atq; amaturũ esse. Illud semp exponitur per præteritũ plus q̃ perfectũ subiunctiui. Cic. in Verrẽ: Dico illum hæc uenditurũ non fuisse. id est, quòd non uendidisset. Rursus: Vt perspicuum sit omnibus, nunquam Lampsacenos in eum locum progressuros fuisse. Plin. Cæcil. in Paneg. Non putassemus istud te facturũ fuisse, nisi recusasses. Quid, quòd infinitis utuntur etiam authores pro gerundijs, ac supinis? De quibus mox suo loco.

Catholica infinitorum declinandi.

Caput XIII.

ET quoniam persequimur omnia (uolumus enim) Escribendũ est etiam, quid quoq; tempore declinandis infinitis obseruandum sit. Permulti sunt enim litè rarum professores, docti illi quidem, sed huiuscemodi tamen in rebus nonnunquam hæsitantes. Quare actiua, ac neutra supinis prædita, tempore præsenti sic declinantor: amare, uel amatum ire: præterito, amauisse, uel amatum iuisse. Tacit. lib. xiij. Tradunt pleriq; scriptores crebris ante exitium diebus illusum isse pueritiæ Britannici Neronem: pro illusisse. Futuro, amatum ire (quanquam hoc uix concedo, sed abusui cedendum est) uel amaturum esse. Passiua sic declinãtor: tempore præsenti, amari, uel amatum iri: præterito, amatum esse, uel fuisse: futuro, amatum iri, uel amandũ esse. Quem in modum & communia in passiua significatione, & Impersonalia uerè passiua declinari iubemus. Porrò impersonalia spuria, hoc est, suppositis

suppositis omnino defecta sic uariantor: tẽpore præsenti, noceri, uel nocitum iri: præterito, nocitum esse, uel fuisse: futuro, nocitum iri tantum. Cæsar *lib. v. Gall. bel.* Respondit *ipsi nihil nocitum iri.* Postremò *Communia in actiua significatione, & cuncta deponentia, siue actiuam, siue passiuam habeant significationem, sic declinantor: tempore præsenti, hortari, uel hortatũ ire, per e, non per i. sicut apud* Fabiũ *lib. xi.* Vltum ire *scelera, pro ulcisci: præterito, hortatũ esse, uel fuisse: futuro, hortatum ire, item per e, sicut in præsenti, uel hortaturum esse.* Videor *pro appareo, omnifariam passiui indeclinationem retinet.* Cic. *lib. ij. de* Inuent. *Si ipsa separatim uerba considerentur, omnia, aut pleraq; ambigua uisum iri.* Plin. *libro vij. In quibus prodigiosa aliqua multis uisum iri haud dubito. Impersonalia uero actiuæ terminationis sub prima regula continentor.*

Fore, contra Priscianum, & Laurentium, & cæteros non minus præsentis, quàm futuri temporis esse: adhæc Latinè dici, fore amaturum. Caput XIIII.

FOre postremò non minus præsentis, quàm futuri temporis est. Cic. *in* Valerium: Marius cum à senatu ex urbe repulsus esset, ea quæ in eum falsò conflata fuerant, diluere uoluit. Quid ita? Quia se sine scelere fore intelligebat. Rursus: Quanto robore animi is semper extiterit, qui uitam sibi integram fore intelligit, difficile dictu est. Idem libro i. de Inuent. Altera est, in qua rerum expositio ponitur distributa, ex qua conficitur.

conficitur, ut certas animo res teneat auditor, quibus dictis, peroratum fore intelligat. Hic mihi quis negauerit, fore, his omnibus locis esse præsentis temporis, idemq; ualere quod esse? Igitur participijs in rus, uel in dus si accesserit, Latina & peruenusta erit dicendi figura. Quam uel præclara scriptorum authoritas, non modò ipsa ratio in primis confirmat. Cic. ad Att. lib. v. Deinde addis, si quid secus, te ad me fore uenturum. Idem Appio: Quasi diuinarẽ fore mihi aliquando expetendum studium tuum. Quid fore expetendũ, nónne uel expetendum esse, uel expetitum iri, interpretandum est? Sed & Porcius Latro, quem Seneca & Plinius summum fuisse oratorem testantur, actione declamatoria in Catilinam audiendus est. Lucem ait de domo Cornelia prodituram fore: &, Videbat cupiditatem nunquam in eum locum peruenturam fore: &, Credite uim uniuersam flagitiosæ iuuentutis hodierno supplicio simul conficiẽdam fore. Iustis'ne igitur de causis Hymnographus ille facundißimus à seuerißimis istis nostris Aristarchis, imò Onocrotalis inceßitur, quia dixit, fore nasciturum? O mentes Grammaticorum tenebricosæ. Qui dum Prisciano, aut Laurentio sese miserè nimis addicunt, eorumq; præcepta non tanquam humana inuenta, sed uelut diuina quædam oracula suspiciunt, malunt his ipsis authoribus turpißimè errare, quàm eis abrenunciantes, à ueritate rectè sentire. Atque de infinitis hæc satis.

Quæ

Quæ perfectæ, quæq; imperfectæ sint uerba qualitatis. Caput XV.

SVnt alioqui uerba imperfectæ formæ. Quæ tametsi qualitate absoluta non sunt, elegantia tamen, ac uenustate perfectis minimè cedunt. Perfectæ autē uerba qualitatis ueteres dixere, quæ semel, & absolutè nos aliquid aut facere aut pati ostendunt. qualia, frigeo, uendo, peto, emo, sorbeo. Imperfectæ uerò, his contraria. qualia, frigesco, uendito, petesso, emturio, sorbillo. Quam differentiam graphicè admodum uel Terentianus interpres Donatus insinuat. Quærit, inquit, qui ad plenum, et perpetuū reponit. Quæritat, qui uix quotidie inquirendo uictum inuenit. Quibus quoniam quincuplex quædam imperfectio designatur, hinc factum, ut eorum quincuplex etiam genus censeatur, incohatiuum, frequentatiuum, desideratiuum, meditatiuum, & diminutiuum. De quibus quid ego sentiam, statim edisseram.

De incohatiuis. Caput XVI.

SVper uerbis in sco quid certent Grammatici, non ignoro. Alij hæc dixerunt incohatiua, nōnulli exercitatiua, pars augmentatiua. Vides, quanta dissensio? De quibus quid ego dicam, nisi quòd nullum est scriptorum genus his rixosum magis, ac temerarium? Nugis chartas infarciunt, & quid scribant, nesciunt. Incohatiua hæc ab antiquis rectè nuncupata fuerunt. Sed lōgè dissimili sensu, ac uel Priscianus uel Seruius existimarint. Neq; enim uerba hæc id nominis obtinuerunt, quòd incœptionem tantum significent. Ri-

dicula est enim interpretatio hæc, ac puerilis: sed quòd rem iam coptam, fieri augeriq; significēt, quæ motu inualescat, quæq; auctu ipso finem acquirat. Quid enim Cicero scribens ad Brutum, Ingrauescit in dies intestinū malum: quid inquam aliud sibi uult, nisi quòd malum intestinum in dies fit grauius? Adhæc Plinius lib. viij. Capræ pinguedine sterilescunt: non ne exponendum, steriles fiunt? & lib. xix. Grandescunt, quo sæpius sarriuntur: non ne grandiora fiunt? & lib. xxxi. In Sicilia quidem circa Messanam et Milas hyeme in totum arescunt fontes, æstate exundant. Quid arescunt, non ne exiccantur, ac deficiūt? Germana igitur ac uera istorum uerborum interpretatio est, ut per uerbum fio, uel positiuè uel comparatiuè exponantur, aut etiam per passiuū. Quibus cum res in motu ac actu exprimatur, quid ni rectè ac scitè dicta sint incohatiua, cum omnia quæ sunt in motu, ea sint incohata, hoc est imperfecta? Nam incohatus hanc habere significationem, perspicuum est. Cicero ad Lentulum: Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquā partem corporis incohatam reliquit. Horum autem uerborū duplex origo. Alia ex uerbis ut plurimùm sui passiuis, secundis personis singularibus præsentis indicatiui, addita co: ut caleo cales calesco, torpeo torpes torpesco. Non tamē ex omnibus. Quorum enim passio innata absoluta non est, ab his nulla fiunt incohatiua. cuiusmodi, egeo, careo, gaudeo, abundo, mœreo. Ab actiuis pauca, ut augesco ab augeo, integrasco ab integro.

integro. Plin. lib. xi. Augescunt corpora dulcibus. id est, augentur, uel auctiora fiunt. Terent. in And. Hoc malum integrascit. id est, instauratur, innouatur. Alia ex appellationibus, ut à lapide lapidesco, à flamma flammesco. Sunt autem uerba hæc neutra sui passiua, tertiæ coniugationis, & supinis carentia. Quibus etsi uis incohatiua repugnat, ut præteritum habeant perfectum, authoritate tamen, usuq; prævalente, illud ipsum aut ex sese habent, aut certè à suis primitiuis (quanquam à nominibus deducta præterito perfecto carere existimarim) permutuantur, ut quod naturà incohatum est, id arte perficiatur. Cato in Re rustica: Quatriduum fracescat, ubi bene fracuerit, rutro concidito. Varro lib. i. Rerum rust. Quoad perarescat, furcillis uersari, cum peraruit, de his manipulos fieri. Lactant. lib. v. Decet eos suscipere defensionē deorum suorum, ne si nostra inualuerint, ut quotidie invalescunt, cum suis delubris deserantur.

De frequentatiuis. Caput XVII.

SEquens autem uerborum genus ob frequentem rerum iterationem, quam significat, iure tum frequētatiua tum iteratiua nuncupata sunt, alia in to, alia in so, alia in xo terminata. Quibus propterea imperfectio quædam ostenditur, quia quod sæpius iteratur, semel perfectè non agitur. qualia factito, prehenso, nexo. Nec obstat, quod Plautus dixit in Bacchid. Itat ad eam frequentius. Quodq; Plin. lib. ij. Sæpius factitatum. & lib. xxiiij. Sæpius sumptitauerint. Tum etiā lib. xxxv. Frequenter in officinam uētitanti. Quodq;

Aulus Gell. lib. xi. Sæpius lectitarentur. Perinde atq; ito, factito, sumptito, uentito, lectito per se, nisi adiun ctis illis aduerbijs, non significent, frequenter, uel iterum atq; iterum eo, facio, sumo, uenio, lego. Sed hoc, ut dixi, nihil obstat. Quoniam tradendis germanæ ac puræ Grammatices præceptis, non quid Euphoniæ requirat, sed quid ratio, & natura ipsa uerborum sibi uelit, obseruandum est. Luculentißimi enim authores, quò aurium uoluptati morigeretur oratio, ad nitorem eius ac magnificentiam, persæpe deriuatiuis utuntur pro primitiuis, ut compositis pro simplicibus. De quo nunc non est præcipiendi locus. Quare utantur, per me licet, dum constet primitiuorum uice deriuatiuis usitatos. Sunt autem iteratiua cuncta primæ coniugationis, ac suorum primitiuorũ genus retinentia, formanturq; uel simpliciter ab ultimo supino, mutata u in o, ut uenditu uendito. Vel mutata u in i, & addita to, ut sumptu sumptito. Vel si primæ sunt coniugationis, a in i breuem, & u in o uersa, ut imperatu imperito. Vel à secunda præsentis indicatiui singulari, remota s, & admota to, ut ago agis agito, quæro quæris quærito. Illud minimè dißimulauerim, excellẽtißimos authores iteratiuis pro meditatiuis nonnunquam usos. Plaut. in Amph. Quid postquàm cœnauimus? te dormitare aiebas, cubitum imus. dormitare, pro dormiturire. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Tranquillus contubernalis meus uult emere agellum, quem uenditare amicus tuus dicitur. uenditare, pro uenditurire.

De

De desideratiuis. Caput XVIII.

Mirum, super his uerbis quàm ineptiant quidam Grammatici. Quorum insanis opinionibus refellendis, quid ego tempus conteram? Rectè ab antiquis hæc desideratiua fuerunt appellata. Qualia peteſſo, faceſſo, & id genus. Affectum enim ardentem, & effectum simul ostendunt. Cic. libro ij. Tuscul. Qui hanc gloriam peteſſunt, nullum fugiunt laborem. Hic peteſſunt, non'ne ardenter petunt? In quem sensum & Lucretius poëta lib. iij.

Et similis pugnæ studio, cui dedita mens est,
Corpore cum reliquo pugnam, cædesq; peteſſat.

Quid Vergilianum illud lib. Georg. iiij. Haud mora, continuò matris præcepta faceßit? Non'ne calor quidam, propensiorq; uoluntas in exequendis his imperatis ibi exprimitur? Alioqui quid attinuisset addere, haud mora, & continuò, quæ idem significant, nisi citatißimus quidam præceptorum persequendi affectus fuisset demonstrandus? Duo igitur his uerbis pariter significantur, & affectus ardens, & effectus exterior: ille, quo incitamur, urgemurq;: hic, quo exequimur, implemusq;. Vnde uel imperfectæ qualitatis. Quòd affectus & ipso quo ardet, et desiderat, nisi re perfecta, nunquã conquiescit. Nec repugnat, si quando in sensu primitiuorũ usurpata reperiũtur. Quando nos hic (uti iam diximus) non quid bona sonoritas, sed quid natura postulet, sequimur. Sunt autem hæc uerba rarißimi usus, unicæ terminationis in sso, per duplex ſſ, alioqui tertiæ coniugationis, & suorum

primitiuorum genus retinentia, postremò & præteritis & supinis prædita. Retractandus enim fuit hic locus. Tacitus lib. xx. Periculum faceßisset. Idem libro xiij. Honorem capeßisset. Cic. in Verrem: Negotium faceßitum. Tacitus lib. xij. Partem curarum capeßitu ro. Viso autem qui desideratiuum constituunt, somniant illi quidem, atq; ineptiunt, ut qui maximè. Non hercle minus, quàm Seruius, qui faceßso statuit esse frequentatiuum.

De meditatiuis. Caput XIX.

VTinam Laurenti, quod ueteres bene, rectèq; tradiderunt, hoc tu non corrupisses. Etiam ne asseris uerba in rio non rite meditatiua fuisse appellata? Altior est hic sensus, remotiorq;, unde id nomen sibi uendicarunt, quàm pro tua, ac Priscciani falsa opinione. Etenim meditari, cum discesseris à triuiali & procul cato intellectu, parare etiam ac moliri significat. Liuius lib. xl. Fugam ad Romanos Demetrius meditabatur. Quod exponens idem post paulo inquit: Demetrium accusauit, fuga per Pæoniam præparata. Tacit. lib. iiij. Neq; Seianus ita Drusum fouebat, ut nõ in eum semina futuri exitij meditaretur. id est, pararet, machinaretur. Quo sensu uerba in rio quid ni rectè meditatiua sint appellata, cum conatum quendã, molimenq;, propensionèq;, apparatumq; significent. Nigidius: Nixurit, qui niti uult, & in conatu sæpius aliqua re propellitur. Cic. pro L. Murena: Ego togatus uobis adiutoribus, hoc quod conceptum reßpublica periculum parturit, consilio discutiam, & comprimam,

primam. parturit, id est, nititur, adornat, uel in proximo est ut pariat. Idem ad Att. Sullaturit animus eius, & proscripturit. id est, Syllam desiderat, & proscriptionem cupit. Varro lib. ij. Re. rust. Te empturiẽtem in campos macros abducunt crebrò pedes. id est, te ad emendum ualde propensum. Mart. lib. xi.

In omnibus Vacerra quòd conclauibus
Consumit horas, & die tota sedet,
Cœnaturit Vacerra, non cacaturit. hoc est cœnare, non aluum exonerare appetit Vacerra. Macrob. lib. ij. Sat. Perge Auiene, ne ultra te dicturientem retardem. id est, te uolentem, uel cupientem dicere. & lib. vij. Quid duces & milites, qui fortiter à se gesta semper dicturiunt? hoc est, semper dicere percupidi sunt. Apuleius in Apologia: Si Claro nupsisset homini rusticano, & decrepito seni, sponte eam diceres sine ulla magia iam olim nupturisse, hoc est cupisse, uel uoluisse nubere. Ex quibus omnibus luce clarius liquet, meditatiua à desideratiuis hoc differre, quòd illa duntaxat affectum, hæc uero & affectum pariter & effectum adsignificant. Sunt autem uerba hæc neutra, quartæ coniugationis, & supinis cassa, præter esurio. Terent. in Heaut. Nos esurituros satis. Catullus: Aureli pater esuritionum. Omniaq; ab ultimo supino descendunt addita rio, ut emptu empturio. Quanquã sullaturio apud Ciceronem aliunde inflexũ. Quibus uel propterea imperfectio quædam significatur, quando affectus citra effectum incohatus est. Scaturio autem & abligurio meditatiua non sunt, idq; duplici

nomine. Primum quia tali significatione carent, deinde quia u literam producunt, quam illa corripiunt. Prudentius: Petra dei iussu potum largita scaturit. Horatius ij. Serm. Tractauit calicem manibus, dum furta ligurit. Quin & meditatiuis in sensu primitiuorum nonnunquam utuntur authores. Plaut. in Aulul. Vbi erat haec defossa, occœpit ibi scalpturire unguibus. id est, scalpere.

De diminutiuis. Caput XX.

Postremum uero imperfectæ uerborum qualitatis genus, diminutiua ideo appellata, quòd suis à primitiuis diminutionem nescio quam significant. An uerò quicquid diminutum, non id imperfectum? qualia sorbillo, conscribillo, haustillo, cantillo. Quo magis miror, quid cuidam Grammatico, uiro alioqui eruditißimo, in mentem uenerit, ut Terentianum illud in Adel. Et cyathos sorbillans paulatim hunc producã diem: exposuerit, potum continuans. Obsecro, quid hoc portenti est? Sorbillans igitur exponendum, haustillatim sorbens, & parua per interualla minutim bibens. Etenim horum uerborũ ea natura, ut minutias nescio quas præ se ferant. Vnde uel lepidißimus poëta Catullus dixit, Manusq; mollicellas inusta turpiter tibi flagella conscribillent. Quid conscribillent, nónne paruis, minutisq; uibicibus manus insigniant? Nec minus eleganter Ioannes Pontanus (quem cur latinissimè dicentem non adducam?) in Aegidio: Agite optimi uiri, haustillate penuli nostri non Rhetica illa Vergilij, aut Horatij Cecuba pocula, sed nostratia hæc tum

tum Sorbinia, tum Montonica. Quid haustillate, nón ne pellendam ad sitim, sedandumq; ad æstum iteratas notat sorbillationes? Subiungit enim: Mihi totum quidem è sorbillatione sussultat corpusculum. Sunt porrò hæc uerba primæ coniugationis, & generis primitiui retinentia, inuentuq; rarissima. Nam refocillo formam quidem habet diminutiuam, sed à significatione iampridem discessit. Non desunt, qui huic generi agglutinent & pitissо: quod est, non haustillatim bibo, sed quasi tentandi caussa paululum uini gusto ac reijcio. Terent. in Heaut. Pitissando modo mihi quid uini absumpsit? Sunt etiam, qui albico, nigrico, & similia. quæ nonnulli apparitiua dicunt. Atque de uerbis imperfectæ formæ hæc satis.

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Quintus.

De prouocalibus. Caput primum.

VERBIS *quanta maxima licuit diligentia cùm uniuersim tum particulatim enucleatis, rationis est, ut deinceps articulos orationis, & ipsos quasi nodos explicemus. Nam cum uis orationis perinde atq; corporis cuiusdam, ferè tota in neruis atq; iuncturis consistat, prouocabula quidem, hoc est interrogatiua, relatiua, redditiua,*

infinitiua, distributiua, & partitiua, non minimam huius negotij partem sibi uendicant. Itaq; ea nusquã decentius collocari posse existimo, quàm inter membra ipsa, quorum nodi sunt, excellentiora. Siquidem & natura cunctorum artifex maximis quibusq; fabri candis sic intenta fuit, ut minima tamen quæque plurimi semper fecerit. Verum quoniam inter summi nominis Grammaticos de his non satis conuenit, alijs hæc nomina, alijs pronomina censentibus, ne pertinacißimis eorum contentionibus bonorum ingenia semper suspensa teneantur, haud ab re fuerit, hæc prius disceptare, & quid syncerà à ueritate tenendum sit, paucis expedire.

Contra Priscianum, interrogatiua, relatiua, redditiua, infinitiua, distributiua, & partitiua, quæ dicuntur, esse pronomina.

Caput II.

CEdò Prisciane, quid nomen? Nomen est pars orationis, unicuiq; subiectorũ corporum, seu rerum, communem, uel propriam qualitatem distribuens. Docta & præclara definitio. Vt nominis proprium sit, uniuscuiusq; rei communem uel propriam qualitatem exprimere. Verùm per qualitatem quid accipis? Nempe rerum ipsarum uim, ac proprietatem. Quoniam recta nominũ impositio est, ut ipsa nomina res, quales sunt, ostendant, earumq; naturas ac proprietates prolatu discernant. Quam sentent iam cùm alij summa authoritate philosophi, tum uerò diuinus Plato nimis quàm elegãter probat in Cratylo: Nominum

scilicet

ſcilicet rectitudinẽ aliud nihil eſſe, quàm eorum congruentem rerum ipſarum naturæ impoſitionem. Sed quorſum hæc tam longè repetita? Nimirum, ut perſpecta nominum rectitudine, quo ipſa à pronominibus differant, facilius aſſequamur. Nominum igitur ea ratio, ut rectam per impoſitionem ſine tempore ſignificent, fixamq; ac perpetuam atq; determinatam habeant ſignificationem, prorſus, ut duo ſimul oſtendant: nempe rem, cui nomen eſt impoſitum: & proprietatem rei, à qua nomen eſt impoſitum. Quapropter Priſciane, quo tandem argumento, quo ſenſu à nominibus pronomina diſcriminas? Nimirum, quia illa ſubſtantiam & qualitatem, hoc eſt rem, & proprietatẽ rei pariter ſignificant, hæc uero ſolam rem. Alioqui nomina fixam & determinatam habent ſignificationẽ: pronomina uero nullam, ſed deſultoria quodam modo nunc hanc, nunc illam accipiũt, prout in locum huius, aut illius nominis fuerint ſubſtituta. Vnde & pronomina, ſeu prouocabula fuere appellata. Hactenus mi Priſciane, mihi tecum ſatis conuenit. Verum Quis, qui, uter, & cætera id genus, quæ inter rogatiua, relatiua, redditiua, infinitiua, diſtributiua, & partitiua nuncupantur, cur potius eſſe nomina ſtatuis, quàm pronomina? Vide mi Priſciane, quid dicas. Etiam conſidera: an quia pariter ſignificant rem, & proprietatem rei? Rem quidem ſignificant, ſed ſolam. nulla enim pronomina proprietatem rei deſignant. Quo maximè ratio tua Priſciane collabaſcit. An quia fixam & determinatam habent ſignificationem? Vt

cui

cui rei significandæ semel imposita sint, ab ea nunquã recedant? Obsecro, si nomina, à qua rerum proprietate tandem instituta? Porrò quam singulis subiectis rebus qualitatem uel propriam uel communem distribuunt, cùm nullam omnino significent? Nomina igitur qui sint, non uideo. An cui tollitur definitio nominis, illud potest esse nomen? At saltem generalẽ quandam qualitatẽ significant. Deliras Prisciane. Etenim qualitas aut est in re, aut in uoce. nihil tertium datur. Qualitatem in re siue propriam, seu communem exprimunt sola nomina. quippe quam ex recta impositione significant. Interrogatiua uero, relatiua, & alia id genus, quam præseferant, cum nulli certæ rei significandæ particulatim imposita sint? Qualitas in uoce nullius non partis orationis est. Quandoquidem suus cunctarum partium significandi modus est, sua cuiusq; ipsarum qualitas. At pronomina certas significãt personas. Actum agis Prisciane: Eodem hæsitas in luto. Neq; enim pronomina usq; certas significant personas. An cum Cicero (nam de innumeris, quæ suppetunt, unum aut alterum proferam exemplum) dicit in Catone: Non caret is, qui nõ desiderat. & Fabius lib. x. Ille se profecisse sciat, cui Cicero ualde placebit. Is, & ille pronomina ibi certam significant personam, siue certam accipias pro distinctè cognitam, siue certam pro ab alijs separatam? Nihil minus. Quanto igitur sapientius feciſſes, si cum M. Varrone, Probo, Diomede, Donato, Seruio, ac cæteris hac in re bene sentientibus Grammaticis sensisses:

qui

qui hæc prudenter à nominibus discreuerunt, & rectè pronomina esse statuerunt. In quorum sententiam uel subtilissimi ueritatis indagatores Dialectici, mirũ quàm omnibus (ut aiunt) pedibus discedant, ea non nomina, sed signa quædam appellantes. Est uero probandum, te subtilius, quàm M. Varronem, tantum illud lumen, quo nihil unquam doctius habuit Latina lingua, uocum naturas uel intellexisse, uel discreuisse. Quid Cicero scribens ad Lentulum: Quo quidem tempore quidam homines, & ijdem illi, quos sæpe nutu, significationeq; appello, gaudere se dicebant. Cũ ait, quos sæpe nutu, significationeq; appello: nónne morẽ atq; naturam pronominum insigniter expreßit? Quibus tum maximè usitari solemus, cum aliquos non suis nominibus, sed quibusdã signis, cuiusmodi sunt quidam, aliquis, quispiam, nonnullus, idem, is, ille, & similia, appellare uolumus. Quid, quòd idem Cic. ad Att. lib. viij. hæc omnino esse pronomina præclarè innuit, dicens: Volo exquiras, quàm diligẽtißimè poteris, num quem accusent, num cui succenseant. Quod dico (inquit) num cui. id est, num Pompeio. Vides, ut quis loco proprij nominis significet? igitur pronomen. Sed neq; pronomina ideo sunt, quia referant, aut demonstrent, ut tu somnias. Quasi uero referre, aut demonstrare ipsum pronomen constituat. Non enim hæc antecedunt, sed consequuntur, atque ipso è pronomine fluunt, ut paßiones. Etenim referre, demonstrare, adhæc finitum esse, uel infinitum, interrogare, reddere, speciatim uel generatim significare (qui modus ipsorum

rum pronominum significandi est) qualitates sunt ipsis è pronominibus, prout alio & alio modo significant, proficiscētes. Quo fit, ut nulla ratione alia sint pronomina, nisi quòd loco nominum significent, ac sedibus uagentur incertis. nullam scilicet rem determinatam habentia, quam peculiariter præ se ferant. Nisi fortè accidentis relatiua nomina esse uelimus, q; eorum significata, licet generalia, distincta sint, ac fixa. Esto, condonemus hoc Prisciano. Sed reliqua omnia, de quibus controuersia est, nempe quis, qui, quæ, quod, quid, uter, cæterus, reliquus, uterq;, ambo, neuter, quisquis, quicunq;, omnis, cunctus, uniuersus, quilibet, quiuis, quisq;, unusquisq;, nullus, nemo, alter, alteruter, utercunq;, uterlibet, uteruis, unus, solus, quidam, aliquis, siquis, nequis, numquis, ecquis, nonnullus, quispiam, quisquam, ullus, & alius, de sententia uetustißimorum, & eorundem sapientißimorum pronomina sint, uel quòd loco nominis, uel certè iuxta nomen adsignificent. Interfitq; inter nomina & pronomina, quòd illa rerum naturas propriè, uel communiter: hæc uero nominum loco, aut iuxta, res ipsas tantum distinctè, uel indistinctè notent.

De interrogatiuis. Caput III.

EX omnibus autem prouocabulis uolo primum sibi locum ea defendant, quæ naturâ sunt præpositiua. Nulla sunt enim, quæ principium orationis peræquè sibi uendicent, ut interrogatiua. Eorũ autem duplex genus, substantiæ, & accidentis. Nihil est enim, quo de ambigimus, quod idem non sit aut per se existens,

aut

aut non per se existens. Substātiæ sunt, quis, qui, quæ, quod, quid, & uter. Quibus ideo id nomen inditum, uel quia his de substantia rogitare, uel quia his per ea quæ substantiam significant, respondere solemus. Plaut. in Aul. Heus hostium aperi. Qui uocat? Strobilus. Terent. in Andr. Pater amicus summus est nobis. Quis? Chremes. Cic. pro Milone: Quis eos postulauit? Appius. Fabius lib. vi. Alter igitur insidiatus est. Vter? profectò Clodius. Idē lib. ix. Qui sunt, q fœdera sæpe ruperunt? Carthaginenses. Vides, ut his ipsis & de substantia alicuius subiecti quærimus, & per ea quæ substantiam significant, respondemus? Quanquā craßiore Minerua loquendo, uel substantiæ ideo appellata, quòd eis ferè per substantiua nomina respondeatur. Verum ista ipsa non minus tum exquirendis nominibus, tum rogitandis rationibus, tum indicandæ uel admirationi uel indignationi accommodata sunt. Plaut. in Bacch. Quæ uocatur ea mulier? Bacchis. Terent. in Adelph. Qui uocare? Geta. Idem in And. Quid tu Athenas insolens? Apuleius lib. i. Met. Hem mi Socrates quid istud? Quæ facies? Quod flagitium? Terent. in And. Quid ais omnium? Sed & scisci tandis definitionibus neutrum usq; præponi solet. Vt Quid est homo? Quid animal? Quid uirtus? Quid albedo? Quis alioqui uel qualitatibus inseruit. Terent. in And. Quis uideor? fortis. Cic. pro Rosc. Com. Venit ad Cluuium: quem hominem? leuem? immo grauißimū. mobilem? immo constātißimū. familiarē? immo alienißimū. Accidentis autē longè plura sunt genera. Etenim

ra. Etenim accidēs multo multiplex, quàm ſubſtātia. Igitur qualitatem alicuius rei, uel ſubſtantiæ rogaturi, dicemus, Qualis, uel Quale. Quantitatē, quantus, ta, tum. Numerum, quot. Ordinem, quotus, ta, tum. Poſſeßionem, cuius, cuia, cuium. Gentem, uel patriā, cuias. Quibus omnibus ſua cuiq; adiectiua reſpōdent. Vt non tam id nominis acceperint, quòd alicuius ſubſtantiæ accidens ſignificent, quàm quòd illis per adiectiua reſpondeatur. Ergo qualitatem interroganti reſpondebimus, bonus, malus. Quantitatē, magnus, paruus. Numerum, unus, duo, tres. Plaut. in Epid. Quot minis eam emit? Quadraginta. Et in Ciſtell. Quot annos nata dicitur? Septemdecim. Ordinem, primus, ſecundus. Poſſeßionem, meus, tuus, Euandrius, regius. Gentē, uel patriam, noſtras, Arpinas, Ambraciotes, Romanus, Athenienſis, Italus. Plaut. in Pœnulo: Cuiates eſtis, aut quo ex oppido? Eſt tamen, cum poſſeßiuis etiam per ſubſtātiua in genitiuo reſponſum imus. Verg. in Buc. Cuium pecus? Aegonis. Quin uel aduerbia crebras interrogationes faciunt. Cuiuſmodi ſunt, ubi, quò, unde, quà, quorſum, quouſque, num, an, ne, quando, cur, qui, qualiter, quamobrē, quantum, quoties, & id genus. Plaut. in Bacch. Vbi ea mulier habitat? hic. Vnde eam eſſe aiunt? ex Samo. Quid uerba, nónne ex ipſis quædam percunctatiua? ſcilicet. Terentius in And. Ain' tandem ciuis Glycerium eſt? Rurſus. Eho non tu dixtin' eſſe inter eos inimicitias carnifex? Sed non parua eſt differentia inter quis, & uter. Quandoquidem duobus exiſtentibus, pro arbitrio licet in-

cet interroges, quis, uel uter. Pluribus, quis tantum. Valer. Max. lib. ix. Vter est luxuriosior, ego ne, an tu? Ouid. lib iij. de Ponto: Quis non è timidis ægri contagia uitet? Quis autem de duobus dici, author est Cicero in actione pro Roscio Comœdo: Considera C. Piso, quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium. Et Vergilius xij. Cum illo duorum taurorum è certamine subiungit, Quis pecori imperitet. Quis postremò nullis interdum neq; numeris deseruit, neq; generibus. Plin. Cæcil. in Paneg. Quis nostrũ conjumant? Plaut. in Aul. Quis ea est, quam uis ducere in uxorẽ? Cæterũ responsio est ne semper faciunda per eundem casum, per quem facta fuerit interrogatio: Semper, ni talia fuerint, quale Terentianum illud in And. Cuium puerum hic apposuisti? Vestri Pamphili. Quodq; Vergilius: Cuiũ pecus? Aegonis. Quodq; Horat. ij. Serm. Quanti emptæ? paruo. quãti ergo. Octußibus. Quid ita? Nimirum, quoniam utrobiq; idem uerbum subest. Nam diuersis positis uerbis, nihil prohibet, quo minus diuerso etiam casu respondeamus. Terent. ubi supra: Quis heri Chrysidem habuit? Phædrum, aut Cliniam dicebant, aut Niceratum.

De relatiuis. Caput IIII.

RElatio posterior semper est ab ea re, cuius est relatio. Vt imago in speculo ab eo existit, ac pendet, cuius imago est. Quoniam si referre repræsentare est, aliquid antecedat necesse est. Relatio igitur disperit prorsus, ubi quod naturà præit, abscesserit. Quo fit, ut relatiua signa sint quodãmodo ad aliquid. Quæ

artifex ipsa dicendi sapientia non tam necessitate ulla excogitauit, quàm elegantia. Scilicet quibus tanquã articulis, & quibusdam quasi nodis ad constituendã orationem, & leuandum ad fastidium uteremur. Ne si eadem nomina repetẽdo inculcaremus, oratio prorsus hians, incõcinna, atq; inuenusta redderetur. Hæc autem eò præfati sumus, ne à quoquam existimetur, relatiua ulla ui alia constare, præter eam, qua non se, sed aliena semper repræsentant. Ex quo relatiuum aliud nihil est, quàm signum rei cuiuspiam antecedentis, quæcunq; sit illa, repræsentatiuum. Idq; duplex: substantiæ unum, accidentis alterum.

De relatiuis substantiæ. Caput V.

SVbstantiam hic nemo accipiat naturam per se existentem. Neque accidens, naturam non per se existentem. Vtrunq; enim per quandam mimisim, hoc est imitationem hic dictum est. Nam ut nominum illa dicuntur substantiua, quæ instar substantiæ, per se in oratione subsistunt, qualia quæ in declinatu aut uni, aut duobus ad summum iunguntur articulis: perinde ea relatiua substantiæ dictitata, quæ antecedens repræsentant substantiuum. Rursus, ut ea nomina dicta sunt adiectiua, quæ accidentis in morem substantiuo in oratione adhærescunt, cuiusmodi quæ in flexu aut nullis aut omnibus iunguntur articulis: sic relatiua accidentis, quæ antecedens repræsentant adiectiuum. Sedenim relatiuis accidentis in alium locum reiectis, primùm de substantiæ, quæ naturâ, ordine, dignitate antecedunt.

antecedunt. Quorum item duplex ratio, identitatis & diuersitatis.

De relatiuis substantiæ identitatis.

Caput VI.

IDentitas nomen etsi non satis Latinè dicitur, eo ipso tamen utendum est. Verba nanq; rebus subseruire debent. Quia cum idem & diuersum ipsa sibi aduersentur, diuersitati quid opponatur, nisi identitas finxerimus, non habemus. Sunt autem relatiua substãtiæ identitatis, quæ antecedens repræsentant substantiuum, & pro eodem supponunt. Verbum istuc ex dialectica officina, non illepida, neq; impropria significatione sumptum est: idq; apud eos nihil aliud annotat, nisi uocem aliquam significatiuã pro aliquo, uel aliquibus in oratione accipi. Vt quoniam res ipsæ in orationem ingredi non possunt, uoces pro rebus supponant. nimirum significatione passiua. Quemadmodum & latinissimi authores usurpant lauimus, pro loti sumus: & arma mouisse, pro mota esse. Ergo qui, quæ, quod, ille, ipse, hic, is, idem, & sui, relatiua sunt substantiæ identitatis: primùm, quia reddunt antecedens substantiuum: deinde, quia pro eodem, quod referunt, supponunt. Quorum omnium (præter sui, quod nulli respondet, quia substantiuum est) id proprium, ut semper in genere & numero cum eo conueniant, pro quo supponunt. Plin. lib. xxv. Mithridates, quem debellauit Pompeius, omnium ante se gentorum diligentissimus uitæ fuisse argumentis præterquàm fama intelligitur. Hic duo sunt relatiua, quorũ

utrunq; refert Mithridatem, & pro eodem supponit, ab eo nihil aliud significans.

Qui, quæ, quod, tribus modis referre.

Caput VII.

TRiplex est autem huius relatiui repræsentandi ratio. Aut enim inter hoc & suum antecedens ita conuenit, ut idem prorsus in utroq; appareat & genus & numerus. ceu dominus qui, uirtus quæ, mancipium quod. Cuiusmodi exemplorum referta sunt omnia. Aut non unum aliquod uel nomen uel pronomẽ, sed totam aliquam clausulam antecedẽtem refert, idq; in neutro genere tantum, quoniam substantiuum est, semperq; resoluitur per hoc nomen res. Cic. ad Lentulum: Videbatur enim reconciliata nobis uoluntas senatus esse. quod tum dicendo, tum singulis appellandis perspicuè. quod, id est, quã rem. Est, cùm idem etiamnum efficiat plura antecedentia promiscuè, indiscriminatimq; referens. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Est Aciliano facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa, est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda. quæ, id est quas res. Liuius libro xxxvij. Multa in eo & dexteritas & humanitas uisa, quæ commendabilia apud Africanum erant. quæ, id est, quæ res. Id quod nõ solum in hoc relatiuo, uerum etiam in nominibus adiectiuis usu persæpe uenit. Idẽ lib. iiij. Exẽplo fuit collegis, quàm gratia atq; honos opportuniora interdum non cupientibus essent. Rursus: Labor, uoluptasq; dissimillima naturâ, societate quadam

quadam inter se naturali sunt iuncta. Aul. Gell. lib. ij. Exortus & occasus mobilia & uaria sunt. Tertius postremo repræsentandi huius relatiui modus est interpretatiuus, cum suum antecedens uel nomen uel uerbum exponit. In quo tum relatiuum alicui nomini subsequenti iunctum sit, necesse est, qui cum & genere, & numero, & casu semper conueniat. Cic. ad Att. lib. v. Inde ad Amanum contendi, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Plin. lib. x. Alcyone fœtificat bruma, qui dies Alcyonides uocantur. Solinus in Poly. Boam gignit, quem anguem ad immẽsam molem ferunt coalescere. Cic. ad Lentulum: Aul. Tre bonius confidit his meis literis se apud te gratiosum fore, quæ spes ne eum fallat, uehementer te rogo. Hæc tria qui diligenter obseruauerit, haud erit, quod plura super hoc eodem relatiuo desideret.

Orationem, si relatiuum qui, quæ, quod, antecedenti appellatiuo respondeat, non minus esse Latinam, quam si proprio consequenti.

Caput VIII.

Seruius Honoratus & perspicacissimi uir fuit ingenij, & multijugæ obseruans doctrinæ: sed plerisq; tamen in rebus sic parum animaduertens, ut plane exocculatus fuisse uideatur. Is super carmine illo Vergiliano, Est in secessu: Quoties, inquit, præmittimus nomen cuiuslibet generis, & interposito pronomine, sequitur nomen alterius generis, medium illud pronomen proprij nominis genus sequitur. Vt Sallustius in Catilinario: Est locus in carcere, quod Tullia-

num appellatur. Ecce, inquit, proprio iunxit, non appellatiuo. Quod quidem Seruianum præceptum non nulli sic mordicus tenuere, ut qui aliter loquantur, eos non Latinos, sed barbaros censeant. Verum ipsi à ueritate stemus, ostendamusq;, & Seruium, & illius sectatores hac in re non parum hallucinatos. Sanè qui, quæ, quod, si antecedenti & consequenti diuersorum tum generum tum numerorum interponatur, quorum alterum sit proprium, alterum appellatiuũ, cum utrolibet potest licenter conuenire, seu sit proprium consequens, seu appellatiuum. Cic. in Verrem: Carcer, quæ Latumiæ uocantur. Cæsar lib. iij. Ciu. bel. Ad eum locum, quæ appellatur Pharsalia. Solinus in Poly. Locus, quod Diræum appellatur. Cæsar lib. i. Ciuil. bel. Nacti portum, qui appellatur Nymphæũ. Plin. lib. xviij. Sidere illo, quod Caniculam appellamus. Hirtius de bel. Hispa. Grumus excellens naturà, qui appellatur Castra Posthumiana. Suet. in Aug. Locus, quem Syracusas uocabat. Pomponius Mela: Promontorio, quod Ferrariam uocant. Aul. Gellius libro iiij. Animal marinum, quod urtica appellatur. Aemil. in Pausania: Genus hominum, quod Ilotæ uocatur. Eodẽ modo fit, si utraq; nomina fuerint uel propria, uel appellatiua. Liuius lib. iiij. Anxur fuit, quæ nunc Tarracinæ sunt. Cic. pro P. Sextio: Tum conuenticula hominum, quæ postea ciuitates nominarunt: tum domicilia coniuncta, quas urbes dicimus. Vides, orationem antecedenti appellatiuo, relatiuo respõdente, non minus esse Latinam, quàm proprio consequenti?

Obiter

Obiter notandum illud, qui, quæ, quod, tum esse relatiuum substantiæ diuersitatis, cum pro subsequente supponens, cum eo conuenit.

Hic non semper propinquum magis referre, nec ille magis remotum. Caput IX.

Hic præterea & ille in referendo nihil differunt. His enim promiscuè utuntur optimi authores. Terentius in Adelphis:

Id esse uerum, ex me atque ex fratre, cuiuis facile est noscere.

Illum amant, me fugitant: apud illum ambo sunt, ego desertus sum.

Ita eos meo labore eductos maximo, hic fecit suos Paulo sumptu. miseriam omnem ego capio, hic potitur gaudia. Plin. Cæcil. lib. ij. Epist. Is erit Voconius, hunc ego arctè dilexi, ille meus in urbe, ille in secessu contubernalis cum hoc seria, cum hoc iocos miscui. Verùm si diuersa tamen antecedentia referant, hic de usu rem magis propinquam reddit, ille magis remotã. Fabius lib. x. Densus Thucydides, dulcis Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus: ille ui, hic uoluntate. Cernis ibi, ut ille Thucydidem, hic Herodotum referat? Sed ne certa ratione potius hæc, quàm authoritate dici uideantur, excellentissimi latinitatis proceres eisdem ipsis contrario modo interdum usi sunt. Cic. pro Roscio Comœdo: Quid est, quòd negligenter scribimus aduersaria? Quid est, quòd diligenter conficimus tabulas? Quia hæc sunt menstrua, illæ æternæ: hæc de-

statim illæ seruantur sanctè: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc deiecta, illæ sunt in ordinē confectæ. hæc, id est aduersaria: illæ, id est tabellæ. Liu. lib. xxx. *Melior, tutiorq; est certa pax, quàm spe rata uictoria: hæc in tua illa in deorum manu est.* Columella lib. iiij. *Siquidem magis pampinatio, quàm putatio uitibus consulit. Nam illa quamuis multum iuuat, sauciat tamen, & resecat: hæc clementius sine uulnere medetur. illa, id est putatio: hæc, id est pampinatio.* Plin. Cæcil. lib. Epist. i. *Alius excessisse materiam, alius dicitur non implesse. sed ille imbecillitate, hic uiribus peccat. Ille postremò interim reciprocum est, prorsus ut eandem uim habeat, quam sui & suus, sed non æquè frequenter.* Sallust. in Iugur. *Bomilcar Iugurtham obtestatur, uti aliquando sibi prouideat, caueat, ne illo cunctante Numidæ sibi consulant. illo, id est se, uel ipso. Rursus: Legati ex oppido Lepti ad Metellum uenerant orantes, uti præsidium eò mitteret, in summo periculo suam salutem, & illorum socios fore. id est, suos socios.*

Is, & ipse, dupliciter referre. Caput X.

HOrum quoq; pronominum duplex relatio. Aliàs simplex. Quod genus Terentianum illud in And. Fuit olim quidam mercator, nauem is fregit apud Andrum, is obijt mortem. Et mox: Heus Chreme, quod quæris, Pasibula est, ex ipsa millies audiui. Aliàs reciproca. Cic. lib. iij. de Offic. Perfuga Fabricio pollicitus est, si præmium ei proposuisset, se Pyrrhum ueneno

neno necaturum. ei, id est, sibi. Idem in Sallustium: Sallustius timens, ne facinora eius clandestina clara nobis essent, confessus est uobis adulterium. eius, id est, sua. Plin. lib. xxv. Qui sciunt, demonstrare nolunt, tanquam ipsis periturum sit, quod alijs tradiderint. ipsis, id est, sibi. Cic. lib. i. de Off. Si non poterit causas defensitare, illa præstare debebit, quæ erunt in ipsius potestate. ipsius, id est, sua. Ipse demum uicem nominatiui, quo sui caret, pulcherrimè supplet. Quod uno demonstrasse exemplo sit abundè satis. Cæsar libro i. Gall. bel. Diuitiacus Cæsarem complexus obsecrare cœpit, ne quid grauius in fratrem statueret: propterea quòd ipse gratia plurimùm domi, ille minimùm posset. Nam potuisset, se gratia plurimum domi, illum uero minimùm posse.

Sui & suus propriè reciproca esse.

Caput XI.

VErumenimuero relatiua, quæ nuper tetigimus, etsi eò interdũ refluunt, unde profecta sunt (nam istuc demum est reciprocè poni, à se in se ipsum reflecti, propterea quòd in omni fermè reciprocatione, principiũ aliquod agens requiritur, in quod reflexio fiat. munus tamen hoc propriũ est eorum, quæ insita quadam ex ui reciproca fuere appellata. Siquidẽ ea quantum est in se, ferè semper eò retro gradiuntur, unde prodierunt. Quæ relatio quoniam labyrinthæo quodam anfractu inuoluitur, quo illustrius intelligatur, exemplis utemur quàm maximè accommodatis, & perspicuis. Principiò igitur omnis reciprocatio uel

simplex, uel retransitiua est. Illa uno in uerbo conficitur, hæc in pluribus. Porrò simplex patratur, uel cum in se ipsum quid simpliciter reflectitur. Vt cum Teren. in Eun. Hic furti se alligat. Et in Phor. Vterq; est similis sui. Rursus: Quid'nã hic sibi uult? Vel cum possessor in possessionem transit. ceu cùm idem ipse in And. Quid Glycerium, iam hic suos parentes repe rit? Et in Phorm. Eccum, à sua palestra exit foras. Vel cum in possessorem à possessione retroagitur. Quæ tertia reciprocandi ratio si uerbis actiuis efferatur, aliquanto fit implicatior. Velut cum Cicero pro P. Sylla: Quid Antronio nónne collegæ sui defuerunt? &, Antronium non sua consuetudo cõuincit? Adhuc tortuosior, inuolutiorq;, relatiuo antecedẽte. Vt cum idem de Aruspicum responsis: Sua concio risit hominem. Et Plinius lib. xxxiij. Sua ætas uaria de Catulo existimauit. Quibus passiuè enunciatis, reciprocatio non paulo fuisset apertior. Est, cum in hunc frè modum proprietatem quandam adsignificant. Plautus in Menæhmis:

Ei sunt nati duo gemini
Ita simili forma pueri, ut mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat. sua, id est, propria. Cic. in Pisonem: Sua quenq; fraus de mente deturbat. Et Vergil. iij. Aen. Viuite felices quibus est fortuna peracta Iam sua. Et Ouid. in Epistolis: Miscuimus lachrymas mœstus uterq; suas. Aliàs conuenientiam quandam, uel congruitatem. Cuiusmodi Ciceronianũ illud, Iustitia suum cuiq; tribuit. suum,

id est,

id est, quod conuenit. Et Vergilianum, Sunt & sua dona parenti. sua, id est, congrua. Sed enim reciproca tio si præter uerbi appositum consit, & agentem in personam reflectitur, tum ei ferè suus sua suum respondet. Catullus:

Nam te præcipuè in suis urbibus colit ora
Helespontiaca cæteris ostreacior oris.

Sin uero patientem in personam, eius generandi casus. Cic. pro Milone: Milo sit obuiam Clodio ante fundum eius. Quanquam posterior hæc ratio nonnunquam fallit. Val. Max. lib. iiij. Alexander Diogenem gradu suo diuitijs pellere tentat. Quintilianus lib. i. Grammaticos officij sui commonemus. Seneca Epist. lvij. Admonet illum natura mortalitatis suæ. Tantoq; magis fallit, si personæ patienti uel adiectiuum aliquod, uel participium accesserit. Cic. in Verrem: Hoc dico, Cererem antiquissimã à Caio Verre ex suis templis esse sublatam. Sallustius in Cat. C. Cornelius & L. Vargunteius constituerant Ciceronem domi suæ imparatum confodere. Ad extremum illud obseruandum, genitiuo, uel datiuo, uel ablatiuo antecedente, ipse relatiuum cum præpositione inter, longè melius in quenq; eorum, quàm sui reciprocari. Cic. lib. i. de Off. Latissimè patet ea ratio, qua societas hominum inter ipsos continetur. Et mox: Latissimè patens hominibus inter ipsos societas hæc est. Fabius libro x. In magnis quoq; authoribus incidunt aliqua uitiosa, & à doctis etiam inter ipsos mutuò reprehensa. Sed hæc quoq; regula nonnunquam uariat. Terent. in Adel.

Vetus

Vetus uerbum est, communia esse amicorum inter se omnia. Cicero ad equites Romanos: Non patiar, ut cædes ciuium inter se fiant. Liu. lib. xxxix. Plura uirorum inter se, quàm fœminarum stupra. Cic. lib. i. de Off. Multa sunt ciuibus inter se communia. Liuius lib. viij. Cum intercluſissent exercitum à mutuo inter se auxilio Cæterum nominatiuo, uel accusatiuo præcedenti semper sui respondere comperi. Cic. pro A. Cluent. Fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate, homines inter se tum moribus tum fortuna similes. Et pro Rosc. Amerino: Etiam feras inter se partus atq; educatio conciliat. Atq; de simplici reciprocatione hactenus hæc. Porrò autem retranſitiua reciprocatio pluribus (uti iam diximus) efficitur in uerbis. Aliàs per primitiuum, idq; bifariam. Aut cum actus unius uel alterius posterioris uerbi, agentem in personam prioris uerbi reflectitur. Terent. in Andr. Orare iußit, si se ames, hera, iam ut ad se uenias. Cicero pro Sex. Roscio: Lucius à uobis Iudices postulat, ut hunc sibi scrupulum, qui se dies noctesq; pungit, euellatis. Quò uel Terentianum illud in Andria: Ego audiui ex illo, sese esse Atticum. Et Ciceronianũ pro Milone: Vos ex M. Fauonio audistis, Clodiũ sibi dixisse, periturũ Milonem triduo. Quamlibet enim prioris uerbi persona agens utrobiq; lateat, nihilominus tamen circulus absolutus est. Quandò quid est, Ego audiui ex illo: &, uos ex M. Fauonio audistis: nisi ille mihi dixit, & M. Fauonius uobis nunciauit? Aut cum actus eiusdem posterioris uerbi, in patiens prioris, in

ris, in quod alia persona transit, reflectitur. Plaut. *in* Milite: *Si est, iube huc transire, se ut uideant domi familiares.* Terent. *in* Phorm. *Video filium inuitum sanè mulierem ab se amittere. Aliàs per possessiuum, idq; etiamnum duobus modis. Aut cum tertia persona actum ad aliam dirigit, & rursus eadem in oratione, actus ultimi uerbi posteriore casu in personam agentem primi reflectitur.* Cic. *lib iij. de* Off. Pythius *piscatores ad se conuocauit, & ab his petiuit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur.* Idē *in* Verrem: *Nunc homo audacissimus intelligit, me ita paratum in iudicium uenire, ut in oculis omnium sua furta defixurus sim. Aut cum tertia item persona in aliam transit, sed rursus eadem in oratione actus ultimi uerbi non posteriore casu, sed ulteriore in personam agentem primi uerbi reflectitur.* Cic. *pro* L. Flacco: *Puer repetit eam, quam ego patri suo spoponderam dignitatem.* Idem *pro* P. Quintio: Ridet Næuius nostram amentiam, *qui in uita sua rationem summi officij desideremus. Sunt & alia (credo) multo plura reciprocandi genera, quæ uel dormitantem me, uel imprudentem fugerunt. Etenim omnia pro inextricabili tum eorum uarietate, tum perplexitate quis explicare queat satis? Nec refert, an uerbum illud, in quo fit reflexio, longius discedat, dum tamen sui memor idem agens principium repetat.* Quod genus Plautinum illud *in* Milite: *Excruciabit me herus, domum si uenerit, cum hæc scibit, quia sibi non dixerim.* Et Varronianum *libro* Rerum rusticarū *primo: Ille non redijt, & nos, ut expe-*

ut expectaremus se, reliqt, q rogaret. Sũt postremò, in quib. uix circulũ illũ agnoscas, quib. tamẽ optimos autores imitãdo, utamur licet. Vt cum Plaut. rursum in Mil. Siquidẽ centies hic uisa sit, tamen inficias eat. Os habet, linguam, perfidiã, maliciam, atq; audaciã. Qui arguat se? Et Teren. in Hecyra: Mater quod sua sit sua, adulescens mulier fecit. Atq; his exemplis admonemur, sui & suus non semper esse reciproca. De quibus in obstinatam plurimorum opinionem sequenti capite mihi disputandum est.

Sui, et suus nõ ꝑpetuò reciproca esse. Cap. XII.

NIhil est quòd uappæ isti, codices mihi deprauatos, aut mendosos caussentur. Idq; adeò admonitos in primis uolui. Atq; utinam permulti manus temperarent. Qui dum iudicio, arbitrioq; suo authores emendant, heu quàm uereor, ne corruptores potius, quàm correctores existant. Et quoniam difficillimum est, ex mentibus hominum reuellere, quod à pueris imbibitum est: siquidem authore Fabio, magis pertinaciter hærent, quæ deteriora sunt: quàm maximè manifestis exemplis, & ijsdem (ut aiunt) adamantinis ostendendum est, sui & suus non usquequaq; reciproca esse. Primùm quo mihi ore non esse reciprocum ibunt inficias, Ciceronianum illud in Antonium? Siquid mihi humanitus accidisset, huius diei uocem testem reipub. relinquerem meæ perpetuæ erga se uoluntatis. Rursus illud ad Atticum lib. viij? Cum ad te literas dedissem, redditæ mihi literæ sunt à Pompeio: Cætera de rebus in Piceno gestis, quæ ad se Vibullius scripsisset,

scripsisset, erant in his literis, quas ad me Philotimus scripserat. Num his duobus in locis ulla reflexio est? Quid cum Plautus in Epid. Hæc aiebat, sic audisse se ab se. Quid est ab se, nisi ab illa? Huc pertinet eiusdem Plauti quem suprà citauimus locum. Os habet, linguã, perfidiam, maliciam atq; audaciam, Qui arguat sei. Et *Seneca ad Albinam matrem. Puer ad tuum formetur arbitrium, multum sibi dabis, etiam si nihil dederis, præter exemplum. Viden' his omnibus exemplis. ut sui primitiuum excluſa omni reflexione ſimplex interdum agat relatiuum? Suus pari modo ſine ulla reciprocatione quandoq; repræſentare, optimi authores locupletiſsimi etiam teſtes ſunt. Cato in Re ruſt. Vinea ſi macra erit, ſarmenta ſua minutè concidito, & ibidem inarato. Cic. pro P. Sextio: Qui autem ita ſe gerebant, ut ſua conſilia optimo cuique probarentur, hi optimates habebantur. Cæſar lib. i. Gall. bel. Heluetij Allobrogibus ſeſe perſuaſuros exiſtimabant, ut per ſuos fines eos ire paterentur. Et libro ij. Ciuilis bel. Quo facto, commutata omnium uoluntate, conſenſu ſuo conſtituit Curio, prælio rem committere. Val. Max. lib. iiij. Africanus poſterior centurias recognoſcens equitum, poſtquàm G. Licinium ſacerdotem citatum proceſsiſſe animaduertit, dixit, illum ſe ſcire uerbis conceptis peieraſſe. Proinde ſi quis eum accuſare uellet, uſurum teſtimonio ſuo. Aemil. in Dione: Dionyſius ſic exiſtimari uolebat, id ſe non odio hominis, ſed ſuæ ſalutis feciſſe cauſſa. Plin. lib. xiiij. Græcinus arbitrabatur non naturam eius repugnare Italiæ, ſed*

liæ, sed culturam: ob id fertilitatem suam absumi, nisi præpinguis soli ubertas lassescentem sustineat. Porcius Latro in Catilinam: M. Catoni, aut Scipioni coætaneo suo de legibus dicendum erat. Rursus: Nam si odio senatus Catilinam arsisse demonstrauimus, si rationes uitæ suæ in exercitatione teterrimarum libidinum collocatas, quid erit Iudices, quod dubitetis de liberanda patria? Aul. Gellius libro xii. Nunciatum est Phauorino philosopho uxorem auditoris sui paululũ antè enixã, auctumq; eum esse nato filio. Igitur quòd Laurentius mendam esse suspicatur, ubi Cicero in Sallustium: Quòd si istius uita memoriam uicerit, aliam P.C. non ex oratione, sed ex moribus suis spectare debetis: delirare ille quidem conuincitur, ut qui maxime. Cur enim probatissimis authoribus is & ipse, pro sui & suus identidem utentibus, non his pro illis etiã uicissim uti liceat? Nimis tibi assumis Laurenti. Hoc quidem placet, illud autem displicet, mallem Ciceronem sic locutum. At hoc quid est, nisi summæ & inculpatæ legi uelle præscribere, & Lesbiam (ut aiũt) sese regulam fieri? Quo nihil arrogantius.

De relatiuis substantiæ diuersitatis.

Caput XIII.

EXpeditis relatiuis substantiæ identitatis, hoc minus negotij differendis relatiuis substantiæ diuersitatis relinquitur, quo qui alterum oppositorum recte nouit, utrunq; norit. Igitur relatiuum substantiæ diuersitatis est, quod antecedens repræsentat substantiuum, & supponit pro alio. Qualia cæterus, aliũs, alter,

alter, & reliquus. Nam cæterus ornatus dixit M. Cato in Re rust. Quo exemplo erroris conuincuntur, qui aut masculinum rectum deesse, aut cæter dicendũ putant. Horum autem relatiuorum primum id ingenium, ea natura, ut genere, numero, & casu cum subsequente semper conueniant, pro quo supponunt. Deinde ut antecedens referant eiusdem generis uel speciei cum subsequente, quod quidem generalius sit, & communius, atq; adeò suum antecedens sub se comprehendat necesse est. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Fabam, & cætera legumina sero. Viden', ut fabam inter legumina referat? Verg. iij. Aen. Dira Celeno, Harpyiæq; colunt aliæ. Viden', ut Celeno inter harpyias? Cic. in Lælio: Scæuola exposuit sermonem Lælij habitum ab illo secum, & cum altero genero. Viden', ut Scæuola sit gener? Idem lib. ij. de Off. Expertes rationis equi, boues, & reliquæ pecudes. Viden', ut equi, boues inter pecudes relati? Quo fit, ut duplex relatio sit: altera, cum antecedens uel simpliciter uel reciprocè tantum repræsentatur: altera, cum ipsum antecedens in subsequens quasi reducitur, & sub eo contineri ostenditur. Reliquus tamen ac cæterus nonnunquam ab insita lege desciscunt. Colum. lib. ij. Leguminum non alia cura, quàm reliquorum frumentorum. Plin. lib. ix. Delphini, & reliqua cete simili modo coëunt. An idem genus legumen & frumentum? Non hercle magis, quàm delphinus & cete idem pisces. Apul. libro viij. Met. Asinum celeri cursu cæteros equos antecellentem mirabantur omnes. An idem asinus & equus?

Alius deniq; & alter nulla interdum relatione comprehensa, simplicem tantum notant diuersitatem, ac differentiã. Sen. lib. ij. de Benef. Vnum utriq; nomen: uis quidem, ac potestas longe alia. Claud. de Consul. Honorij: Altera Romanæ longè rectoribus aulæ Conditio.

Suus esse potius relatiuum diuersitatis, quàm identitatis. Caput XIIII.

Vbitari etiam uideo, suus, sit'ne potius relatiuum identitatis, an diuersitatis. Nodosa quidem certè quæstiuncula, & sanè perplexa. Sed nos relicto cuiq; de hac re, ut uoluerit, suo iudicandi arbitrio, interim quàm paucissimis sententiam nostram absoluemus. Diuersitatis mihi potius uidetur. Primùm: quia eorũ structuram in totum sectatur. Deinde, quòd pro eodem, quod refert, non supponit. Longè siquidẽ aliud est possessor, quem refert: aliud possessio, pro qua supponit. Quare si relatiua cum eo semper conueniunt, pro quo supponunt, satis consequor, suus esse diuersitatis, propterea quòd semper conuenit cum subsequente, pro quo etiam supponit.

De relatiuis accidentis. Caput XV.

Vpereſt, de una reliqua relatiuorum parte, quæ dicuntur accidentis, ut differamus, portione ipsa Grammaticæ multo uenustissima. Eorum alia item identitatis, alia diuersitatis. Verum diuersitatis reiectis, de identitatis tantum explicabimus. Porrò relatiuum accidentis identitatis est, quod antecedens repræsentat adiectiuum, & supponit pro simili uel æquali.

quali. Quando huius id ingenium, ut subsequens suo antecedenti, uel, simile uel æquale semper commonstret. Cuiusmodi sunt, qualis, quantus, quot, quotus, quoteni, quotennis, quotuplus, quotuplex, cuius, & cuiás. De quibus singulis, quid cuiq; amplectendum, ut rectum ac Latinum, quid porrò reijciendũ ut prærancidum ac fœcutinum, suis optimè constabit in locis. Consequenti hæc respondent in genere, numero, & casu, pro quo etiam supponunt. Plin. lib. viij. Ex candido colore, qualem fuisse traditur Q. Sertorij ceruam. Nisi tamen uel præcedens uerbum, uel substantiuum subintelligatur. Nam tunc relatiuũ antecedenti respondet. Palladius libro ix. Radices amant terram pinguem, solutam, qualem rapa. Cic. ad A. Cæcinnam: Cæsar ingenijs excellentibus, quale tuum est, delectatur. Nam quod Horatius in Epodo scriptum reliquit, Mammæ putres, equina quales uberat id ut perquàm rarum, sic minimè usurpandum.

Qualis, adiectiua refert qualitatem significantia, ceu bonus, malus, sapiens, ignorans, candidus, niger, rotundus, quadratus, & similia. Sen. lib. vij. de Benef. Non tantum malus factus est, sed ferus, sed immanis, qualis Apollodorus. Est, cùm qualitatẽ etiam, ac formam non uno adiectiuo, sed duobus aut pluribus uerbis expressam repræsentat. Aul. Gell. lib. i. Figura quadrata, quales tesseræ. Plin. lib. xxvij. Aristas habet in cacumine tenues culmo, quale hordeum restibile. Cic. lib. i. de Of. Eos aduersarios existimemus, qui arma contrà ferant, non eos qui suo iudicio tueri

rempublicam uelint. Qualis fuit inter P. Africanum & Q. Metellum sine acerbitate dissensio. Colum. lib. ix. De minoris incrementi animalibus, qualis hic lepus, hæc præcipiemus. Est, cum uim quantitatis habet. Iuuen. Saty. xi.

Nemo inter curas, & seria duxit habendum,
Qualis in Oceani fluctu testudo nataret. Qualis, id est, quanta. Macrob. lib. i. Sat. Paruulus, qualem Aegyptij proferunt. Iam illud generatim præcipiendũ, aduerbia similitudinis omnium loco huiusmodi relatiuorum, quæ accidentis nuncupantur, uno duntaxat excepto, eleganter constitui, ac referre posse. Valer. Max. lib. ix. Amari tortores, sicut illi barbari. Plinius lib. ix. Meliora, sicut lupi pisces in Tyberi amne. Huius aduerbiũ Qualiter refert uel aduerbia qualitatis, ut, docte scripsit Horatius, qualiter Catullus: uel modum quẽdam, cuiusmodi Plinianum illud lib. vij. In pedes procedere nascentem contra naturam est, qualiter Marcum Agrippam ferunt genitum.

Quantus nedum adiectiua refert quantitatem continuam significantia, qualia magnus, paruus, breuis, longus, ingens, grandis, & similia. Sed quicquid etiam animus metiri, æstimareq; potest. Aul. Gellius lib. v. Grandem pecuniam, quantam Protagoras petiuerat. Idem lib. xvij. Longum, quantum satis erat. Liu. lib. x. Ingens uictoria, quantam de Samnitibus nemo, præter L. Papirium, peperererat. Aemil in Milciade: Ea lis æstimata est quinquaginta talentis, quantus sumptus in classem factus erat. Pli. lib. xi. Vngues ei gran-

ei grandes, ceu graculis. Huius aduerbium est quantum. Idem Plin. lib. ij. Solem abesse à luna undeuigin ti partes, quantum lunam ipsam à terra, multi prodiderunt. Potest uel aduerbia quantitatis referre. Postremò quantus etiam pro quot nonnunquã inuentũ. Claud. de Raptu Proser. lib. ij. Quantas truculentior hauster Decutit arboribus frondes. id est, quot folia.

Quot refert adiectiua quantitatem discretam numeralem significantia, ut duo, tres, quatuor, & deinceps. Fabius lib. xi. Mithridati duas & uiginti linguas, quot nationibus imperauit, traditur notas fuisse. Plin. lib. xi. Alia quaternas, ut pantheræ. Huius aduerbium Quoties, refert aduerbia numeralia: qualia semel, bis, ter, quater. Idem lib. vij. Sella curuli semel ac uicies sedit, quoties nemo alius.

Quotus pro paruo, uel minimo sæpiculè inuenitur. Seneca Epist. xci. Nos, inter quos frequenter ista nunciantur, quota pars hominum sumus? id est, minima. Et Mart. lib. i. Cæsaris hæc nostri pars est quota. Quotus, pro quot. Plin. lib. xi. Murium iecusculis fibræ ad numerum lunæ dierum in mense congruere dicuntur, totidemq; inueniri, quotum lumen eius sit. Mart. in Apophoretis: Dic quotus es, quanti cupias cœnare. Quotus iunctum cum quisq; ad numerum etiam refertur, & nullum, aut rarum significat. Cic. pro P. Sextio: Quotusquisque inuenietur tanta uirtute uir, qui optimam quanq; caussam reipublicæ amplectatur? Plin. lib. xxxvi. Quoto enim quoq; loco non suum marmor inuenitur? Huius redditiuum,

ſed numerale, Columella lib.v. expreßiſſe uidetur, in hæc uerba: Quotcunq; pedum ſpacia facienda cenſueris, totam partem longitudinis & latitudinis duces. id eſt, tot partes. Poſtremò quotus ordinale Plautus demonſtrat in Pſeudulo: In ſextum à porta proximum angiportum me diuorti iuſſerat, quotas ædes dixerit, admodum incertò ſcio. Adhæc Lucanus libro viij. Aut quotus in plaustro Libyam bene dirigat ignis. id eſt, prima, an ſecunda, an tertia ſtella in plaustro. Quotus ergo proprie ſumptũ refert adiectiua, quantitatem diſcretam ordinalem ſignificantia: qualia, primus, ſecundus, & cætera.

Nihil referre, utrum dicatur decimuſtertius, an tertiuſdecimus, adhæc ordinalia duplicem habere ſignificationem. Cap. XVI.

EXibilanda eſt obiter illorum ſtultitia, qui nulla ratione rectè dici poſſe contendunt, decimuſtertius, decimusquartus, decimusquintus, decimuſſextus. Rurſum, ſeptimus decimus, octauus decimus, nonus decimus. Res dignior riſu, quàm confutatu. Quos ego ſi per capillos haberem. Errauerit igitur & M. Tullius pro Aul. Cluent. Sententia ſeptima decima accederet. Et Liu. lib. xxix. Septimo decimo anno, poſtquàm uota fuerat. Et Plin. lib. x. Nanq; octauo decimo die excludunt. Et Tacit. lib. xiij. Cum nono decimo ætatis anno Cæſar Octauius ciuilia bella ſuſtinuerit. Sed ego ineptus. Illud potius animaduertendum, huiuſmodi nomina uim duplicem habere. Interim ordinalem & propriam; nempe cùm aliquo ex ordine ultimum

mum adsignificant. Hor. lib ij. Serm. Hæc mihi Sterti nius sapiẽtum octauus. Interim simplicem numeralẽ. Cic. pro Milone: Centesima lux est hæc ab interitu Clodij, & opinor altera. id est, Nunc sunt unus & centum dies, cum interijt Clodius. Plin. lib. xij. Mutia nus ter consul prodẽdum posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodecimcesimo comite. id est, cum decem & octo comitibus.

Quoteni rarissimum inuentu est. Etenim quan tum ipse legere potui, bis tantum reperi. Semel Cice ronianis in Epistolis ad Att. lib. xij. Nescio quoteno rum iugerum. Neq; non semel apud Columellam lib. vi. Quotena semina iugerum Quorum utrunq; quo niam positum est pro quot, efficitur, ut singuli, bini, terni, quaterni, quini, seni, septeni, & id genus adie ctiua distributiuè, uel diuisiuè in pares numeros posi ta, suo prorsus relatiuo deficiant. Itaq; faciunda si fue rit relatio, minimè dicendum censuerim, Pedites Cæ saris eunt in prælium quini, quoteni equites Pompeij. Non ausim ego ita dicere: sed, Eunt quini, ut equites Pompeij. Horum nominum triplex usus. Aliàs distri butiuè ponuntur, ut in exemplo nuper adducto. aliàs diuisiuè in pares numeros. Liu. lib. xxxv. Pro copia agri dari potuere quadragena iugera in pedites, sexa gena in equites. hoc est, singulis peditibus quadragin ta, & singulis equitibus sexaginta. Sic Tranquillus in Aug. Congiaria populo frequenter dedit, modò quadringenos, modò trecenos, nonnunquam ducenos quinquagenosq; nummos. Quod est, singulis ex po-

pulo nunc quatercentos, nunc trecẽtos, nunc ducentos quinquaginta. Aliàs simpliciter numeraliter. Quo sensu duntaxat uel relatiuum habere possunt. Cic. in Verrem: Pueri annorum senûm, septenumq; denûm senatorium nomen nundinati sunt. Fabius lib. xi. Tricenos & sexagenos inuenerit locos. Plin. lib. vij: Cæsarem accepimus epistolas quaternas pariter librarijs dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas. Idem lib. xviij. Genicula sunt tritico quaterna, farri sena, hordeo octona. Qui quidem usus frequens est admodum apud omnis generis authores. Maximo illorum errore, qui huiusmodi uoces non nisi nominibus tantum pluraliter declinabilibus applicari statuerunt.

Anniculus, bimus, trimus, quadrimus, quimus, plura non legi, adhæc uniennis, biennis, triennis, quadriennis, quinquennis, sexennis, septẽnis, uel septuennis, octennis, nouennis, decennis, nec huius generis plura, adiectiua sunt quantitatem quidem discretam annorum significantia, sed proprium relatiuum omnino desiderantia. Nam quotennis, quod triuiales & somniant & inculcãt, inter quos & Priscianus, cùm apud idoneos authores nusquam legatur, quoquo modo reijciendum est. Grammaticis enim nihil audendũ, quod authoritate in primis fulciri non possit. Itaq; relatio faciunda si est, exẽpli caussa ita dices: Puer Pompeij biennis, uel bimus est, ut meus, uel quot annos meus natus est. Sin uero interrogandum, dices, Quot annos natus? Quemadmodum & nobilissimus author

Plautus

Plautus docet, tum in Menæh. Quot eras annos natus, cum te pater auexit? Septuennis. tum in Cistell. Quot annos nata dicitur? septemdecim. Quod dicendi genus qui secuti erunt, hi nimirum & purissimè et latinissimè locuti fuerint.

Simplus, duplus, triplus, quadruplus, & id genus nomina, quid sibi uelint, adhuc inter Grammaticos non satis constat. Ea nos triplicem habere significationem obseruauimus. Est, cum simplum exponitur, semel tantum: duplum, bis tantum: triplum, ter tantum: quadruplum, quater tantum. Fabius lib. vij. Illa quoq; pendet ex iure, an cum duo fures pecuniã abstulerunt, separatim quadruplũ quisq;, an duplum debeat. Et mox: Fur quadruplum soluat, duo surripuerunt pariter decem millia, petuntur ab utroq; quadragena: illi postulant, ut uicena conferant. duplum, id est, bis tantum: quadruplum, id est, quater tantum. Sic Plin. lib. xi. Omnibus forma semper egregia, & duplo quàm cæteris maior. id est, bis tanto. Est, cum idem significant, atq; simplex, duplex, triplex, quadruplex numeraliter sumpta. Sen. lib. i. Declam. Duplam pecuniam dabo, alteram pro filio, alteram pro tyrannicida. In quem sensum ni fallor, dicitur & illud eiusdem: Pro arbore pollicetur quadruplum, pro domo simplum. Est postremò, cùm simplũ accipitur pro semel plus: duplum, bis plus: triplum, ter plus: quadruplum, quater plus. In quam sententiam pedibus it Hieronymus in Daniele: Præcepit Rex, ut succenderetur fornax septuplùm, quàm succendi consue-

uerat. Septuplum, id est, septies plus. Sed quocunque sensu accipiantur, relatiuo suo in totum carent. Quo tuplus enim qui somniant, mera illi quidem somnia somniant, nullis uidelicet præmuniti exemplis, nec quid afferant, habent. Quare quo modo his nominibus præclarißimos authores usos uidemus, utamur & ipsi. Alioqui periculum fuerit, ne crabrones nobis irritemus.

Simplex, duplex, triplex, quadruplex, & quæ sequuntur, multiplici apud authores pollent intellectu. Aliàs numeralia sunt. Ouid. lib. viij. Met. In flammam triplices posuere sorores. id est, tres sorores. Aliàs multiplicationem formæ præ se ferunt. Suet. in Nerone: Certamen triplex, musicum, gymnicũ, equestre. Aliàs multiplicationem materiæ. Verg. xij. Aen. Clypei extremos septemplicis orbes. Septemplicis, id est, constantis septem orbibus. Aliàs uim sapiunt comparatiuam. Liu. lib. xxxiiij. Duplex stipendium accipere, quàm quantum à Tudertanis pepigissent. duplex, id est, duplo maius, uel bis plus. Et Plin. lib. xix. Duplex, quàm cæteris precium. Aliàs idem ualent, ac semel tantum, bis tantum, ter tãtum, quater tantũ. Liu. lib. xxxix. Militibus ex præda quinos uicenos diuisit, duplex centurioni, triplex equiti. id est, bis tantum centurioni, ter tantum equiti. Quorum quidem nominum relatiuum Quotuplex esse debuit. Verùm quia authoritate caret, eo graui atq; exornata in oratione minimè utendum censeo. Quanquam agenti de re Grammatica, neq; non in familiaribus puerorum interro-

interrogatiunculis, ut Grammaticorum abusui nonnihil cedamus, haud abstinendum.

Cuius, cuia, cuium, referre debet nomina, uel pronomina possessiua: ut Euandrius, Pompeianus, *regius, meus, tuus, suus, noster, & uester. Aul. Gell. lib. xvi. Quicquid sustuleris dolo malo, domino suo, cuium id censebis esse, reddes. Sed enim relatiuum hoc identidem reperire est probatissimos apud authores, nullo præcedente adiectiuo possessiuo. Idq; tunc relatiuum substantiæ diuersitatis ego censuerim. Plaut. in Rud. Argentum pro istisce ambabus, cuiæ erant, domino dedi. Idem in Cistell. Sequere me mea Silenium, ut eorum, cuiam esse oportet te, sis potius, quàm mea. Et in Epid. Illud adducam ad te, cuia est fidicina. Cicero in Verrem: Vt optima conditione sit is, cuia res sit, cuium mancipium.*

Cuiás etsi nusquam relatiuè positum legi, per ipsum tamen adiectiua gentem uel patriam significantia, ceu Clodius, Romanus, Italus, Athenienſis, Arpinás, Ambraciotes, Scythis, noſtrás, & ueſtrás, repræſentari conuenit. Vt exempli gratia, Buennás Saturnius, ut, uel cuias Octauianus. Est autem Buennum dulce mihi natale solum, oppidulum sanè illustre Oreola in ualle, quam nunc uulgò Camonicam dicitant, supra lacum Sebinum xiiij. millibus passuum, ad orientem situm à flumine Ollio, quod oppidulum Ciuitale præterfluit, ferè paulo plus aut minus mille passuum distans, Vulcano sacrum.

Nomina

Nomina patria in as, contra Priſcianum, & pleroſque alios trium generum eſſe communia.

Caput XVII.

Illud autem minimè diſſimulandum, an Priſcianus, & cum eo pleriq; alij rectè docuerint, nomina patria in as, iccirco generis tãtum eſſe communis, quod ſubtracta ti penultima ſyllaba, conciſa ſint. Vt quod uetuſtiſſimi illi protulere, Hic & hæc Arpinatis, Hic & hæc Ceſenatis, mox ſublata ti ſyllaba, relictum ſit Hic & hæc Arpinâs, Hic & hæc Ceſenâs, cum accentu circunflexo in fine. Eoq; tantum generis etiamnum eſſe communis, quòd uel neutrum habeant diſtinctum per e. ut ſit, Hic & hæc Arpinâs, & hoc Arpinate. Quarum quidem uocum analogia, mirum, quot maximi nominis Grammaticos tum ueteres tum neoteros ueri ſimilitudine fefellerit. Ego autem longè aliter ſentio. Nam ut facilè concedo Arpinatis, Ceſenatis, non conciſa maſculini & fœminini eſſe generis, ita maximè nego Arpinâs, Ceſenâs conciſa, duûm tantum eſſe generum communia. Quid caperas frontem? En tibi C. Lucilius cùm ait, Oleum Caſſinâs. En Cic. ad Att. lib. xvi. In quo flexus eſt ad iter Arpinâs. En Liu. lib. v. Cornelijs Faliſcum bellum, Valerio ac Seruilio Capenâs ſorte euenit. Et lib. viij. Eodem anno Priuernâs bellum initum eſt. Vides, ut iſti excellentiſſimi latinitatis Authores oſtendunt Caſſinâs, Arpinâs, Capenâs, Priuernâs, neutri etiam generis eſſe? Variata igitur terminatione, uariatum etiam eſſe genus oportet. Vt quæ antea duûm tantum generum erant,

non

non concisa, mox concisa trium facta sint generum communia. Quàm rectè igitur Donatus *pueris declinandum proposuerit,* Hic *&* hæc *nostras, &* hoc *nostrate :* Hic *&* hæc *uestras, &* hoc *uestrate : quàm* Latinè *uir quidam, alioqui utraq; lingua undecunq; doctissimus dixerit, uulgus nostrate, ipsi uiderint. Eodem in luto hæsitant, qui negant huiusmodi nomina mittere ablatiuũ singularem in e, uel in i, sed in i tantum. Errauerit igitur Cicero, cum pro Aul. Cluent. Fratres gemini fuerunt ex municipio Aletrinate. Et Liuius, cùm lib. v. In Capenate agro. Et cum libro x. Ex agro Sentinate. Et Valerius Max. cùm lib. vi. Ex illo Mario tam humili Arpinate. Et cum Martialis, Metamq; lactis Sarsinate de sylua. Ex quibus omnibus doceantur pueri, non quod ipsa uocum analogia suadet, sed quod usus authoritasq; proponit, ac probat, obseruare.*

Inter Corinthium & Corinthiensem, Hispanum & Hispaniensem, contra Ambrosium Calepinum, nihil interesse. Caput

XVIII.

LErnæa cum hydra mihi res est. Nam quo plura errorum capita obtrunco, hoc longè plura mihi obtruncanda suppullulant. Sunt, inter quos uel primus author erroris (nisi fallor) Ambrosius Calepinus, qui obstinatissimè tenent, non unum esse Corinthios & Corinthienses. Nimirum ut Corinthius is sit, qui ex Corintho natus, ibidem habet: Corinthiẽsis uerò, qui aliunde natus, Corinthi uersatur. Pariq; ratione affirmant,

mant, alios esse Brixianos, alios Brixienses, alios Hispanos, alios Hispanienses. Circunspicienti autem mihi, unde istis tam superstitiosa uocũ distinctio in mentem uenerit, locus Ciceronis ad M. Cœlium statim occurrit, ita scribentis: Itaq; ego neq; hunc Hispaniensem casum expecto. Vbi luculentissimus author intelligit bellum ciuile gestum à Cæsare aduersus Petreium & Afranium apud Ilerdam. Suspicatiq; sunt, Ciceronem idcirco bellum illud Hispaniense nuncupasse, quòd à Romanis, non ab Hispanis in Hispania gestum sit. Sed enim isti ipsi Ciceronem de eodem bello in Hispania gesto alibi scribentem si diligentius obseruassent, utiq; reperissent illud idem bellum ab eo uel Hispanum appellatum fuisse. Nam ad Leptam sic habet: De Hispanis noui nihil, magnũ tamen exercitum Pompeium habere constat. Quid est de Hispanis, nisi de bello in Hispania à Romanis gesto? Obseruanti præterea mihi magna uis exemplorum undiq; adfuit, quibus isti turpissimi erroris conuincuntur. Nam & Plautus in Aul. Pyrenen fontem sub uertice Acrocorinthi scatentem, non Corinthium, sed Corinthiensem appellat. M. autem Cato, & Aul. Gell. lib. vij. dictitant Rhodienses, quos Sallustius & Quintilianus Rhodios nuncupant. Quid, quòd Cicero in Epistolis ad Trebatium, ciues à Velia nominat Velienses, quos Vergilius fortasse dixisset Velinos? Quid, quòd ager Latinus de Aruspic. resp. apud eundem Latinienſis nuncupatur? Age ciues ab Alexandria quis nescit Alexandrinos uocitari Bellum tamen, author te Cæ-

re Cæsare gestum non ab Alexandrinis, sed à Romanis apud Alexandriam, idem ipse Cic. ad C. Cassium scribens, non Alexandriense, sed Alexandrinum appellauit. Sed longiores fuerimus, si quotquot suppeditant, recensuerimus. De addductis igitur exemplis luce clarius constet, quicquid isti Aristarchi somniantes effutiunt, inter Corinthium & Corinthiensem, & alia id genus, quotcunq; memorari possunt, nomina, nihil omnino discriminis esse.

Natale solum cuiusp̃iam significare uolentibus, barbarè dici de Roma, de Athenis. Cap. XIX.

IRrepsit etiam, inualuitq; deprauata in primis, & corrupta dicendi ratio, ut cum natale solum cuiusp̃iam significare uolumus, non patrio nomine, ut probata dicendi obseruatio postulat, utamur, Plato Athenienſis, Camillus Romanus: sed insolenter ac sordidè loquentes, dicimus de Athenis, de Roma. Quæ barbaries cùm apud omnes ferè uiget, tum uero apud nullos magis, quàm quorum interesset omnium fòre tum eruditiores, tum sapientiores. Erroremq; suum tutantur, quòd Athenienſis, Romanus, & id genus patria nomina, non aliquem in urbe, sed in agro progenitũ adsignificant. Exemplumq; citant Apuleiana ex Apologia: Quanto modestius Mantuanus poëta. Constat enim Vergilium non in urbe Mantua, sed in uico Andenatum esse, ob id uel Andinũ poëtã à Silio Italico appellatũ. Propterea tollendã ad ambiguitatẽ necessariò dici, de Athenis, de Roma. Deũ immortalẽ, quæ portenta agrestes isti, ac pessimè literati deblaterant.

Sed Opici

Sed Opici magistri uolo mihi dicant, quid sibi uelit Plautinum illud in Menæh. Est ne hic Syracusanus? Vbi Messenio seruus Menæhmos fratres geminos Syracusis natos præclarissimè demonstrat. Quid Cic. pro Archia: Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum, Chij suum uendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi uero suum esse confirmant. Quid Aul. Gell. libro quarto Noctium Atticarum:

Septem urbes certant de stirpe insignis Homeri:
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ius, Argos, Athenæ.

De patria (subiungit Gellius) Homeri multo maximè dissensum est. Alij Colophonium, alij Smyrnæum, sunt qui Athenienſem dicant. Quid postremò Marcus Varro, tantum illud lumen, cum lib. i. Rerum rustic. enumerans eos qui de Agricultura scripserunt, eorumq; patriam simul recensens, hæc fere: Amphilochus Athenienſis, Anaxipolis Thasius, Apollonius Pergamenus, Apollodorus Lemnius, Aristophanes Maleotes, Antigonus Cymæus, Agathocles Chius, Aristandrus Athenienſis, Bacchius Milesius, Bion Solæus, Chærestcus, & Chæreas Athenienſis, Diodorus Priennæus, Dion Colophonius, Diophanes Nicenſis, Epigenes Rhodius, Euagon Thasius, Euphranij duo, unus Athenienſis, alter Amphipolites, Aegesias Maronites, Menandri duo, unus Priennæus, alter Heracleotes, Nicesius Maronites, Pythion Rhodius. De reliquis, quorum quæ fuerit patria, non accepi, sunt Androcion, &c. Nunquid omnes isti rure geniti? Quid,

Quid, quòd nostrates Iurisconsulti permagnam differentiam faciunt inter Vrbem, & Romam? Vrbem uidelicet locum duntaxat intra mœnia intelligentes: Romam uero, & ipsa etiam suburbia, quæq; iuxta urbem circunuisuntur. Id quod non solum de Roma, uerum de urbibus alijs etiam intelligendum. Itaq; Vergilius quanquam non in urbe, uti iam diximus, sed in agro Mantuano natus est, moriturus tamen, nihil ueritus fuit de se ita scribere:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini pascua, rura, duces.

Quòd si superstitiosos istos hæc cura circunstat, ac premit, ut repudiatis nominibus patrijs, ablatiuis potius uti uelint, perinde quasi eo dicendi genere natale solum uel expressius uel illustrius relaturi sint, utantur sanè per me licet, sed quemadmodum excellentissimi latinitatis authores consueuerunt. Plaut. in Bacchid. Vnde eam esse aiunt? ex Samo. Idem in Capt. Rogo, Philocratem ex Aulide ecquis omninum nouerit? Terentius in Heaut. Est è Corintho hic anus. Varro apud Aul. Gellium libro vij. Pauus è Samo, hœdus ex Ambracia, pelamis Chalcedonia. Cæsar lib. iij. Ciuil. bel. Duobus his prælijs desiderati sunt equites Romani cccc. & à Placentia c. & à Puteolis c. & à Capua x. sacrati uiri. Liu. lib. i. Turnus Herdonius ab Aricia. Atq; his omnibus exemplis iam persuasum sit, primũ nomina patria æque eos qui in urbe, quàm qui ruri nascuntur, significare. Dehinc nil prorsus interesse, utrum quis dicat, Sum Romanus, an à Roma: sum

Brixianus, an ex Brixia. Ablatiuis tamen, ubi patriorum inclinatio duriuscula contigerit, potius utēdum censeo. Sunt enim pleraq; usqueadeò prolatu difficilia, ut primitiuis satius uti sit, quàm deriuatiuis.

De redditiuis. *Caput XX.*

NVnc id genus relationis attingam, quod redditiuum, quodq; mutuò respectiuū appellatur. In quo è regione duo posita prouocabula idem significātia, utrunq; alterum referunt: sed ita confusim, perplexeq;, ut certi nihil exprimāt. Quo dicendi modo tum præcipuè utimur, cum ab his quibus cùm loquimur, aut ad quos scribimus, tantum intelligi uolumus. Idq; usu uenit partim in ijs prouocabulis, quæ substantiæ dicuntur: ceu cum ille, uel hic, uel is, uel idem pronomen, qui quæ quod relatiuum antecedit, aut subsequitur. Fabius lib. x. Ille se profecisse sciat, cui Cicero ual de placebit. Cic. ad Lentulum: Quidam homines, & ijdem illi, quos sæpe nutu, significationeq; appello, gaudere se dicebant. Idem pro Sex. Roscio: Accusant ij qui in fortunas huius inuaserunt, caussam dicit is cui præter calamitatem nihil reliquerunt. Partim uero in ijs, quæ accidentis nuncupantur: qualia, talis, qualis, tantus, quantus, tot, quot, totus, quotus, toties, & quoties. Idem ad Brutum: Quales tibi sæpe scripsi consules, tales extiterunt. Est, cum redditiua substantiæ identidem pro accidentis collocantur. Cic. lib. ij. de Off. In eo uis maxima est, ut simus hi, qui haberi uelimus. id est, tales, quales haberi uelimus. Idem ad Appium: Hæc in Pompeio grauitas, hæc animi altitudo, ut sum-

ut summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus nō crederet. hæc, id est, tanta. Est postremò reperire talis, tantus, tot, & toties uim nonnunquam habere relatiuam, sed non temerè citra copulam. Vergilius v. Aeneid. Cædit binas de more bidentes, Totq; sues. Plin. lib. xiij. Fructus quaternos fundit, toties & germinat.

De infinitis. Caput XXI.

Longè uero alia est eorum natura, quæ confusa nec, atq; incerta quadam è significatione dicta sunt infinita. In queis nulla relatio est, nullus respectus. Ea cum enunciantur, adeò sunt tenebricosa, atq; obscura, ut certi quid significent, nulli percipiant, nisi fortè, inter quos ea signa conuenerint. Eorum duplex genus, alterum per se tale, alterum aliunde. Per se infinita sunt, quæ sponte sua existunt indeterminata. Partim substantiæ, ut quidam, aliquis, nonnullus, quisquam, quispiam, & alius. Partim accidētis, ut aliquantus, & aliquot. Horum nullum suapte natura non infinitum est. Aliunde infinita sunt quæ per uerbum nescio, aut ignoro, aut quid eiusmodi fiunt indeterminata. Alia pariter substantiæ, ut quis, qui, quæ, quod, quid, & uter. Vergil. in Buc. Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos. Alia accidentis, ut qualis, quantus, quot, quotus, cuius, cuiás, qualiter, & quoties. Sen. lib. vij. Rerum nat. Multa, qualia sint, ignoramus. Non desunt, qui talis, tantus, tot, totus, & toties, per quòd, uel ut adiunctiuas coniunctiones fieri infinita autument. Vt cum Plin. lib. viij. Tergori tan-

ta duricies, ut thoraces inde fiant. Et Seneca libro iij. Declam. Non mihi tanti ultio tanta fuit, quòd filium amittere uellem.

De distributiuis. Caput XXII.

Grammaticis plerique sunt, qui distributiua idem E' omnino esse, ac partitiua contendant: quòd distribuere atq; partiri, significatione conueniant. nam qui distribuit, partitur. Propterea tam hæc, quàm illa, uetustißimos diuidua nũcupasse. Quorum quidem opinioni ratio ipsa uerborum significationis adamus sim quadrat, prorsus ut nihil differre uideantur. Sed preßius tamen, ac propius intuentibus, distributiua longè alia ratione dicta sunt, atq; partitiua. Quoniã omnis distributio fit in aliqua proprietate, hoc est in aliquo uerbo significatiuo, aut certè in aliquo apposito, & uerbo substantiuo: Partitio autem in aliquo toto, hoc est, in aliquo nomine appellatiuo pluralis numeri, genitiui, uel accusatiui, uel ablatiui casus. Vt distributiua semper id agant, uti singulis quibusq; ali cuius nominis communis eundem actum attribuant. Quod genus Aristotelicum illud, Omnis homo naturà scire desiderat. Hic enim distributiuũ, omnis, proprietatem hanc, scire desiderat, ita singulis quibusq; sub hoc nomine, homo, contẽtis attribuit, dißẽsatq;, ut nullus omnino sit homo, quisquis ille, cui innata sciendi cupiditas non tribuatur. Animaduertin' igitur, ut suum sit distributiui proprietatem tantum distribuere? At partitiuum non hoc agit, sed totum partitur, hoc est, de toto partem trahit, cui soli proprietatem

tatem impertiatur. Ceu cum Iuuenalis Satyra x. De sapientibus alter ridebat, flebat contrarius alter. Ibi nulla distributio est: sed de toto pars trahitur, nempe de sapientibus alter. quorum uni risus datur, alteri fletus. Legitimam igitur ad distributionem tria requiruntur, distributiuum, proprietas, & nomen aliquod appellatiuum. Super hæc (ut secunda accedat differentia) distributiua sunt uniuersalia, partitiua uero particularia. Nec obstat, si quando distributiua partitiuum in modum construuntur. Quod quibus modis usu ueniat, de excellentissimorũ authorum exemplis mox paulo constiterit.

Quid distributiuum. Caput XXIII.

Distributiuum igitur est signum, quo aliqua proprietas singulis quibusq; alicuius nominis communis attribuitur. Prouocabulum sanè uarium, elegans, & maximi usus. Eius dispertiendæ proprietatis ratio duplex. Siquidem alia sunt, quæ duo sibi uerba eo requirunt, quòd uim tum relatiuam tum distributiuam pariter contineant, ut quisquis, & quicunque. Alia unum, quòd solam distributiuam. Præterea distribuentium ratione unius uerbi tantum, rursus alia de duobus modò. qualia uterq;, ambo, & neuter. Alia generalitatem quandam præ se ferunt, ut omnis, cunctus, uniuersus, quilibet, quiuis, quisq;, unusquisq;, nullus, & nemo. Qua triplici quidem è diuisione quoniam tria distributiuorum genera emerserunt, operæprecium fecero, si quicquid de his sentimus, capitulatim apposuero.

Primi generis distributiua. Caput XXIIII.

POrrò quisquis, & quicunq; quadrifariâ usurpantur. Interim, & proprio quidem modo, distributiuè & relatiuè simul. Id quod ubi contingit, tum distributiuum eo in casu situm esse oportet, in quo relatiuum resolutum collocaretur. Sen. lib. iiij. de Benef. Ingratum uoco, quisquis metu gratus est. quisquis, id est, omnē qui. Ouid. lib. ij. de Fast. Conuocat hic nymphas Latium quæcunq; tenebant. quæcunq; nymphas, id est, omnes nymphas, quæ. Interim relatiuè tantum. Plin. Cæcil. lib. Epist. v. Omnes, quisquis negotiū haberet, iurare prius, quàm agere iubebantur. id est, omnes qui. Cic. in Verr. Omnia, quæcunq; Carpinatius postulabat, facere, ac decernere solebat. id est, omnia, quæ. Interim distributiuè tantum. Plin. lib. xx. Quæcunq; ruta pro antidoto est. id est, omnis ruta. Interim infinitè, & quandam ignorantiam præ se ferens. Cic. lib. ij. de Off. Commodè autem quicunque dixit pecuniam, qui habeat, non reddidisse. Et Ouid. lib. xij. Met.

Quisquis es ô iuuenis, dixit, solamen habeto
Mortis, ab Acmonio quòd sis iugulatus Achille.

Secundi generis distributiua. Cap. XXV.

CVm omnium distributiuorum syntaxis explicata esse debet, tum uerò nullorū magis, quàm quæ de duobus dictitātur. Nulla sunt enim in queis peræquè, ut in his, propè ab omnibus peccetur Grammaticis.

Ea ge-

Et genitiuũ, uel ablatiuum cum præpositione de, uel è, uel ex pluralem, aut singularem nominis collectiui sibi adsciscunt. Liu. lib. ix. Neuter consulum potuerant bello abesse. Sen. lib. vij. Declam. Neuter ex filijs suis parricidium fecit. Liu. lib. viij. Cornelia ac Sergia, patriciæ utraq; gentis. Accusatiuo cum præpositione inter, qui cõiungunt, hi barbarè prorsus loquũtur. Ambo semper absolutum legi, præterquàm semel apud Plinium lib. x ij. Nobilißimarum gentium ambo Crassus atq; Domitius censuram gessêre. Cæterum studiosi caueant, ne dicant, Vterque Cæsaris & Pompeij, aut ex Cæsare & Pompeio, aut inter Cæsarem & Pompeium. Insolens est enim, & Opicum dicendi genus. Nam huiusmodi copulata (quantum ipse uidere potui) semper eodem in casu offendi collocata, in quo & distributiuũ. Terent. in Eun. Vterq; mater & pater domi erant. Val. Max. lib. ix. Claræ ultionis utraq; regina, Tamyris & Beronyce. Plin. lib. xx. In magnis laudibus malua est utraq;, & satiua & syluestris. Idem lib. xix. Seritur & pastinaca utroq; tempore, uere & autumno. Suetonius in Tyberio: Obijt utroq; liberorum superstite, Tyberio Drusoq;, Neronibus. Quòd autem nonnulli Vergilianum illud vij. Aen. nobis obijciunt, Vterq; Europæ atque Asiæ fatis concurrerit orbis: falluntur illi quidẽ, nec quicquam probant. Primùm, quia Europæ atq; Asiæ generandi casus à nomine substantiuo orbis reguntur. Deinde, quia partitiua in constructione pars semper eiusdem generis esse debet cum toto.

Ambo non usq; coniunctim, nec uterq; semper disiunctim significare. Caput XXVI.

IN Lexico, cui titulus Cornu Copiæ, mirum, quid authorille super distributiuis ambo & uterq; senserit. In cuius sententiam it pedibus & Ambrosius Calepinus. Vterq;, inquiunt, & ambo hoc inter se differunt, quòd, cùm utrunq; aliquid feciſſe dicimus, & ab hoc, & ab illo separatim id factum intelligimus. ut, Vterq; sibi domum ædificauit. Cùm uero ambo dicimus feciſſe, ab utroq; cõiunctim id factum ostendimus: ut, Ambo sibi monimentum constituerunt. hoc est, hic & ille simul unum sibi commune monimentum fecere. Miror, unde uiris tam eruditis tanta istæc inceſſerit superstitio. Sed ostendamus ipsi luculentiſsimis exemplis, utrunq; falsum. Primum ambo non semper coniunctim significat. Salluſt. in Iug. Ambo ad sua castra digreſsi. Si quisq; ad sua, non igitur ad eadem. Liuius lib. vij. Ad bellum ambo profecti, Faliscũ Quintius, Sulpitius Tarquinienſe. Non igitur ad unum & idem bellum. Cæsar lib. iij. Ciuil. bel. Diuersa sibi ambo consilia capiunt: Cæsar, ut quàm primum se cum Antonio coniungeret: Pompeius, ut uenientibus in itinere se opponeret. Si diuersa, non igitur unum simul, & commune consilium. Quòd autem uterq; nõ usq; disiunctim, uel præclariſsimi authores mihi subscribunt. Plaut. in Epid. Dederim uobis consilium, quod laudetis uterq;. Cicero in Hortẽsio: Quod cùm uterq; nostrum annuiſsent. Idem Appio: Cum reditũ nostrum

nostrum in[illegible]et. Horat. libro i. Serm. Hæc utinam Viscorum laudet uterq;. Colum. lib. xiij. In commune conspirabatur ab utroq;. Quare iam liqueat, distributiua hæc iuxtà coniunctim, ut disiunctim significare. Adhæc Grammaticis eatenus credendum, quatenus quod dixerint, exemplis confirmarint.

De mutua duorum distributione. Caput XXVII.

IAm qua inter duos reciproca distributione identidē utuntur authores, uel ea nobis hic paucis explananda. Vterq; alterum odit, Vterq; utriq; placet, Alter alteri insidiatur: mutuæ sunt affirmationes. Significant enim, mutuò sese odisse, mutuò sibi placere, & mutuas sibi insidias tetendisse. Sen. lib. iiij. Declam. Vterq; quod alteri deerat, commodauimus. Terent. in Phorm. Vterq; utriq; est cordi. Cic. pro A. Cluent. Censores sua iudicia inter se tanti esse arbitrantur, ut alter alterius iudicium reprehendat. Atqui, neuter alterum amat, Neuter utri inuidet: mutuæ sunt negationes, significantq́; nec illum hunc, nec hunc illum amare. adhæc, nec illum huic, nec hunc illi inuidere. Liu. lib. xxi. Neutri alteros cernebant. Plaut. in Rud. Neuter utri inuidet.

Tertij generis distributiua. Caput XXVIII.

OMnis, cunctus, uniuersus, quisque, & unusquisq;, distributiua sunt affirmatiua, eadēq́; uniuersalia. Quæ ipsa quemadmodum inter se differant, cum alij

num litigant? Vniuersus nunquam partitiuè constructum reperi. Omnis postremò & quisq; de duobus interdum dici, uisum est annotatu dignum. Terentius in Phorm.

Ecce autem similia omnia, omnes congruunt:
Vnum cognoris, omnes noris.
Hic in noxia est, ille ad defendendam caussam adest.
Cum ille abest, hic præsto est, tradunt operas mutuas.
Quid est enim, Vnum cognoris, omnes noris: nisi, si alterum cognoris, utrunq; noueris? Demipho enim de Antiphone ac Phædria loquitur. Aul. Gellius lib. xvi. Susq; deq; fero, aut susq; deq; habeo (his enim omnibus modis dicitur) uerbum est scriptum pluriariã. Fabius lib. v. ij. Illa quoq; pendet ex iure, an cùm duo fures pecuniam abstulerunt, separatim quadruplum quisq;, an duplum debeat. Et lib. x. Macer & Lucretius legendi quidem, sed non ut phrasim eloquentiæ faciant, elegantes in sua quisque materia, sed alter humilis, alter difficilis.

Quilibet, & Quiuis, contra Laurentium, & sectatores eius, non minus esse, quàm dici rectè uniuersalia. Caput XXIX.

Distributiua hæc, quicquid Laurentius, ac discipuli eius somniant, interdum uniuersalia sunt. Et quanquam [redacted] in eo quem suprà diximus libello, Quilibet & Quiuis citra ullũ discrimẽ exponát, unum quẽlibet, uel unum quemuis, quasi non delectũ, sed fortuitũ, et casu oblatũ, atq; ita in sententiã Laurẽtij pedibus discedere uideatur: idẽ tamẽ in Proverbijs,

cùm

cùm alibi, tum uero Chiliadis secundæ centuria sexta quasi palinodiam canens, iisdem ipsis uniuersaliter usus est. Primum paræmia lxxxiiij. Chares Atheniensium dux quiduis cuiuis pollicebatur, quem nunc fermè reges imitãtur, dum omnibus omnia promittunt. Dein centuria nona, paræmia lvij. Omnia esculenta obsessis. Quam eandem alijs uerbis reddens, subdit: Cinctis ab hoste uesca sunt & quælibet. Vides igitur, quilibet & quiuis ibi generatim usurpata? Sed certiora nobis longè his suppetunt exempla. Fabius lib. xi. Cicero quodam loco scribit, se non id egisse, ut ita diceret, quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo. Vides ibi quilibet & nemo sibi inuicem opponi? Liu. lib. xxiiij. Oclacilio classem obtinẽte, quælibet Annibali tuta atq; integra ab domo uenerunt. Quælibet, id est, omnia. Pariter Seneca tum Epist. lxxiiij. Sapiens nihil iudicat suum magis, quàm cuiuslibet, illi cum humano genere consortium est. Tum Epist. cxxiiij. Bonum non in quolibet corpore, non in qualibet ætate inuenitur. Quid Apuleius in Apologia, distichon illud Platonicum transferens:

Dixerit hic tantum cum nil, nisi pulcher Alexis,
Extitit, & uertunt quilibet in te oculos:

Non præclarè satis demonstrat, quilibet ibi generaliter accipi? Nam & plerique alij, hunc eundem locum è Græco uertentes, quod ille quilibet Latinè reddidit, ipsi, omnes transtulere. Et si ostendimus quilibet Latinè generatim dici, iam comprobemus & quiuis uniuersim usurpari. Cic. lib. i. de Of. Sunt, qui quiduis perpe-

perpetiantur, cuiuis deseruiant, dum quod uelint, consequantur. Hoc quid est, nisi quòd quidam sunt, qui nihil non perpetiantur, nulli non deseruiãt, dum quod uelint, consequantur? Cæsar lib. iij. Gal. bel. Naues totæ factæ ex robore ad quamuis uim & contumeliam perferendam. Quid est, ad quamuis uim, nisi ad omnem uim perferendam? Præterea Ouid. lib. iiij. de Ponto: Quolibet est folio, & quauis incertior aura. non ibi asserit poëta Naso fortunam quocunque folio, & quacunque aura incertiorem? Quid Colum. lib. ij. In area detrita frumenta sic sunt aggerenda, ut omni flatu possint excerni. Non uicissim quolibet, aut quouis flatu dicere potuisset? Est postremò, cum quilibet, & quiuis, uim interdum habent generalem infinitam. Seneca Epist. xxviij. In quolibet barbariæ angulo colloceris, hospitalis tibi illa sedes erit. id est, Quocunque in angulo. Plautus in Trinum. Quamuis malam rem quæras, illic reperies. id est, Quamcunque malam rem.

Nullus & nemo. Caput XXX.

NVllus denique, ac nemo, uniuersalia negatiua hoc inter se differunt, quòd illud generaliter ad omnia, hoc propriè ad homines tantum refertur. Structuraq; inter se adeò congruunt, ut qui utriusuis syntaxim norit, amborum nouerit. Est, cum substantiuo respondent. Cic. pro P. Sext. Nemo homo erat. Est, cum partitiuè. Plin. lib. vij. Mortalium nemo felix. Seneca Epist. lxxvi Nemo ex istis quos purpuratos uides, felix est. Apul. lib. iij. Met. Inter tot millia populi circunsedentis,

cunsedentis nemo prorsus, qui non risu dirumperetur, aderat.

De partitiuis. Caput XXXI.

PArtitiuum, uti paulo ante constituimus, etsi ad naturam distributiui quàm proximè accedit, atque idem ferè munus exercere uidetur: idem tamen esse, nihil est quod minus existimemus. Quoniam distributio in proprietate fit, partitio in toto. Quod quidem appellatiuum aliquod sit, necesse est, idq; numeri pluralis. Quale Ciceronianum illud pro P. Sextio: Vnus ex omnibus ciuibus Milo docuit, quid oporteret à præstantißimis uiris in rempublicam fieri. Et Plinianum lib. ix. Piscium quidam sanguine carent. Nec nõ illud lib. x. Picorum aliquis suspenditur. Prorsus, ut proprium sit distributiui semper hoc efficere, ut singulis quibusque alicuius nominis communis eundem actum attribuat. Partitiui autem, ut sit pars alicuius totius. Quare Partitiuum, signum sit, quo pars trahitur ex toto, cui soli proprietas tribuatur, parsq; eiusdem generis cum toto sit, necesse est. Horum quoque duplex ratio: alia de duobus, alia de pluribus dicuntur.

Primi generis partitiua. Cap. XXXII.

ALter (ut quo ordine diuidendo proposuimus, eodẽ & prosequamur) unum de duobus propriè significat. Aliàs definitè. Iuuenalis Satyra x. De sapientibus alter ridebat, flebat contrarius alter. Illud Democritum, hoc Heraclitum determinatè notat. Aliàs indefinitè. Liu. lib. xxij. Annibal æger altero oculo capitur.

tur. Et Fabius lib. vi. Alter igitur insidiatus est. Vter? profectò Clodius. Aliàs disiunctiuè. Columella lib. iij. Qui separata generibus uineta non habet, patiatur alterum incommodum necesse est, ut aut serum fructum cum præcoque eleuet, aut maturitatem serotini expectet. Aliàs quasi relatiuè. Cic. ad Appium: Pompeij & Bruti fidem mirificè laudas, alterius omnium sæculorum principis, alterius iampridem iuuentutis. Aliàs numerum quendam significat. Idem in Verrem: Rex primò nihil metuere, nihil suspicari, dies unus & alter, plures, non refertur. Et pro L. Murena: Neque in uno, aut altero animaduersum est. Aliàs ordinale est. Cicero in Verrem: Alterum, tertium, quartum permulta erant eiusmodi nomina. Et pro Aul. Cluent. Vnum, alterum, tertium annum Saxia quiescebat. Est postremò, cum de pluribus, quàm duobus, contra multorum opinionem, dicitur. Hircius de bel. Alexand. Capta est una quadriremis, depressa est altera, altera perturbata. Seneca libro vi. Controu. Alterius brachia amputat, alterius eneruat, alium distorquet, alium delumbat, alterius diminutas scapulas in deforme extundit. Columella libro ix. Alui sic collocandæ erunt, ut paulum altera ab altera distet. id est, alia ab alia. Fabius libro ij. Oratores tantum inter se distant genere dicendi, ut nemo sit alteri similis. Papinius libro v. Sylu. Gentibus alter Iura dat eois, alter compescit Ibêros, Alter Achæmenium secludit. Claudianus de Consulatu Theodosij,

Nanque

Nanque alijs princeps rerum disponitur aër.
Hic confidit aquis, hic procreat omnia flammis.
Alter in ætnæas casurus sponte faucillas
Dispergit, reuocatq; deum.

Alteruter compositum uim prorsus habet indefinitam, idq; aliud nihil significat, quàm aut unus, aut alter. Liu. lib. viij. Alteruter consulum fata impleret. Cic. in Verrem: Vtrum te perfidiosum, an prævaricatorem existimari mauis? Video esse necesse alterutrũ. Plin. lib. iij. Alterutra interempta, incredibilis alteri ultionis cura. Alteruter interim copulatiuè significat. Colum. lib. xij. Necessarium fuit alterutrum: foris esse, qui labore compararet: intus, qui tectis recondere-ret. id est, utrunque.

Vter simplex intellectu, à quis uel qui nihil interest. Horat. lib. ij. Vter est insanior horum? Aul. Gell. lib. i. Ex malis duobus uter maior esset, eum mittendũ curaret. Cic. pro Milone: Reliquum est, ut nihil aliud quæreredebeatis, nisi uter utri insidias fecerit. Vtrum huius aduerbium uel multiplicem facit interrogationem. Idem in Verrem: Vtrum impudentius à socijs abstulit? an turpius meretrici dedit? an improbius Pop. Rom. adenit? an audacius tabulas publicas commutauit?

Vtercunq; infinitum est omnino, & anceps. Cic. ad Torquatum: Ita magnæ copiæ utrinque paratæ, ut utercunque uicerit, non sit mirum futurum. utercunque, id est, siue Cæsar, siue Pompeius.

Vterlibet postremò, & uteruis triplicem uim habent.

bent. Est, cum unum è duobus per quidam optionem adsignificant. Cic. pro P. Quintio: Vtrumlibet elige, alterum incredibile est, alterum nefariũ. utrumlibet, id est, unum, quod magis libet. Nam separata idem etiam significant. Idem in Verrẽ: Ego tecum in eo non pugnabo, quo minus utrum uelis, eligas. Suet. in Aug. Vt potestate transacta, in utro uellent ordine, manerent. Quo minus ferendi sunt, qui partes istas libet, & uis, syllabicas esse adiectiones contẽdunt. Est, cum unum quodlibet è duobus citra omnem optionem indiscretè ostendunt. Liu. lib. x. Eos esse consules, quorum utrolibet duce bellum Hetruscum geri rectè possit. Fabius libro v. Tutius, cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet, sufficiet. Plin. lib. xxiiij. Suberis cortex tritus, ex aqua calida potus, sanguinem fluentem ex utralibet parte sistit. Terent. in Andr. Menander fecit Andriam, & Pyrinthiam: Qui utramuis rectè norit, ambas nouerit. Idem in Hecyra: Nam si utrumuis horum mulier unquam tibi uisus forem, non sic ludibrio habitus essem. Cic. in Philipp. Quorum si utrumuis persuasissem, in has miserias nunquam incidissemus Est deniq;, ubi copulatiuè significant. Fabius lib. ix. Nihil refert, quo modo appelletur utrumlibet eorum. Plaut. in Pœnulo: Vtrumuis est, et leno & Lycus. Cic. in Catone: Minus habeo uirium, quàm uestrûm uteruis.

Catholica partitiuorum dualium constituendi.

Caput XXXIII.

DValia partitiua ex æquo genitiuũ, uel ablatiuum

t cum

cum præpositione de, uel è uel ex, pluralem omnia sibi tantum accipiunt. Quæ structura etsi per exempla commodùm citata satis cuique iam liquere potuit, unum tamen adhuc, uel alterum adduxisse, haud fuerit dissentaneum. Suet. in Aug. Agrippa alteram Marcellarum habebat. Plinius lib. vij. Ex geminis alterum patri similem. Est tamen interdum, cum totum, quod alioqui partitiua constructione poneretur in genitiuo, uel ablatiuo, id eodem in casu cõstitutum cernas, in quo & partitiuum. Liu. lib. xxxviij. Consulibus, alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia prouincia decreta est. Quò, licet de pluribus, uel Plautinum illud in Capt. pertinet: Nam ferè maxima pars morẽ hunc homines habent. Nec est, quòd hic carmen illud Ouidianum in Epistolis à quoquam nobis obijciatur, Nec solis ab ortu Inter formosas altera nomen habet. Quandoquidem altera ibi non de duobus, sed de pluribus dicitur. Præceptio autem nostra hæc est, ut tam distributiua, quàm partitiua, quatenus dualia sunt, ea nunquam diuidua constructione alios casus accipiãt, quàm quos iam præscripsimus.

Secundi generis partitiua. Caput XXXIIII.

Vilibet alioqui, & quiuis, præter eam uim, quam suprà cum simplicem uniuersalẽ, tum generalem infinitam habere diximus, uel unum aliquem è multis, quicunq; est (ut in sententiam Laurentij tandem aliquando pedibus eamus) adsignificant. Verum duobus modis. Aliàs quadam cum electione. Seneca Epist. xv.

xv. *Quodlibet ex his elige, usu fit facile. id est, unum quod magis libet. Sic lib. ij. Controu. Si peccauerint, cuilibet tu uinciendus trade. hoc est, uni qui magis tibi libeat. Et libro v. Habeat filium quemuis. hoc est, unum quem ipsa uelit. Id quod uel solutum usurpant authores. Cic. in Verrem: Atque ut hoc facillimè intelligi possit, quem uoles eorum, testimonium, siue ciuem Romanũ, siue Siculum, rogato. Aliàs nulla cum electione. Quibus tum eleganter unus, una, unum antecedit. Fabius lib. v. In proponendo, si unum quodlibet omiserimus, cum risu tota res soluetur. Et lib. xi. Si memoria naturà durior erit, inutile erit ad omnia se uerba alligare, cum obliuio unius eorũ cuiuslibet, aut deformem hæsitationem, aut etiam silentium inducat. Terent. in And. Vna harum quæuis caussa me, ut faciam, mouet. Vel tu, uel quòd uerũ est, uel quòd ipsi bene cupio Glycerio. Suet. in Cæsare: Acie Pharsalica nemini non suorum unum quem uellet partis aduersæ seruare concessit. Quilibet postremò, uel de duobus dictum inuenitur. Sen. lib. v. Controu. Habui duos tales, ut ex illis unus quilibet satis sit.*

Vnus, & solus, seu multitudinem, seu societatem excludant, partitiua sunt. Ouid. lib. xi. Met. Inter mille uiros murum tamen occupat unus. Plin. lib. ix. Accipenser unus omnium squamis ad os uersis contra aquam nando meat. Et libro xi. Terrestrium solus homo bipes.

Quis partim simplex, partim his fermè particulis, si, num, ne, ec, præcedentibus, mirum ut eleganter

partiatur. Cic. in Bruto: Quis omnium doctior Aristotele? Terent. in Eun. Siquis est, qui dictum in se inclementius existimet esse, sic existimet. Rursus: Num quis hic est? nemo est. Num quis hinc me sequitur? nemo homo est. Plaut. in Milite: Ne quis tibi hoc hodie uitio uertat. Idem in Capt. Rogo Philocratem ex Aulide ecquis omnium nouerit?

Quidam, & aliquis uoce tenus, infinita quidem sunt, ut paulo antè iam constituimus, uerum intellectu differunt: illud certam loquenti rem notat, hoc incertam. Cic. ad Lentulum: Vt Appelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis incohatam reliquit, sic quidā homines in capite meo solum elaborarunt. Plautus in Curcul. Nolo hercle aliquid, certum, quàm aliquid mauolo. Verum differentia tamen hæc non usq; adeò semper uera est, ut quidam non interdum rem indefinitè, aliquis definitè significent. An cum Plin. author eminentissimus dicit, & lib. ix. E planis aliqua non habent pinnas, ut pastinacæ: & lib. x. Ambulant aliquæ, ut cornices: saliunt aliquæ, ut passeres. non his omnibus locis definitè aliquis significat? Non hercle minus, quàm cum idem alibi dicit: Quædā omni tempore coëunt, ut gallinæ. Auunculo subscribit & Cæcilius nepos lib. Epist. iij. In his me multa solicitant, aliqua nec minora deterrēt. Iam uero contrà quidem confusè, indefiniteq; nonnunquam significare, testis est Fabius lib. i. Docendi peritus perspiciat, quónam modo tractandus sit discentis animus. Sunt quidam, ni in-

ni institeris, remissi, quidam imperia dedignantur, quosdam continet metus, quosdam debilitat, alios continuatio extundit, in alijs plus impetus facit. Neque enim Quintilianus ibi de certis personis loquitur, sed generatim ingenia discentium discriminans, exponensq; ea magistris noscenda, obseruandaq; proponit. Ad hunc modum et Plin. lib. vij. Vires quibusdam dextra parte maiores, quibusdam æquas utraq;, aliquibus læua parte præcipuas. Totum enim humanũ genus indiscretè complectitur. Quorum alij dextra, nonnulli sinistra sunt fortiores, non pauci utraq; manu æquales. Plura in promptu erant alia exempla, sed breuitatis fuit habenda ratio.

Nonnullus præterea, & quispiam, iuxtà rem certam, atq; incertam ostendunt. Cic. lib. i. de Off. Sunt nonnullæ disciplinæ, quæ officium omne peruertunt. Idẽ paulo pòst: Quæ quis coactus metu promiserit, pleraq; iure prætorio liberantur, nonnulla legibus. Plaut. in Pseud. Ne quæpiam uestrarum mihi neget. Aul. Gell. lib. ij. Tum quispiam ex his inquit.

Quisquam uero, & ullus, præterquàm quòd æquè definitè, ut indefinitè significãt, negatione etiam gaudent, uel signo si, uel ne prohibentis, uel interrogatione. Plaut. in Asin. Neque me Athenis est alter hodie quisquam, cui credi æquè putent. Terent. in Hecyra; Nemo quisquam illorum ad te uenit, quin ita præparet sese. Idem in Eunucho:

Si quisquam est, qui placere se studeat bonis
Quàm plurimis, & minimè multos lædere,

In his poëta hic nomen profitetur ſuum. Rurſus: *Edicit, ne uir quiſquàm ad eam adeat.* Cicero *in Verrem: An hoc dubitabit quiſquam omnium, quin is uenalem in Sicilia iuriſdictionem habuerit? Simili modo & ullus uſurpatur, cuius exempla paſſim reperire eſt.*

Alius ferè de pluribus dici, quis neſcit? Cic. *lib. ij. de Off.* Animaliũ *alia rationis expertia.* Rarò *de duobus.* Cæſar *lib. iij. Ciuil. bel.* Duas *leges promulgauit: unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donauit: aliam tabularum nouarum. Hoc congeminatum interim, confuſaneam multorum diſtributionem facit.* Cic. *ad Att. lib. vij. Sexcentas epiſtolas uno tempore accepi, aliam alia iucundiorem.* Liuius *lib. xxvi. Alacres milites alius alium, ut adderet gradum, memor ad defendendam ire patriam, hortabantur. Interim diuerſitatem quandam præ ſe ferunt.* Sue tonius *in Cæſare:* Dãnati *omnes, alius alio caſu perijt.*

Huc poſtremò, ne ſingulis recenſendis prolixiores ſimus, ordinalia cuncta, ut primus, ſecundus, tertius: & numeralia, ut duo, tres, quatuor, adhæc multi, pleriq;, pauci, pars, partim, & ſi qua ſunt eiuſmodi, quæ diuiduum in modum conſtrui poſſint, pari gradu huc ſeſe conferunt. Quorum ſi unum quodlibet in exemplum propoſuerimus, ad illius ſpecimen reliquorum omnium ſtructura ſit manifeſta. Suet. *in Nerone: Multi ſpectantium credidere.* Liu. *lib. iij. Multi ex conſularibus uerbo aſſenſi ſunt.* Plin. *lib. xxi. Multis inter hæc æterna fõlia. Atq; de prouocabulis hæc iam abundè ſatis.*

AVGV-

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS *Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Sextus.*

De participijs. Caput primum.

GREGIÈ, *mea quidem sententia,* Latina lingua omnibus in rebus sibi consuluit. *Sed nusquammelius, quàm in his excogitandis, quibus ipsa et instructior et locupletior redderetur: innato scilicet unicuiq; rei studio sui adaugendi, amplitudinemq; rerum & firmißimum sui præsidium, & singulare ornamentum putanti. Verum nullis rebus nec magnificentior, nec opulentior facta, quàm participijs, gerundijs, & supinis. His enim præ cæteris excellit, effulget, triumphat: partibus suapte naturà nobilißimis. Ac primum participia (nam de gerundijs, ac supinis mox) latinitati breuitatem conferunt, appositißimum prouidentis naturæ ad condecorandam orationem ministerium: non cõcisam illam quidem, ac mancam, cui obscuritas agnata, sed quæ multa complectatur uerbis non ita multis, quæq; pro rerum ac sententiarum complexu apparent etiam pauca. Simul'q; genus dicendi faciunt in primis fusum, lene, æquabiliter incedens, non contortum, non intumescens, non corruptum. Adhæc breuitati cognatam celeritatem. Quæ cum alijs rebus comparatur, tum uero participijs septimo in casu constitutis, uel maximè, si plura consequantur. Postremò uarietas præci-*

puum naturæ bonum ubi opes, deliciasq; suas ambitiosius ostentat, quàm in participijs, ut oratio ipsa nusquam non his refloreſcat, delectet, moueat? Quare danda nobis opera, ut partem hanc orationis tam excellentem sic explicemus, ut non parum adiumenti studiosis attulisse uideamur.

Quæ participiorum uerior etymologia, quotq; requirantur ut sit participium.

Caput II.

PArticipijs duplicem ineſſe naturam, ne cæteri quidem Grammatici diffitentur. Sed quam tandem? Nempe quam procul quasi olfecerint. Dicta ideo participia, quòd à nomine genera & casus, à uerbo tempora & significationes accipiant. Quasi uero interius nihil sit, magisq; remotum, unde id nomen sibi uerius adsciuerint. Altiora sunt hæc principia, quàm ut simplex quispiam Grammaticus in ea sese impenetrare possit. Verba cuncta, unde participia, atq; adeò gerundia, supina, & uerbalia proficiscuntur, duplici subsistunt natura. Vna communi, ex eo quòd unumquodq; eorum adsignificat cum tẽpore, uimq; habet suppositum copulandi cum apposito. Altera priuata, quæ est sua cuiusq; uerbi significatio. Dicam explicatius. Huiusmodi uerba duplicem habent naturam, nẽpe nominis & uerbi. Nominis, quatenus idem cum nomine significant. Amo siquidem & doceo intellectu nihil prorsus interſunt à nomine amor & doctrina. Verbi autem, quatenus copulant suppositum cum appositio, certasq; temporis differentias desi-

gnant.

gnant. Qua parte (uti iam sæpe testati sumus) uerba etiam tantum sunt existimanda. ut amo uirtutem, doceo te literas. Quo quidem facto gradu, facillimũ est consequi, cur participia sint appellata. Hæc nanque duplex natura traducitur in participia. Nimirum significatio rei, quæ nominis est: & cõsignificatio temporis, quæ uerbi. Quicquid enim super consignificationem uerbi naturæ inducitur alienæ, id omne suum est significationis & nominis proprium. Verùm natura hæc in uerbis, præuertente, antecellenteq; uerbi qualitate, ueluti consopita est. Quæ mox in participijs, exuta uerbi qualitate, quasi euigilãs, proprijsq; uiribus receptis, æquè per sua accidentia, ut uerbi natura cognoscitur. Atq; ita fit, ut participia sint dicta, quòd naturam nominis & uerbi participent. Quoniã uerò natura quæq; suas trahit proprietates, hinc duo etiam alia, tanquam appendices consequuntur: Terminatio scilicet in ans, uel in ens, uel in tus, uel in sus, uel in xus, uel in rus, uel in dus, ex natura nominis. Nec non constructio posterior & ulterior, ex natura uerbi. ut amans uirtutem, docens te Grammaticam. Neq; enim participia totam uerbi naturam traducunt. Ex quibus omnibus iam exploratum sit, constituendum ad participium quatuor omnino requiri, quorum si unum abstit, participij nomen amiserit. Ea sunt hæc, significatio nominis, consignificatio temporis, terminatio casualis, & constructio uerbi.

Quid sit participium. Cap. III.

Vocirca ueriorem etymologiam sequatur uerior definitio. Participium est pars orationis, cum casu & tempore agendi, uel patiēdi significatiua. Quo definientes modo, ut multo breuius, sic impendiò etiā uerius inuolutam rei naturam explicamus: prorsus, ut quid nomini, quid uerbo conueniat, rursum quid ab utroq; discrepet, liquidò perspiciatur. Nomini respō det, quatenus cum casu idem atq; illud significat: exutaq; uerbi natura, totum relinquitur nomen. Verbo conuenit, quatenus cum tempore significat, certam uidelicet temporis differentiam (nam istuc demum est significare cum tēpore) sub distincta, determinataq; uocis forma designans: nempe in ans uel in ens præsens, & præteritum imperfectum: In tus, uel in sus, uel in xus præteritum perfectum, & plus quàm perfectum: In rus, uel in dus futurum. Longè tamen alia ratione, uerbis sponte naturæ id facientibus, Participijs per traductionem. Propterea non temere in definitionem duo illa accidentia, casus & tempus conuenere, quibus, ut illo uim nominis, hoc naturam uerbi testante, ita coniunctis, uel ab omnibus alijs orationis partibus Participia discriminarentur: nulla alia cum casu & tempore pariter significante.

Quæ participiorum formatio. Cap. IIII.

NVnc participiorum inflexio, qua deposita uerbi qualitate, formam nominis, uariasq; terminationes accipiunt, paucis explicāda. Verba si primæ sunt, aut secundæ coniugationis, ea formant participia in

ans,

ans, uel in ens, à secunda persona præsentis indicatiui, posita n ante s, ut amo amas, amans: doceo doces, docens. Aut si communia sunt, uel deponentia, mutata ris uel re in ns, ut criminor aris, uel are, criminãs: medeor eris, uel ere medens. Sin uero sint tertiæ, uel quartæ, à prima persona, mutata o uel or in ens, ut lego legens, audio audiens, utor utens, largior largiẽs. Eo tamen cum suis compositis, euphoniæ causſa mutat etiam e in i. Verum alij formatione utentes multo circunscriptiore, asserunt eadem omnia è prima persona præteriti imperfecti, mutata bam uel bar in ns, quotæquotæ uerba sint coniugationis, deduci. Quam inflexionem longe etiam auidius totum uulgus amplectitur. Ac ne ipsi quidem auersamur, sed superiorem tamen magis approbantes. Participia uero in tus, uel in sus, uel in xus, ea quæcunq; sunt, ab ultimo supino inflecti, admota s, rationis est, ut amatu amatus, uisu uisus, amplexu amplexus. Nec non & futuri in rus, ut amatu, uisu, amplexu, admota rus, amaturus, uisurus, amplexurus. Atqui participiorum futuri in dus peruulgata inclinatio illa, non perinde apud omnes plausibilis. An cum è genitiuo præsentis participij mutata tis in dus formari dicuntur, non instar monstri esse uidetur? Obsecro, quid dissentaneum magis, quàm ut è participijs participia oriantur? Sed Grammaticus, ut qui sensum potius quàm intellectum sequatur, non tam sua interesse putat, unde rectius, ueriusq; participia, quàm unde commodius ac facilius deducantur. Itaq; dum recta uerborum significatio traducatur,

analo-

analogiã ipſam, uociſq; formationẽ non magni facit. Quot, & quæ è ſingulis uerborum generibus participia deducantur. Caput V.

NOn ſum adeò imperitus rerum, qui neſciã, quàm ſit difficile multorum irroboratas opiniones reuellere. Sed tanta eſt tamen eorũ quæ allaturi ſumus, certitudo, ut nõ modò confidã pleroſq; in meã ſententiam ituros, eoq; mihi animus gliſcat, uerum etiã complurimos tardidiſcẽtiæ ſuæ pœniturũ putem, ubi hãc noſtrarũ præceptionũ lucem attigerint. Quare dum frugi ſimus, obſtrigilantiũ naſos ne unius quidem æſtimemus aſſis. È uerbis actiuis Latinitas duũm temporũ participia duntaxat inflectit. In ans, uel in ens, ut amans, legẽs. Et futuri in rus, ut amaturus, lecturus. È paſſiuis duũm itidẽ temporũ, unum in tus, uel in ſus, uel in xus, ut amatus, uiſus, pexus: alterũ futuri in dus, ut amandus, uidẽdus, pectẽdus. His tamẽ ſemper exceptis, quæ ſupinis carent. Nã quorũ uerborũ ſupina deſiderãtur, eorũ nulla in rus, neq; adeò in tus, uel in ſus, uel in xus participia eſſe poſſunt: qualia hæc, & alia,

Ambigo, compeſco, diſpeſco, reſpuo, linquo,
Arceo, cum fileo, cum lambo, diſco, refello,
Vrgeo, cum metuo, timeo, cum poſcere, cerno.
Abſtineo, ſiſto, iuuo. Quibus præcello, excello, & antecello accedant. Intelligendum arceo, iuuo, cerno, & linquo, ſimplicia quidem ſupinis carere, compoſita uero minimè. Super hæc lingo, ac renuo, haud ſupinis defecta. Plin. lib. xxxv. Sulphur prodeſt & ſuſpirioſis linctũ. Et lib. xxxvi. Aſſius lapis prodeſt phthiſicis

ſicis linctu. Plin. Cæcil. lib. Epiſt. i. Nam ego quoque ſimili nutu, ac renutu reſpondere uoto tuo poſſum. Nec eſt quòd hic mihi aliquis reclamet, Num nam igitur dicere licebit, linćturus, renutus, ta, tum, & renuturus? Quid ni, quantum ad uerbi naturam pertinet? Neq; enim propterea ſupinis fraudãda ſunt, quia eorum participia in uſu nõ ſint. Id quod uel de alijs, quorum participia aut obſcura ſunt, aut minus uſurpata, dicendum.

E neutris iuxta præſcriptum, duûm itidem temporum participia oriuntur. In ans, uel in ens, ut abundans, ſeruiens: & futuri in rus, ut abundaturus, ſeruiturus. Quòd autem nonnulli, inter quos & Phocas, aſſeruerunt, iens participium nuſquam reperiri, falluntur illi quidem. Cic. ad Att. lib x. Iens in Pompeiana num bene mane ſcripſi hæc. Et lib. xvi. Nonis Quintilibus ueni in Puteolanum. iens ad Brutum. Neutra uerò, quorum ſupina deſiderantur, hæc ferè:

Strideo, cum ſtrido, cum ſterto, pſallere, pædo,
Geſtio, cum mico, ſcandoq;, rudoq;, congruo, dego,
Ferueo, cum paueo, ſtudeo, gliſco, luo, ſcabo,
Et tremo, cæcutio, ſatago, meio, inq; gemiſco,
Et uado, inceſſo, dementio, tum miſereſco,
Luceo, cum nolo, pluit, & malo, & uolo, uergo,
Aeſtuo, ſic furo, his iungas uel ineptio, ningit.

Atque hic mihi, iuxta prouerbium, nonnihil recantandum. Cur enim mihi turpe ducam, quod laudi excellentiſſimo authorum fuit Ciceroni? Nemo eſt adeò ſapiens, qui temporis progreſſu non uſque proficiat.

Mando

Mando igitur, parco peperci, obedio, & ſcalpo, quæ prima Mercurij editione inter defecta recenſuimus, haud ſupinis carent. Cic. lib. ij. de Orat. Qui omnia tenuißima manſa infantibus in os inferant. Fabius libro x. Cibos manſos. Plin. lib. xxxiij. Italiæ parcitum eſt. Apul. lib. viij. Met. Lepolemo parcito lanceam dimiſit. Liu. lib. iiij. Vtrinq; obeditum Dictatori eſt. Plinius lib. xvij. Ramo oleæ quàm maximè obedituro. Scalpo autem, niſi ſupinum haberet, unde obſecro ſcalptor & ſcalptura, nomina uerbalia fierent? Mico uero, ſcando, & uado, compoſita ſupinis minimè uacant. Defectis accedunt incohatiua, atq; meditatiua. Quanquam eſurio eſuriturus facit. Adhæc uerba ſecũdæ coniugationis per uĩ diuiſas præteritũ mittentia, quæ omnia ſupinis carent, paucis tamen exceptis.

Nam placeo placiturus habet, noceo nociturus,
Queis addas ualeo, careo, pareo, pateoq;,
Torreo, cum caleo, cum oleo, iaceo, doleoq;.

Quorum omnium ſupina ac participia in medio uſu. Caliturus tamẽ, et iaciturus, non perinde obuia. Quæ ſingulis exemplis ſtatuminaſſe affatim eſt. Ouid. xiij. Met. Des mihi ſacrificos, caliturasq; ignibus aras. Papinius vij. Thebaid. Haud uetito nudus iaciture ſepulchro. Sunt ex neutris, quæ tria gignunt participia, præſens, præteritum, & futurum in rus: qualia hæc,

Prandeo, cum cœno, placeo, careo, audeo, nubo,
Gaudeo, deficio, iuro, cum poto, redundo,
Occido, cum pateo, titubo, decurrere, ceſſo,
Euado, excreſco, ſuccedo, tum requieſco, Ac doleo.

Macta

Macta generosæ fœcunditatis uerba. Quibus haud satis fuit prole cætera exæquasse, nisi & superfœtassent. Ergo manifestis prætermißis, minus confessa tantum exemplis fulciamus. Fabius lib. iij. Aqua, ciboq; defecti, de facienda deditione deliberant. Ouid. lib. iij. de Trist. Siue redundatas flumina cogit aquas. Et vi. de Fast. Amne redundatis fossa madebat aquis. Aulus Gell. lib. iij. Post solem occasum. Rursus: A` sole occaso. Solinus in Poly. Euphrates tenuatur, leone decurso ad extima. Ouid Fast. iiij. Largaq; prouênit cessatis meßis in aruis. Liu. lib. xxij. Exercitũ cæsum, euasumq; se esse. Verg. iij. Geor. Excretos prohibet à matribus hœdos. Cic. ad Tironẽ: Cum omnia uelles mihi successa. Sen. lib. de Tranq. Dãda est remißio animis, acriores requieti surgunt. Colum. lib. ij. Illa requietũ uolunt aruum. Aul Gell. lib. ix. Id subitò perdolitum est cuidam. His uerbis poterat uel odi uerbũ aggregari, nisi tẽpore præsenti deficeret. Nam & osus & osurus habet participia. Idẽ lib. iiij. Osusq; eum morum caussa fuit. Et lib. i. Hac inquit fini ames, tanquam forte fortuna osurus.

Fio nullũ in usu habet participiũ. Primò fiens nusq; inuenitur. Factus uerò non est à fio, sed à facior paßiuo, quo ueteres utebãtur. Nigidius Cõmentar. xxx. Id quod huiusmodi est facitur. Futurus alioq; est à fuo uerbo defectiuo. Ver. x. Aen. Tros, Rutulusue fuat. Quòd autẽ legitur apud Plin. lib. xxix. Quæ ut unà cremari poßit, minutim fiẽda est: locus corruptus est. Itaq; ex codice antiquo reſtituendũ, findenda est. Atq; ita fio

nullum

nullũ habet participiũ. Soleo it ẽhabet solitus tantũ. Nam Plautinũ illud in Epid. Ego abscessi solens paulum ab illis, nomẽ mihi potius uidetur. Soliturus nunquã legi. Mœreo demum (nisi fallor) mœrens etiam tantum. Nam mœstus nomen est.

Porrò è neutris transitiuis quatuor fieri participia, duo actiuæ, quatenus actiua sunt, ut arans, & araturus: duo item passiuæ, quatenus passiuam induunt naturam, ut aratus & arandus. quem fallit? Horum tamen nõnulla præteriti temporis sensum identidem habent agentis. Cic. pro Milone: Adde insciti am pransi, & poti. Ouid. lib. iij. de Fast. Senem potum potatrahebat anus. Plaut. in Amphitr. Nam iniurato scio plus crederet mihi, quàm iurato tibi. Idem in Aul. Superi incœnati sint, & cœnati inferi. Quæ ego potius absoluta existimauerim, quàm transitiua.

Iam communia quatuor gignere, nemini dubium. Quorum pro uerbi natura significationes etiamnum communes esse debuerant. Verum præteriti perfecti participia duntaxat utróq; uersum dicuntur, ut hortatus Pompeium, & hortatus à Pompeio. Reliquorũ partim actiuæ tantum, ut hortans, & hortaturus: partim passiuæ tantum, ut hortandus.

Postremò deponentia, quatenus deponentia, non plura quàm tria ferunt participia. Quorum unum quoduis positum in exemplum, sit satis. Sequor ergo fert sequens, secutus, & secuturus. Excipiuntur, uescor, diuertor, liquor prima producta, medeor, defeti scor, et reminiscor, quæ supinis carẽt. Reor præterea

dat

dat ratus tantum. Faris item uel fare, non nisi fans, et fatus. Verg. vi. Aen. Talia fanti. Nascor uerò nascēs, & natus. Porrò nasciturus participium antiquis illis uisum fuit adeò fugiendum, ut loco eius nonnulli uti potius uoluerint nascendus. Cuiusmodi Aul. Gell. lib. iij. Ad homines quoq; nascendos. Nasciturus tamen semel tantum legi in declamatione Porcij Latronis, Nascituram esse. quo participio deinde Hagiographi passim usitati sunt. Fruor præter fruens non ita duplex futurum, ut præteritum gignit. Fructus nanque, fruitus, & fruiturus dicitur, non autem fructurus. Nitor multo felicius, utrisq; geminatis, nitens, nisus, nixus, nisurus, & nixurus. Caput uerò totius nostræ huius disputationis tam in his, quàm in cæteris omnibus sit, ut authoritas, ususq; optimorum authorum in primis consulatur, obserueturq;. Natura enim dum pleraq; omnia ad calculos exigit, plerunq; imponit.

Participiorum duplicem esse tantum significationem. Caput VII.

OMnino participiorum significationes duæ sunt, actiua & passiua. Magna eorum inscitia, qui totidem tradidêre, quotum uerborum genus. Perinde quasi in participijs significatio idem sit, ac genus in uerbis. Sumuntur quidem (fateor) de uerborũ generibus, sed diuertunt. Etenim participia relicto uerborum genere, ac qualitate, tanquam cortice quodam, uim tantum, hoc est, actiuitatem quandam, passiuitatemq; formando traducunt. Verborum quidem certè omnium (repetam enim) quincuplex genus. At eorum significa-

catio duplex omnino. Nullum est enim uerbum, unde participia proficiscuntur, quod non significationem habeat uel actiuam, uel passiuam. Hanc igitur, relicto uerborum (ut diximus) genere, participia inflectendo trahunt. Quo minus ferendi, qui è deponentibus etiã in passiua significatione deduci uoluerunt. Quod genus Vergilianum illud, Nunc oblita mihi tot carmina. Et Gellianum lib. xviij. Nomine non adepto iam, sed cum spe mox adipiscendo. Non animaduertentes illi quidem, naturæ uerbi repugnare, minimeq; cohærere, ut uerbum sit deponens, & eiusmodi participia gignere possit. Quare id genus participiorũ dicamus non ab obliuiscor, atque adipiscor, quatenus deponentia existunt, proficisci, sed quatenus communia. Quo distinguentes modo, nihil à natura, nihil à recta uerborum significatione desciscemus. Nam participia in dus, atque adeò in tus, sus, & xus in significatione passiua, non fiunt, nisi à uerbis or terminatis, quorum actiua posteriorem accusatiuum patientem regunt.

Vim participiorum in primis obseruandam, qui eis rectè uti uolent. Caput VII.

VTendis ergo rectè participijs, nulla fuerit certior uel ratio, uel norma, quàm ut ea, & sua ipsorum uerba significatione, hoc est, actiuitate, aut passiuitate inter se congruant. Etenim regula illa, Tum participijs licet utamur, ubi relatiuum in recto esse potest: multis modis peccat. Primùm, quia uerborum personalium participijs tantummodo respondet. Siquidem

quo

quo participio usus est Suetonius in Vitellio, Non multo post pœnitens facti. Quo etiam Tacitus libro xv. Epicharis quædam lentitudinis eorum pertæsa, primores illigare connixa est: Ea, & consimilia resoluta non alio in casu relatiuum, quàm in accusatiuo accipere possunt. Deinde, quoniam participia relatiuo non usq; resoluuntur: nimirũ multo pluribus scatentia intellectibus, quàm ut eo semper exponi queãt. Quid, quòd participia è uerbis personalibus, uel plerunq; relatiuo obliquo interpretantur? De quo mox pluribus. Itaq; participijs qui rectè uti uolet, huic nihil magis obseruandum, quàm ut illis cum uerbis significatione conueniat.

Pertæsus transitiuum originem uerbi habere.

Caput VIII.

ATqui pertæsus ignauiam, de quo pollicitus eram, quicquid Seruius, & cum eo iuxtà plerique alij sentiunt, uerbi originem habet. Venitq; à pertædeo, non ut tædium significat, cuiusmodi Gellianum illud lib. i. Verbis eius defatigati pertæduissent: id est, maximo tædio affecti fuissent. sed ut odium quoddam, ac detestationem ostẽdit. Nam tædio quæ nos afficiunt, ea odisse, ac detestari solemus. Exemplumq; adeò Senecæ lib. i. de Ira, nobis in loco succurrit. Ira, inquit, ea tædet, quæ inuasit. Quid est, ea tædet, nisi odio habet, detestatur? Quamobrem pertæsus transitiuum, idem omnino quod perosus adsignificet, necesse est. Suetonius in Augusto: Cum hac diuortium fecit, pertæsus morum peruersitatem eius. Idem in Tyberio:

Semet ipse pertæsus. Tacit. lib. xvi. Antistius Anteius tarditatem ueneni perosus, interciſsis uenis mortem approperauit.

Quando participijs ſeptimo in caſu abſolutis utendum ſit, & quando non. Caput IX.

Participijs autem ſeptimo in caſu abſolutis tum utemur, cum alia ſuppoſita ſecundarijs uerbis, alia principalibus contigerint. Quod genus Vergilianum illud, Conſcendi nauibus æquor, Matre dea monſtrante uiam. Ecce hic tibi aliud ſuppoſitū eſt Aeneas, qui conſcendit: aliud Venus, quæ monſtrabat. Quæ clauſularum diſſociatio, ubi uidelicet ſingula uerba ſuum quodq; ſuppoſitum agnoſcunt, quoties fit, tum ſeptimo in caſu abſolutis ſemper utamur, oportet. At ſi utriſque unum atque idem ſuppoſitum obtigerit, tum participia eo in caſu conſtituantur, in quo ſuppoſitū ipſius uerbi principalis, neceſſe eſt. Secundaria nanq; uerba participijs tantum efferuntur. Cuiuſmodi Ciceronianū illud, Iens in Pompeianū bene mane ſcripſi hæc. Hic porrò quoniam unum atque idem utriuſque uerbi ſuppoſitū Cicero eſt, uides, ut participium ſuppoſito uerbi principalis reſpondet? Huc ſpectat & Plinianum illud lib. vij. Miſeret, atq; etiam pudet æſtimantem, quàm ſit friuola animalium ſuperbiſſimi origo. Eodem modo fit, ſi à tergo, aut ulteriore parte principalium, aut etiam ſecundariorū pependerint. Quandoquidem à quibuſcunque, ſiue à nomine, ſiue à uerbo dependeant, cum eis perpetuò cōuenire, tam certum eſt, quàm quod certiſsimum. Soluta uerò, ac diſſociata

dissociata septimo in casu absoluta ponantur, oportet. Non iuerim tamen inficias, *præstantissimos authores interdum contrà, atq; ipsi præcepimus, feciſſe.* Ceu cum Lucanus lib. iij. *Excludiq; sinas admisso Cæsare bellum.* Et Plinius lib. ij. *Fit & sanguinea specie, quó nihil terribilius mortalium timori est, incẽdium ad terras cadens inde.* Quando & illi iuxta præscriptum dicendum fuisset, *Tu Cæsar admissus sinas.* Et huic: *Incendio inde ad terras cadente.* Sed hæc ut per quàm rara, *sic minimè usurpanda.*

Quot, & quibus modis participia exponantur: quamq; multiplex eorum significatio.

Caput X.

NVnc quot, & quibus modis participia interpretentur, quàm multiplex eorum intellectus, quæ quibus expositio conueniat, quàm uerissimè potero, absoluam. Res admodum grauis, arduaq;, uerum studiosis cognitu oppido quàm utilis, ac necessaria. Illud admoneo, nihil nos hic tam definitè præcepturos, quin suum cuiq; ius, regulam quanque & restringendi & ampliandi relictum uelimus, dum id ex usu optimorum scriptorum, atq; authoritate faciat. Nam in re tam ampla, ac modò non infinita, haud mirum, si quid nos fugerit. Est igitur primũ, ubi participia, nempe in ans, uel in ens, & copulam & uerbum comprehendunt. Nam de præteritis ac futuris adhuc exemplum requiro. Terent. in Andr. Sed postquàm amans acceſsit, precium pollicens, Vnus & item alter, accepit conditionem. Idem in Eun. Vltro ad eam uenies,

tegere anxius erat, conabatur. Et libro ix. Nec nos uia fallit eunteis. id est, nos satagentes, aut molientes ire.

Est, cum in rus, aut in dus finita, rem fuisse futuram ostendunt. Et tunc per relatiuum, ac præteritum plus quàm perfectum coniunctiui usq; exponuntur. Sen. Epist. xix. Ingeniosus ille uir fuit, magnum eloquētiæ Romanæ daturus exemplum, nisi eneruasset felicitas. id est, qui dedisset. Plin. Cæcil. lib. Epist. iij. Librū, quo nuper optimo principi cōsul gratias egi misi exigenti tibi: missurus etiam, si non exegisses. id est, qui misissem, uel potius, quem misissem. De participio in dus exemplum, condentibus hæc nobis in promptu non erat. Quare id doctioribus apponendum relinquo. Neque enim unquam id nobis usui fore putaueramus.

Est, cum facta nostra sub certis temporalibus signis determinant. Nimirum præsentis, uel præteriti perfecti. Aliàs nota temporis inclusa. Fabius lib. xi. Præcipi illud scio, ne ambulantes auertamur à iudicibus. id est, ne dum ambulamus. Cic. ad Q. Frat. Cœnatus, in hortos ad Pompeium lectica latus sum. id est, ubi, uel ut, uel cum, uel postquàm cœnaui. Aliàs extrinsecus adhibita. Suet. in Cæsare: Cum quidem plerisq; uilitatem mirātibus, facetissimè Cicero, quo melius, inquit, emptum sciatis, Tertia deducta est. id est, cum plerique mirarentur. Plin. lib. vij. Torannius postquàm sermone puerūm detecta fraude, à furente Antonio increpitus est. id est, postquàm fraus detecta fuit. Tacitus li-

bro i. Postquàm Bruto & Cassio cæsis, nulla iam publica arma.

Est, cum in ans, uel in ens, atq; adeò in rus futuri, eadem temporis nota comprehensa, uoluntatem quandam, apparatumq; significant. Cic. pro P. Quintio: Alpheno tu rem tuam in Galliam proficiscens, concredere solebas. id est, cum uelles, aut in animo haberes proficisci. Idem ad Cæliũ: De prouincia decedēs, quæstorem Cœlium præposui prouinciæ. id est, decedere uolens. Plin. lib. vi. Dionysium ad commentanda omnia in orientem præmisit Augustus, ituro in Armeniam minore filio. id est, cum uellet ire. Idem lib. viij. Elephantes amnem transituri, minimos præmittunt. id est, cum transire uolunt.

Est, cum notam si includunt: nempe præsentis, uel præteriti perfecti. Cic. lib. i. de Legib. Putant, te historiam tractante, ut in hoc etiam genere Græciæ nihil cedamus. id est, si tu tractaueris. Plin. lib. xvij. Magis fruuntur aquis fata, non statim auferente eas sole. id est, si sol non auferat. Et libro xx. Anisum singultus decoctum, potumq; inhibet. id est, si decoquatur, poteturq;.

Est, cum eadem propositæ rei causſam, rationemq; afferunt. Colum. lib. iij. Quam regionem spectare debeant uineæ, uetus dissensio est: Saserna maximè pro bante solis ortum, Tremellio præcipuam positionem meridianam censente, Vergilio occasum repudiante. Democrito & Magone laudantibus cœli plagam septentrionalem. id est, propterea quod Saserna maximè pro-

mè probat,&c. Plin.lib.iij. Locorum nuda nomina ponentur, claritate, cauſsisq; dilatis in ſuas partes. *id eſt, quoniam dilatæ ſunt. Idem lib.xiiij.* Nec Orthampelos indiget arbore, ipſa ſe ſuſtinens. *id eſt, cum ipſa ſe ſuſtineat. Et lib.xxiiij.* Ne ſyluæ quidem medicinis carent, ſacra illa parente rerum omnium nuſquã non remedia diſponente homini.

Eſt, *cum in ans, uel in ens modum neſcio quem cum ratione præſcribunt. Cic.lib.i.de Off.* Bellua ad id ſolum, quod adeſt, quodq; præſens eſt, ſe accommodat, paulum admodum ſentiens præteritum, aut futurum. *id eſt, ita ut paulum admodum ſentiat. Plinius lib.xij.* Malus Aſsyria omnibus horis pomifera eſt, alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs ſubnaſcentibus. *id eſt, ita ut alia cadant, alia matureſcant, alia ſubnaſcantur. Idem libro xxxiiij.* Ferrum uires à magnete accipit, retinetq; longo tempore, aliud apprehendens ferrum.

Eſt, *cum eadem adiunctiuam reſoluendo tantum accipiunt. Cic.lib.i.de Off.* Equidem illud etiam animaduerto, quòd qui proprio nomine perdu&llis eſſet, is hoſtis uocaretur, lenitate uerbi triſtitiam rei mitigante. *id eſt, ut lenitas uerbi triſtitiam rei mitigaret.*

Eſt, *cum in rus terminata expromptũ, offirmatumq; animum ad aliquid peragendum præ ſe ferunt. Cic. ad Q.Frat.* Ego Vatinium aderam defenſurus. *id eſt, eo animo ac deliberatione, ut defenderem. Liu.lib.x.* Senones Galli ad Cluſium uenerunt, legionem Romanã oppugnaturi. *Plinius lib.xxxiiij.* Mummius exceſsit

non relicturus filiæ dotem.

Est, *cum & præsentis & futuri solam causſam indicant propter quam. Quibus tum cum gerundijs ac supinis eadem significatio quoquo modo communis est. Simul actiua. Tacit. lib. xij. Misêre legatos ueniã liberis corporibus orantes. id est, qui orarent. Et lib. ij. Misit legatos ad Tyberium oraturos auxilia. id est, qui orarẽt. In quorum uicem uel oratum, uel ad orandum æquè Latinè dixisset. Id quod de omnibus etiamnum alijs uerbis motum ad locum significãtibus præceptum uolumus. Simul paßiua. Horatius lib. i. Serm. Sed puerum est ausus Romam portare docendum Artes. id est, ut doceretur artes. Ouidius lib. iij. de Arte: Non mihi ueniſtis Semele, Ledeq; docendæ. id est, quæ doceremini. Et pòst paulo: Turba docẽda uenit. id est, ut doceatur.*

Est, *cum præsentis nihil aliud significant, quàm quod ipsum gerundium. Cic. in Philipp. In Tyburtino Scipionis declamitauit sitim quærens. id est, causſa quærendi sitim. Plin. Cæcil. lib. Epist. viij. Hæc uelim credas scripsisse me admonentem, non præcipientem. id est, admonendi, non præcipiendi gratia. Aul. Gell. lib. xv. Euripidis poëtæ matrem Theopompus agrestia holera uendentem, uictum quæsisse dicit. id est, uendendis holeribus, aut holera uendendo.*

Est, *cum loci significationem habent. Plin. lib. iiij. Armenia maior longitudinem ad minorem usq; Armeniam pandit, Absaro in pontum defluente. id est, ubi Absarus in pontum defluit. Et lib. v. Nilus origi-*

nem

nem nõ procul Oceano habet, lacu protinus stagnante. id est, ubi lacus ilico stagnat.

Est, cum & præsentis, & præteriti perfecti aduersatiuas coniunctiones accipiunt. Iam intrinsecus. Plinius libro viij. Canis specie delectatus Alexander iussit ursos emitti, contemptu immobili iacente. id est, sed canem ob contemptum immobilem iacuisse. Et libro ix. Echenêis fluxus grauidarum utero sistens, in cibos tamen non admittitur. id est, quamuis sistat. Iam forinsecus. Quo tum modo participia solo uerbo interpretantur. Colum. lib. iij. Homines quosdam non posse generare, quamuis omnium membrorum numero constante, manifestum est. Suet. in Cæsare: Et quanquam obsidione Maßiliæ, summaq; frumentariæ rei penuria retardante, breui tamen omnia subegit. Plin. lib. xvi. Ciuicis coronis cedunt aureæ, quanquam precio antecedentes. Idem lib. xxvi. Plura undiq; acerua bimus, quanquam non paucis iam demonstratis. Et lib. xxix. Non præteribo miraculum, quanquam ad medicinam non pertinens. Quæ omnia (ut dixi) solo uerbo interpretantur.

Est postremò, cum eadem nullo alio nec extrinsecus nec intrinsecus adhibito, sed suismet ipsis uerbis tantum exponuntur. Aliàs per modum finitum. Plin. lib. viij. Cœlium senatorem ab armatis oppressum canis defendit, nec prius ille uulneratus est, quàm cane interempto. id est, quàm canis interemptus fuit. Et libro xxix. Quo deorum perfidiam istam monstrantes? id est, quis monstrauit? Et lib. xxxvi. Secum quisque cogitet,

cogitet, quas ad uoluptates ista faciant, nisi ut inter maculas lapidum iaceant. Ceu uerò non tenebris noctium dimidiæ parti uitæ cuiusq; gaudia hæc auferentibus. id est, Ceu uerò tenebræ noctium non auferant hæc gaudia. Aliàs per infinitum. Cicero lib. i. de Off. Quapropter & his forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio doctrinæ sese dediderunt. id est, non capessere. Plin. lib. ix. Vates respondere, Neptunũ patrem adoptantem eum sibi, Sex. Pompeio repudiato. id est, Neptunum adoptasse eum, & Sex. Pompeium repudiasse. Rursus: Torpedo octogenos fœtus habens inuenitur. pro habere. Et lib. xxxi. Mutianus asserit Andriæ fonte Liberi patris uinum fluere, si auferatur à conspectu templi, sapore in aquam transeunte. id est, saporẽ in aquam transire. Plin. Cæcil. lib. Epist. viij. Primum est, suo esse contentum: deinde, quos præcipuè scias indigere, sustentãtem, fouentemq;. id est, sustentare, foueréq;. Atq; de resolutione, intellectuq; participiorũ hæc iam abunde multa. Quanquam (uti iam dictum) preßius, subtiliusq; rimantes, credo longè plura ac meliora inuenturos. Nos hæc attulimus, non quo ad liquidum omnia prosecuturos spes foret, sed quo bonis iuuenibus interim quod datũ est, nõ inuideremus.

Participijs in ans, uel in ens de præterito perfecto, & plus quàm perfecto licere uti.

Caput XI.

His ergo ita constitutis, quæ natura, quæq; ratio ipsa participiorum tulit, deinceps ex authoritate, usuq;

usuq; procerum latinitatis, quatuor tutissima quasi asyla mihi studiosos, quò perfugiant, quoties germanus ipsorum usus minimè succurrerit, docendum est. Ac primum, non mihi amplius uereantur participijs in ans, uel in ens de præterito perfecto, atq; adeò plus quàm perfecto, ubiubi usus fuerit, arbitratu suo usitari. In quo simul etiam apparet nostratium Grammaticorum socordia: qui dum Priscianisapientiam, Laurentij acumen attoniti suspiciunt, nihil prætereaquærendum putant. Perinde quasi aut huic arti colophonem ipsi imposuerint: aut ignorari necesse sit, quicquid illi non tradiderint. O stupida pectora. Neque tamen clàm me est, Laurentium nonnihil ante me de hoc præcepisse: sed ita, ut per caliginem intuitus locum uideatur. Quapropter fontem ueritatis iam latius ipsi aperiamus. Quod dum facimus, neminem obsecro pigeat, uniuersa quæ subscripsimus exempla percurrere. Plaut. in Amph. Amphitryo cum uxore modo ex hostibus aduenies, uoluptatem capit. An fortè Amphitryo uoluptatem in uia cum uxore capiebat, dum reuerteretur? Minimè omnium. Igitur postquàm aduênit, Terent. in Phorm. Offendi aduenies, qui cum uolebam, collocatam filiam. id est, postquàm aduêni. Nimirum ea figura, qua idem ipse in Hecyra: Postquàm introij, extemplò eius morbum cognoui miser. Liu. lib. x. Diem ad proficiscendum nuncius habuit, nocte redijt, approbare collegam consulta referens. id est, & retulit. Plin. lib. xxi. Cleopatra Antonium inde eductum è custodia bibere iussit ilico expi-

expirantem. id est, qui statim expirauit. Valer. Max. lib. v. C. Marius duas Camertium cohortes mira uirtute uim Cimbrorum sustinentes ciuitate donauit. id est, quæ sustinuerant. Quid, cum Cicero pro Q. Ligario: A Cæsare C. Pansa mihi nuncium perferente, concessos fasces laureatos tenui, quo ad tenendos putaui. Nónne exponendũ, cùm Caius Pansa mihi nuncium pertulisset? Adhæc pro reditu suo: En ego tanto studio bonorum omnium, agente P. Lentulo, consentientibus cæteris magistratibus, deprecante Gn. Pompeio, omnibus fauentibus, dijs immortalibus reditum meum comprobantibus, restitutus. Quid ni omnia hæc eodem modo? Neq; enim Cicero dum hæc agerentur, domum redijt: sed nimirum ubi P. Lentulus consul egisset, & quæ consequuntur. Iam Suet. in Cæsare: Denunciante Pompeio pro hostibus se habiturum, qui Reipublicæ defuissent, Cæsar medios sibi futuros pronunciauit. Quis nõ interpretetur, cum, uel postquàm denunciasset? Super hæc Plin. lib. viij. Tũc apri inter se dimicant, indurantes attritu arborum costas. Num dimicando indurant? Nihil minus: sed ubi indurauerunt, tunc dimicant. & lib. xxxiiij. Demetrio Athenis ccclx statuas statuêre, quas mox lacerauerunt, nondum anno hunc numerum dierum excedente. id est, cùm nondum excessisset. Agè, cum Cicero pro Milone: Qu'd ea, quæ tenetis priuata, dominãte homine furioso, quod ius perpetuæ possessionis habere potuissent? Quæso, quis aliter exponat, atque si dominatus fuisset homo furiosus? Ciceroni subscribit

Martialis,

Martialis, & libro vij.

Te fingente nefas, Pyladen odisset Orestes,
Thesea Pirithoi destituisset amor. Et lib. x.

Vil or hæc nobis, alio mittente, fuisset.

Quorum utrunq; resoluitur, si tu finxisses, si alius misisset. Iam uerò Liuius lib. x. Piget incertum ponere, cum ea ipsa inter consules eodem honore fungentes disceptatio fuerit. Appio abnuente missas, Volumnio affirmante se literis accitum. Et Colum. lib. v. Neq; inficior aliqua me præterisse, quamuis inquirentem sedulò, quæ ueteres literarũ monumentis prodiderunt. Cur ille non exponatur: propterea, quòd Appius abnuerit, Volumnius affirmauerit? hic uerò, quamuis inquisiuerim? Huc spectat & Plinianũ illud lib. xxxv. Fuit & Arellius Romæ celebris, nisi flagitio insigni artem corrupisset, semper alicuius amore fœminæ flagrans, et ob id deas pingens. id est, Quia semper amore alicuius fœminæ flagrauerit, et deas pinxerit. Rursus lib. xxx. Mirum hoc in primis duraſſe memoriã, artemq; tam longo æuo, commentarijs non interciderentibus. id est, ita ut commẽtaria non interciderint. Huc Ciceronianũ etiam illud ad Cœlium: Quod cum ita esset, nihil tamen unquam de profectione, nisi uobis approbantibus, cogitaui. id est, nisi uos approbauissetis. Huc confluunt plurima alia, quæ breuitatis causſa omitto. Quare affatim exemplorũ iam sit acer uatum. Atq; adeò hæc tam expressa, tamq; illustria, quibus fidem non statim plenißimam efficiunt, participijs in ans, uel in ens de præterito perfecto, & plus

quàm

quàm perfectò licerè usitari, de eorum ingenijs sanè conclamatum esto.

Participijs in ans, uel in ens de futuro usitari licere. Caput XII.

QVi tanta est huiusmodi participiorum significandi latitudo, ut non modò in præteritũ perfectum, ac plus quàm perfectũ, id quod incredibile factu erat, uerumetiam in futurum tempus, uti maximè certis, ac minimè titubantibus testimonijs iamiam comprobabimus, ius suum, imperiumq; prolatarint: prorsus, ut nullum iam tempus non describant. En optimus testis Plaut. in Bacch. Credo, hercle aduenies nomen mutabit mihi. id est, cum aduenerit. En Cic. ad Balbũ: Nec dubito, quin te legente has literas, confecta iam res futura sit. id est, cum tu leges has literas. Prorsus, ut quod idem ad Cœlium: Cum tu hæc leges, ego iam annuum munus confecerot. Aequè Latinè, hæc te legente, dixisset. En Fabius lib. iij. Et Caio Cæsari suadentes regnum, affirmabimus stare iam Rempublicã nisi uno regnante, non posse. id est, cum suadebimus, nisi unus regnauerit. En Plin. Cæcil. in Paneg. Accipiet aliquando capitolium, imperatore ueram ac soli dam gloriam reportante, tranquillitatem. id est, cum reportabit. En Verg. v. Aen. Socium coniunge uolentem. id est, non qui iam uult, ut exponit Seruius, sed qui uolet. En rursus Cic. lib. i. de Offic. His rebus, quæ tractantur in uita, modum quendam adhibentes, honestatem conseruabimus. id est, si adhibebimus. Quem imitatus Ioannes Pontanus libro i. de Obedient. Quæ

præcepta

præcepta seruantes, & intra præscriptum obedictiæ persistentes, nimirum temperati erimus. id est, si seruabimus, si persistemus. En deniq; Plinius cùm alibi compluries, tum uerò & libro xix. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo, oue, cum comederit, dormiente, capra sternutante. id est, si ouis dormiet, capra sternutabit. Et libro xxxiij. De quibus dicemus, illorum naturam reddentes. id est, ubi reddemus. Sed ego ineptus, ut qui pluribus aggerendis immorer. Perinde quasi alterũ, tertium, quartum ex his non satis, ac super esse potuissent. Ergo perspicuum iam sit, participia in ans, uel in ens, de omni tempore usurpari.

Participijs in tus, uel in sus, uel in xus de præsenti licere usitari. Caput XIII.

NEque uerò minus prudenter authores super participijs in tus, uel in xus, uel in sus latinitati consuluere. Quippe qui cum scirent participia è uerbis passiuis præsentia apud nos omnino desiderari, his'que ipsis Latinam linguam undecunque defectam, arbitrario quodam, honorarioq; iure suo fecere, ut ijsdem ipsis æquè de præsenti, ut de præteri to usitari liceret. Plinius libro ij. Lacus ad margines plenus, neq; exhaustis aquis minuitur, neque infusis augetur. id est, neque si aquæ exhauriãtur, minuitur: neq; si infundantur, augetur. Idem libro xx. Anisum strangulationes uuluæ, si manducetur, sedat. Quod ait, si manducetur, dicere potuisset, manducatum. Vt mox: Portulaca aliàs manducata refrigerat inte-

ſtina. id eſt, ſi manducetur. Vergilius libro primo Georgicôn:

Quàm quibus in patriam uentoſa per æquora uectis,
Pontus, & oſtriferi fauces tentantur Abydi. Vectis, id eſt, qui uehuntur. Et lib. ix. Aen.

Quæſitum aut matri multis balatibus agnum,
Martius à ſtabulis rapuit lupus. Quæſitum, id eſt, qui quæritur. Et lib. x. Inſula inexhauſtis Chalybum generoſa metallis. id eſt, quæ nunquam exhauriuntur. Et lib. i. Aen. Et qua uectus Abas. id eſt, qua uehebatur. Et lib. ij. Vimq; addere uictis. id eſt, qui uincebantur. Et lib. viij. Magnis Circenſibus actis. id eſt, cum agerentur.

Participijs, etiam ſi relatiuum in recto eſſe non poteſt, licere uti. Cap. XIIII.

QVartum autem perfugium, hui quantam utendis participijs non feneſtram, ſed ianuam aperit? Irroborauit, ſcio, conſtans omnium Grammatiſtarum opinio, tum participijs minimè uti licere, ubi relatiuum in recto eſſe non poteſt. Quibus quidem ipſa uerborum natura, ſignificationumq; rectitudo in primis fauet. Sed homines acutiſſimi non peruiderunt, alia præcepta ſecundum uſum, alia ſecundum naturam eſſe tradenda. Excellentioremq; multo, ac potiorem eſſe uiam præcipiendi, quam Vſus ſermonis rex, atque eam, quam tetrica Natura commonſtrat. Itaque ſi inculpabile, optimumq; dicẽdi genus authoritate, uſuq; in primis conſtat, Quem penes (ut grauiſſime Flaccus) arbitrium eſt, & ius, & norma loquẽdi: cur obſe

cro,

cro, apud nos obseruatu cultuq; posteriora sint, quæ utilitate ac dignitate priora existunt? Natura quidē, ratioq;, in Grammaticis haud parui faciunda: sed sic, ut ancillas tamen, non dominas agnoscamus. Impie, nedum iniquè fecerimus, si quod optimum est, seruire cogamus. Quin igitur primas diligentiæ nostræ partes, quæ summa sunt, sibi uendicent. Quodq; adeò Regina dicendi consuetudo, authoritasq; præscribit, iam plusculis exemplis ostendamus, participijs licere uti, uel si relatiuum in recto esse non potest. Cic. ad A. Cæcinnam: Quo in bello nihil aduersi accidit, non prædicente me. Quid est hoc, nisi quòd eo in bello nihil accidit, quod ipse non prædixerim? Cernin' relatiuum in obliquo? Plin. lib. v. Pisa oppidum, præfluente Alpheo amne. Et lib. vi. Adiabenis connectuntur Gordiæni, præfluente Tigri. Quod ipsum rotundū, ac pulcherrimum dicendi genus (quasi diuinaret hoc nobis aliquando usui futuram) ne quis aliter, atque ipse intellexit, exponendo temeraret, suo ipsius præclaro interpretamento, cùm alibi, tum lib. v. declarauit: In ea Pergamum, quod intermeat Silenus. tum uerò apertissimè lib. vi. Cappadocia intus habet Archelaidem, quam præfluit Halys. Quæ ipsa per participium quid ni, ut illa, intermeante Sileno, præfluente Haly? Huc pertinent eiusdem alia prope innumera. Nemo est enim omnium, qui participijs quà frequentius, quà elegantius hoc eminentissimo authore usus sit. Vt cum lib. viij. Argumētum erat ramus, porrigente homine, clementer acceptus. Et lib. xiiij. Vina non

carent gloria Coſentiæ nata, antecedentibus Thurinis. Rurſus: Inerticulam è nigris appellauere, iuſtius ſobriam dicturi. Iterum: Conſeminia nigra, uino minime durante. Et lib. xxxv. Achillem pinxit, Vlyſſe deprehendente. Et mox: Pinxit & ſacerdotem, aſtante puero cum acerra, & corona. Quæ omnia, quid eſt per deum immortalem, cur ſic non interpretentur: Quem homo porrexiſſet: Quibus tamen Thurina antecedunt: Quam iuſtius ſobriã dixiſſent: Cuius uinum minime durat: Quem Vlyſſes deprehendit: Cui puer aſtabat? Non abhorret, quod item lib. vij. Precium hominis in ſeruitio geniti maximum fuit Grammaticæ artis Daphnidis, Gn. Piſaurenſe uendente, & M. Scauro, iij. M. D. CC. ſeſtertijs licente. Quodq; mox: Sed hoc precium libidinis fuit, non formæ ſpadonis, Seiano III. M. D. mercante à Sutorio Priſco. Quodq; libro x i. Cedrum maximè æternam putant, claro indicio in templo Epheſiæ Dianæ, utpote tota Aſia extruente. Huc tendit & Ouidianum illud: Contempta eſt uirtus, Pallade dante mihi. Quapropter cum tam optimos in hoc dicendi genere magiſtros habeamus, ut quid friuolis ac ſuperſtitioſis Grammatiſtarum regulis ipſi nos perinde addicimus? Furor eſt, furor, non amplecti, quod tam excellentes, & conſummati eloquentiæ duces imitandum nobis proponunt. Quanquam omnia moderatè, & cum delectu fieri uelim. Neque enim hæc eò dicuntur, quòd naturam, rationemq; quoquo modo repudiandam cenſeam: ſed ne, dum ei obſtinatè nimis inhæremus, heroicam ſcriptorum

rum authoritatem, quam undecunque sacrosanctam esse par est, eleuemus.

Obseruata in participijs. Caput XV.

PRæsente nobis, absente nobis, præsente legatis, cuiusmodicunq; genus dicendi est, non equidem inter obseruata imitatu digna reposuerim. Quibus si qui tamen uoluerint uti, non eis exempla procul quærenda erũt. Plaut. in Amph. Nec nobis præsente aliquis, nisi seruus Africanus adest. Terentius in Eun. Nescio quid absente nobis turbatum est domi. Varro ad Marcellũ: Id præsente legatis omnibus exercitui pronunciat. At uoluens, qui uoluitur: uolutãs, qui uolutatur: quassans, qui quassatur: præcipitans, qui præcipitatur: tondens, qui tondetur: uehens, qui uehitur: & si qua sunt huiusmodi, qua modestia Plautus, Varro, Vergilius, Aul. Gellius, ac cæteri nobilißimi authores usi sunt, eadem et studiosos uti uelim. Iam cautus, qui cauet: consideratus, qui cõsiderat: circunspectus, qui circunspicit: falsus, qui fallit: tacitus, qui tacet, & alia id genus, è uerbis paßiuis participia, si tamẽ participia sunt, princeps sermonis usus inter usurpata iam recepit. Hinc nonnulli uel participia paßiua uerbo oportet applicita, haud uerentur actiuè itidem accipere. Quod genus Plautinum illud in Ciſtell. Non missam oportuit. id est, mississe. Et Terentianum in Heaut. Non oportuit relictas. pro reliquisse. Rationẽ afferunt, quòd eadem cum opus est coniuncta etiamnũ actiuè interpretẽtur. Ceu cum Sallustius in Cat. Nam & prius quàm incipias, consulto: et ubi consulueris,

maturè facto opus est. &, Tantùmodo incœpto opus est. Quæ omnia sic exponunt, consulere, facere, incipere. Sed hæc & consimilia an sint participia, mihi non satis liquet: primum natura nonnihil repugnante: deinde, quia accusatiuum etiam regere uidentur. Cuiusmodi Plautinum illud in Amph. Opus est mihi istud exquisito. Quodq; Terent. in And. Quod parato opus est, para. Quodq; A. Gellius lib. xv. Illud ambigi scio, debeat'ne iudex, inter cognoscẽdum, ea quæ dicto quæsitoq; opus est, dicere & quærere. Quibus exemplis nolim tamen quisquã mihi dicat, Mihi opus est amicos allocuto, Pompeium conuento: sed, amicis allocutis, Pompeio conuento. Plaut. in Curc. Illis conuentis sanè opus est mihi. Rursus: Celeriter mihi hoc homine conuento opus est. Cic. ad Att. lib. x. Sed opus fuit Hircio conuento. Casum tamen cum præpositione his apponere nihil prohibet. Terent. in Hecyra: In arcem transcurso opus est. Passiuã interdum habere significationem, locupletissimus testis est Liuius libro x. Imperat, quod apud quenq; facto opus est. id est, quod à quoq; fieri opus est. Sunt alioqui huius formæ septimo item in casu absoluta, uerum undiq; libera, atq; impromiscua, quibus imperfonalem quendam in modum utroq; uersum, hoc est, actiuè & passiuè lucu lentissimi authorum utuntur. Quæ participia sint, nécne, equidem adhuc hæsito. Tacit. lib. i. Romæ nondum cognito, qui fuisset exitus in Illyrico, trepida ciuitas increpare Tyberium. id est, cum nondum cognitum esset. Idem lib. ij. Germanicus nondum comperto, pro-

to, profectionem eam incusari, Nilo *subuehebatur. id est, cum nondum comperisset. Et libro iij. Cæsar ob bellum prouinciæ illatum, senatus nunquam satis credito, sine fraude Germanicum interisse, scripsissent. id est, quia nunquam satis credidisset. Et lib. xi. Nunciatum Claudio, perisse Messallinam, non distincto, sua ne, an aliena manu. id est, sed sic, ut distinctum nõ fuerit. Et libro xij. Gorsines diu pensitato, Mithridatis ne rebus extremis, an patrio regno consuleret, ad effigiem Cæsaris procubuit. id est, ubi, uel postquàm diu pensitasset. Quem in modum ac sensum usurpantur & disceptato, & reperto, & tractato, & uiso, & audito, & scripto, & expectato, atq; alia id genus permulta, quæ (ut dixi) uim quandam sapiunt impersonalem: atq; iccirco ponuntur absoluta, hoc est, nullis neq; numeris neq; generibus seruiẽtia. Quid, quòd participijs præteritis è uerbis passiuis, septimo in casu absolutis, etiam actiua in significatione utamur licet? Corn. Tacit. lib. xv. Vologesis cognitis Corbulonis rebus, regemq; alienigenam Armeniæ impositum, diuersas ad res trahebatur. id est, ubi cognouisset res Corbulonis, regemq;. Plin. lib. vij. Cato Censorius audito Carneade, quàm primum eos legatos censuit dimittendos. id est, cum audisset Carneadem. Prorsus, ut quod idem alibi dixit,* Apri tunc inter se dimicant, *indurantes attritu arborum costas: &,* Pauo intermittens binos dies, ternos ue, parit. *Nimirum inuerso dicendi modo, significatione tamen eadem permanente, potuisset:* Apri tunc inter se dimicant, attritu ar-

borum costis induratis: &, Pauo intermißis binis diebus, ternis ue, parit.

De participialibus. Caput XVI.

HActenus de participijs, quæ natura, quæq; scripto rum authoritas, ususq; præscribit, satis à me disputatum puto. Nunc participialia nobis attingenda. Eorum triplex natura. Alia ornatum quendam, habitumq; significãt. Cuiusmodi pileatus, tunicatus, annulatus, manicatus, & alia id genus sexcẽtá. Quæ quòd à nomine proficiscuntur, & casus uerborum, quod faciunt participia (neque enim possunt) minimè regunt, propterea nonnulli denominatiua nuncupauere. Ea nos inter participialia, non parua his cum participijs intercedente affinitate, reposuimus. Alia sunt ab antedictis lõge dißimilia, quorum nullæ neq; à nomine, neq; à uerbo extant radices, participijs tamen ipsis quàm proximè accedentia. Quæ indicasse magis, quàm docuisse libitum fuit. Qualia, fretus, præditus, prægnans. Supereſt tertium participialiũ genus, de quo hic nobis breuiter explicandum. Quæ quòd deposita uerbi natura, formam tamen, terminationemq; semper, ac significationem participiorum ferè sibi retineant, atq; è participijs quidem ipsis in nomina transeant, meritò participialia fuere nobis appellanda. Ea quoniam uel compositione, uel comparatione, uel mutatione significati, uel constructione, uel temporis amißione, creditum eſt uulgò in nomina remigrare, sanè quid unumquodq; istorum per se ualeat, singillatim aperiendum eſt. Sic enim & ueritas

ritas ipsa longè melius innoteſcet, & quantis in tenebris Grammatiſtæ uerſentur, liquidò apparebit.

Compoſitione per ſe, praticipia non fieri nomina. Caput XVII.

QVicquid autem Priſcianus, & cum eo plurimi triuialium ſomniant, figura participiorum aut eſt ſimplex, ut amans: aut compoſita, ut peramans. Nulla decompoſita eſt. Omnis quippe dictio aut conſtat ex partibus minimè ſignificatiuis, et ſimplex dicitur: aut ſignificatiuis, & compoſita nuncupatur. Nihil tertium eſt. Sed neq; ſpecies in his quicquam refert. Quoniam ſiue primogeniæ ſint dictiones, ſiue deriuatæ, alterutrum ſint neceſſe eſt. Quòd ſi primitiua alterius ſchematis cenſenda ſunt, cur id non fiat etiam in ſimplicibus? Vel quatuor igitur figuræ dicendæ ſunt, uel tua iſta ratio Priſciane exibilãda. Quòd autem mordicus tenes, participia non componi per ſe, hoc cuiuſmodi ſit, amábo te, uideamus. Vel tu iſtuc accipis, ut non componantur, niſi prius compoſito uerbo. Vel certè, niſi cum his dictionibus, quibus cum & ſua ipſorum uerba. Alioqui in nomina neceſſario trãſire. Vtrocunq; ratio iſta tua utrobiq; fathiſcens maximum uitium facit. Primum quid prohibet, quo minus participia componantur per ſe, uel prius non compoſito uerbo? Nihil prorſus. Deinde uel per ſe compoſita, ſtante uerbi natura, quidni, uelis nolis, participia exiſtant? An cum Terent. in And. Feci hodie ut fierent, inſperante hoc, atq; inuito Pamphilo. Et Horat. iij. Carm. Dicam inſigne recens, adhuc in-

dictum ore alio. Et Tacit. lib. v. Nobis pleraque occurrunt ab alijs incelebrata. Et Aul. Gell. lib. ix. Homo sanè pleraq; alia non indoctus. Et M. Cato apud eundem lib. xiij. Decem hominibus uitam eripis indicta causſa, iniudicatis, indemnatis. Nõ participijs uſi ſunt? Quid eſt enim, inſperante hoc Păphilo, niſi, cum hanc rem minimè ſperaret Pamphilus? Quid porrò, indictum ore alio, niſi, non dictum ab alio? Reliqua quæ conſequuntur, itidem perſpicua ſunt. Et nemo tamen authorum dicit, inſpero, pro non ſpero: nec indico, pro non dico: nec incelebro, indoceo, iniudico, indemno, pro non celebro, non doceo, non iudico, non damno. Atq; his omnibus uiden' Priſciane, ut tua iſta ratio tota falſa eſt? Quare perſuaſum iam ſit, & duas tantum eſſe figuras, ſimplicem & compoſitã: & compoſitionẽ per ſe nõ transferre participia in nomina.

Comparatione participia non fieri nomina.

Caput XVIII.

NEc fortior eſt comparatio. Quod enim circunfertur, participia formandis inde comparatiuis ac ſuperlatiuis nomina fieri, ratio eſt in primis deridicula. Neq; enim participia ideo fiunt nomina, quia inde formentur comparatiua & ſuperlatiua: ſed contrà, ideo illa ipſa inde formantur, quòd ea iam facta ſint nomina. Dicimus enim, amans uirtutis, & amans uirtutem. illud nomen, hoc participium. Sed illud iam nomen eſt, nullo etiamnum inde formato uel comparatiuo uel ſuperlatiuo. Plaut. in Aſin. Ego meum uirum ſui rata amantẽ uxoris. Cic. lib. ij. de Nat. deor. Canũ

tam

tam fida custodia, tam amans dominorum. Cuiusmodi alia complura apud optimos authores reperire est. Vt patiens laboris, tolerans calorum, obseruãs legis, doctus literarum, rerum sciens, metuens iudicij, flagitij persequens, fugitans litium, sui profusus, appetens opum, abstinens alieni, cupiens liberorũ. Quæ quòd structuram uerbi iam deposuerunt, ideo gignendis comparatiuis, ac superlatiuis accommodata. Quandoquidem nemo dicit, amantior uirtutem, amantissimus bonos, sed amantior uirtutis, & amantissimus bonorum. Colum. lib. vij Quis famulus amantior domini? Plin. Cæcil. lib. Epist. iiij. Est homo eximius, & bonorum amantissimus. Est tamen, cum quibusdã è participijs adhuc seruata uerbi structura (transitiua tamen semper excepta) formãtur comparatiua. Quod genus Ciceronianum illud ad Q. Fra. Sic habeto, nunquam me à causis & iudicijs districtiorem fuisse. Et in Pisonem: Tu abundantior consilio, ingenio, sapiẽtia, quàm Crassus. Nam quis non dicat, Distringor à causis? tu abundas ingenio? Liqueat ergo, cõparationem per se tam inualidam esse ad pellendam è participijs uerbi naturam, q̃ compositionem: adhæc natura uerbi fixa remanẽte, utrãq; per se nequicq̃ laborare.

Mutatione significati, constructione, & temporis amissione tantum participia fieri nomina.

Caput XIX.

RElIqua igitur sunt tria tantũ, quæ participia trãsferant in nomina, nempe mutatio significati, constructio, & amissio temporis. Primũ quibus participijs con-

pijs contingit significata commutari, ecquem latet, ea semper fieri nomina? Ceu cum diligentem pro studioso, acceptum pro grato, scitum pro eleganti, temperantem pro modesto, doctum pro perito, apertum pro claro, consultũ pro prudẽti, & alia id genus pro pẽ sexcenta dicimus. Constructione uero, in primis transitiua, tam certum est, quàm quod certissimũ. Superest tertium, in quo duplex temporis occasus. Nam aut tota ratio temporis intermoritur, & sic nomina fiunt. Cuiusmodi quæ paulo antè recensuimus, quæq; in dus terminata magnã cum gerundijs habent affinitatẽ. Quod genus Ciceronis illud ad Lent Huc accessit cõmemoranda quædam Cæsaris liberalitas. cõmemorãda, id est, cõmemoratu digna. Quodq; Plin. Cæcil. lib. Epist. vi. Equidẽ beatos puto, quibus datũ est, aut facere scribenda, aut scribere legenda. hoc est, aut facere digna scriptu, aut scribere digna lectu. Aut recondita aliqua ratio temporis seruatur, & sic perstant participia. qualia pleraq; in rus exeuntia. Quæ tametsi uel deliberationẽ, uel uoluntatẽ, uel rem fuisse futuram nonnunquã significant, atq; ideo per futurũ Indicatiui minimè resolui queunt: eo ipso tamẽ tenenda participia, quòd & constructionẽ uerbi retineãt, et rem adhuc futuram ostendant. Cuiusmodi Liuianũ illud lib. xxij. Annibal mare inferum petit, oppugnaturus Neapolim. Nec non Plinianum lib. xiij. Vinum potaturus Rex, memento te bibere sanguinem terræ.

Atq; de participijs, ac participialibus hæc habuimus, quæ diceremus.

AVGV-

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Septimus.

De gerundijs. Caput primum.

REM controuersam aggredior, & plenam dissensionis: uerùm superis bene fauentibus, per nos tandem aliquando diiudicandã. Neq; enim nos hi sumus, quorum uagetur animus errore, quiq; certi nihil habeamus quod sequamur. Illuxit, illuxit tandem nobis ueritas hæc toties petita, toties pugnata. Scripsêre, scio, pleriq; alij de Gerundijs, uiri illi quidem acuti, ac docti: uerùm ita, ut aliorum potius opiniones retulisse, quàm sepositi, atq; abducti aliqd deprompsisse uideantur. Quanquam ne ueteres illi quidem, quibus antiquitas nihil habuit doctius, nihil exactius, tales extitêre, ut uiam industriæ posteris præcluserint. Super hæc in disputando, authore M. T. Cicerone, non tam quid maiores senserint, obseruãdum, quàm rationis momenta quærenda sunt. Vt in agro colonus, in uxore uir sterilitatem odit, sic infœcundam animam odit illi complicita & associata mẽs diuina. Quapropter relinquentes quicquid alij de Gerundijs scripserunt, ab ouo (ut aiunt) disputationem ipsi repetamus. Exemplis alioqui præstantißimorum authorum nixi, sine quibus tota Grammatica ratio corruat, necesse est.

Gerundia

Gerundia non esse nomina. Caput II.

PRincipiò tanta est naturæ dissociatio inter nomen & uerbum, quanta maxima inter ullas alias partes esse potest. Nam quod est proprium unius, id minimè potest esse cõmune alterius. Ergo cum nihil æquè repugnet, nihil perinde aduersetur naturæ nominis, atq; ipsa uerbi transitiua constructio, equidem non uideo, cur gerundia esse nomina possint. An recipit ratio, an patitur natura, ut nomina sint, & casus uerborum tum posteriores tum ulteriores accipiãt? Quid, quòd gerundia nominatiuum etiam ante se regunt, ut uerba? Exemplum afferam plenum fidei, plenum dignitatis. Liu. lib. viij. Ibi Numitius Imperator eorum affirmando, se Romanos nihil tum minus quàm prælium expectantes, perculsurum, fallacibus literis circa Volscum, nomenq; Latinum missis, tumultuarius exercitus raptim conscriptus conuênit. Viden', ut gerundium hic nominatiuum ante se regat? Etenim per participium alioqui potuisset, Ibi Numitio Imperatore eorum affirmante. Huc (nisi fallor) uel adamussim facit & Vergilianum illud ex secundo Aeneidos:

Fando aliquid, si fortè tuas peruenit ad aures
Belidæ nomen Palamedis. Nam si fando aliquid, exponente Seruio, interpretatur, dum aliqd dicitur, quî fieri potest, quin aliquid, nõ eadem ratione, atq; eodẽ casu à fronte ipsius gerundij exigatur, qua regitur à uerbo? Nec est, hic mihi quòd quisq; obijciat. At hoc dicendi genus nimis quàm insolens est. Perinde quasi nunc hoc nos suscepe rimus negotij, ut quid sequendũ sit,

sit, aut uitandum, hic statuamus: ac non potius inuolutam, abditamq; uim gerundij, naturamq; perscrutemur. Aliud est enim, cùm quid usus exigit, perquritur: aliud, cùm disputando Veritas ipsa ueluti limatur. id quod nũc agimus. Nam gerundia quẽ in modũ ex usu authorũ construuntur, mox paulò capitulatim commonstrabimus. Nunc illud multo magis obiter nõ dissimulandũ nobis, diuum Hieronymũ, tantum illũ doctorẽ non sine exẽplo dixisse: In cõuertendo dominus captiuitatẽ Sion. quod est, Cõuertente domino. Quo pariter & illustrißimus author maxima erroris suspicione perpurgatur, & Laurẽtius indeprecabilis temeritatis conuictus apparet. An fuit credibile, Eruditißimũ iuxtà ac diligentißimũ scriptorem, tantæ, ac tam multijugæ lectionis uirũ, tale quid Græca fallente figura, ut ille oblatrat, primũ omnium Marte suo confabricasse? Quid cùm idem ipse alibi dicit, In conueniendo populos in unum: &, In deficiendo spiritũ exme: &, In accipiendo ipsum stolam gloriæ. quod est, conuenientibus populis, deficiente spiritu, ipso accipiente. An dubitandũ, ne non huius quoq; locutionis exemplum occulatißimus Doctor, apud quenquã approbatum latinitatis architectũ uspiam obseruauerit? Quanquã ego (ut uerum fatear) hoc posterius dicẽdi genus, ut nimis insolens, religioni simul & uetustati relinquendũ censeo. Nihil est enim bonarũ literarum candidatis proponendũ ad imitandũ, quod præclaro alicuius receptißimi authoris exemplo statuminari non possit. Atq; gerundia, cùm sic dimidiatam uerbi naturam

naturam referant, exprimantq́; , nullo modo esse nomina posse, de his adductis cùm rationibus tum exemplis iam satis ac super manifestum existat.

Gerundia non esse uerba. *Caput III.*

NVm fortè gerundia sunt uerba? Nihil minus. Idq́; tribus de causis. Primùm, quia declinantur per casus, ut nomina. Adhæc quia non significant cum tempore, quod est proprium uerbi. Modus etenim ac tempus duo prorsus accidentia sunt, quæ uerbum ita definiunt, atque adeò ita constituunt, ut sine his uerbum nullo modo esse queat. Nam cùm dicis, Amo, amabã, amaui, amaueram, amabo: uides, ut singulæ uoces suum quæq; tempus per se distinctum adsignificent? At si dicas, Amandum, amandi, amando, amandum, ab amando, ecquã (dic amábo te, quisquis es) ecquam temporis differentiam, uel minimam eius umbellam per se designant? Nullam prorsus. Vnde nec hi ullo pacto sunt audiendi, qui gerundium contendunt significare cum tempore ex uerbo substantiuo illi coniuncto. Quod genus, Amandum est, amandum erat, amandum fuit, amandum fuerat, amandum erit. Quoniam sic, uel nomina dicerentur significare cum tempore: ut æquum est, æquum erat, æquum fuit, æquũ fuerat, æquum erit. Quo quid absurdius? Propterea quòd partes orationis, quæ cum tempore dicuntur significare, non extrinsecus, non adminiculo alterius, sed intima atq; insita ex ui, ac sponte sua hoc faciũt. Quid, quòd gerundia si dixerimus esse uerba, ipsa etiam participia nobis dicenda sunt uerba? Nam si id cui minus

è uerbo

è uerbo communicatur, censendum est uerbum. iam quanto magis id censendum est uerbum, cui amplius communicatur? At multo plus naturæ uerbi tribuitur participio, & non est uerbum: quanto igitur minus gerundium, cui minus tribuitur, dicendū est uerbum? Quòd autem plus uerbi trāsfundatur in participiū, quàm in gerundium, illud clarissimo est argumento, quòd in illo duplex, eaq; manifesta extat uerbi natura, nimirum cōsignificatio temporis, & constructio. In hoc autem simplex tantum, nempe sola cōstructio. Mirum uerò quàm efficax, quamq; ualidum sit Prisciani argumentum, quo probat gerundia fortasse dici posse uerba, quòd in o terminata eam syllabam, ut uerba, habeant communem. Quo quid manius ab eo potuit afferri? Quare persuasum iam sit, gerundium nullo modo posse nec uerbum dici, nec existere.

Gerundium esse partem orationis per se.

Caput IIII.

IN gerundijs ergo duplex, eaq; manifesta extat natura, nempe nominis & uerbi: ut neq; mera sint nomina, neq; mera sint uerba, sed tertium quiddam mixtum. At hoc mixtum ecqua tandem alia in parte orationis locandum est? Num in participijs? Minimè omnium. Permagna (quis nescit) gerundijs cum participijs intercedit quidē naiurę propinquitas, uel quòd similitudine uocis ac declinationis inter se congruūt, uel quòd sensus nonnullos habent inter se communes. Participia tamen esse nullo modo possunt: primùm quia non significant cum tempore: deinde quia casus

ante se regere possunt, id quod participijs minimè cõ uenit. Num nam igitur gerundium pars orationis per se constituendum est? Quidni, cùm neq; inter nomina, neq; inter uerba, neq; inter participia recipiatur. Habet (fateor) gerundium aliquid nominis, habet aliquid uerbi, habet aliquid participij. Sed hæc per se non cuincunt, ut aut sit nomen, aut uerbum, aut participium, tot naturis inuicem sese impedientibus. Vt rufus color ubi alijs & alijs miscetur coloribus, alia statim & alia sibi uocabula sortitur, nempe fuluus uiridi colore mixtus, flauus uirenti sensim albo illuminatus, rubidus atrore quodam uel nigrore infuscatus: sic uerbi natura plures in riuos deducta diuersas nanciscitur appellationes, prout dissimiles significandi subit qualitates. Participium, ut cum casu & tempore. Gerundium, ut cum casu sine tempore. Supinum, ut citra utrũq; significat. Quid est igitur Gerundiũ? Est pars orationis cum casu sine tẽpore, seruata uerbi structura, agendi uel patiendi significatiua. Qua definitione quatenus differat ab alijs partibus, paucis expediã. Differt à nomine & pronomine, uerbi structura. differt à uerbo & participio, temporis priuatione. differt à Supino & à cæteris omnibus, casuali declinatione. Dictum idcirco gerundium, ut author est M. Varro, quòd inuolucrum gerat dubiosæ uocis & significationis.

A participijs in dus gerundium tribus differre. Caput V.

REiecta nimis quàm ridicula, quam Laurentius gerundia

rundia inter & participia ponit, differentia, trifariã à participijs in dus gerundium ego intereſſe reperio. Quod diſcrimen quàm ſimpliciſſimè & quàm apertiſſimè potero, expediam. Principiò gerundia ſine ulla temporis differentia rei actionem, ſeu mauis adminiſtrationem præteritam, præſentem, & futuram ſignificant. Præteritam, ut legendo proficeram. Præſentem, ut legendo proficio. Futuram, ut legendo proficiam. Participia uerò longè aliter. Nam rem tãtum futuram adſignificant. ut legendus, qui legetur. Secundo loco, gerundia una eademq; uoce, tam actiua q̃ paßiua uſurpantur in ſignificatione: idq; per omnes obliquos. ut, Veni huc cauſſa docendi: id eſt, ut doceam, uel ut docear. Hic non eſt aptus docendo: id eſt, ut doceat, uel ut doceatur. Ille uadit ad amandum: id eſt, ut amet, uel ut ametur. Studioſi legẽdo proficiũt: & boni authores legendo, ſtudioſos delectant. Participia uero nunquam non paßiuam retinent ſignificationem. Poſtremò gerundia, quæ ſunt adiectiua, ea ferè in ſubſtantiua cõuerti poſſunt. ut, Amanda eſt uirtus, amandum eſt uirtutem: Cauſſa docendorum puerorum, cauſſa docendi pueros: Tu das operam acquirendis bonis literis, das operam acquirendo bonas literas: Hic uadit ad audiẽdas lectiones, hic uadit ad audiendum lectiones: In legendis noſtris, in legendo noſtra proficies. At hæc commutatio participijs nullo modo contingere poteſt. Quam quidem triplicem differentiam, ſi quis exempla, quæ toto hoc ſyntagmate mox ex optimis authoribus & multa & uaria latidabimus,

dabimus, non oscitanter obseruauerit, longè uerissimam esse comperiet.

Quot, & quæ gerundijs accidant, & unde inflectantur. Caput VI.

CAeterum gerundia si pars orationis per se, ecquæ eorum accidētia? Bene mones. Gerundijs accidunt qualitas, genus, numerus, figura, significatio, & casus. Qualitas est significandi modus. Nam gerundia quæ proprie dicuntur, ea substantiuum in modum significant, instar neutri generis, & numeri singularis. Figuram uerò & significationem eandem accipiunt, quam & participia. Adhæc omnes casus, præter uocatiuum. De quibus singillatim paulo pòst: Porrò gerundialia quæ nuncupantur (sic enim malo dicere, quàm gerundiua. nam ut à participio participialia, sic à gerundio gerundialia deduci par est) ea uniuersos planè per casus (uocatiuo tamen semper excepto) declinātur tam singulares trium generum, quàm plurales. Vnde et nomina nonnulli suspicati sunt. sed falsò. In quo errore & nos olim fuimus. Quanquam enim gerundia inter, & gerundialia, duo intersunt: alterum, quòd illa sunt substantiua, hæc adiectiua: alterum, quòd illa suorum tam posteriores, quàm ulteriores uerborum casus accipiunt: hæc uerò ulteriores tantum. propterea quòd substantiuū illud, quod alioqui gerundio apponeretur, sibi assumunt, qui cùm et genere, & numero, & casu conueniant. Nomina tamen mea quidem sententia, eo ipso esse non possunt, primùm quia (ut diximus) casus uerborum ulteriores

ex ui

ex ui uerbi admittunt. Quale Fabianum illud libro i. Pueri potius illa docēdi erunt, minus uulgata. Necnō Plinianum lib. xv. Hesiodus in primis cultum agrorū docendā arbitratus uitam, negauit oleæ satorem fructum ex ea percepisse quenquam. Quorum illud (ne quis participia arbitretur) oportebit doceri, exponi tur, hoc debere doceri. Secundò, quia (ut paulo antē dictum) eodem casu ac sensu gerundijs substantiuis commutari possunt. Vt cum Cicero, Initum est consilium à P. Sylla inflammandæ ciuitatis, huius extinguendi imperij, delendæ urbis: id æquè Latinè reddidisset, inflammandi ciuitatem, extinguendi hoc imperium, delendi urbem. Id quod nomini minimè licitum est. Gerundia postremo M. Varro è uerbis ui primogenia semper inflecti censet, ut participia.

Significationes gerundiorū discerni pro ingenio & natura uerborum, unde proficiscuntur.

Caput VII.

Atque etiam præstituenda est aliqua regula, quæ discernendis gerundiorum significationibus inseruiat. Nam eorum partim sunt quibus utroq; uersum, partim quibus actiuè tantum, partim etiamnum quibus passiuè tantum utamur. Sed hæc ratio, significationumq; discretio haud aliunde petenda, quàm ab ipsis uerbis, unde proficiscuntur. Verborum igitur alia sunt transitiua, alia intransitiua. Transitiua nunc appellamus omnia, quæ accusatiuum patientem à tergo requirunt. Horum gerundia & agere ualēt, & pati, nostro pro arbitrio. Nisi tamen transitiuè sint posi-

ta. Quippe tum significatione tantum actiua usurpantur. Siquidem nō recipit ratio Grammaticæ, non patitur uis naturæ, ut transitiua sint: hoc est, ut accusatiuum post se regant, & significationem habeant passiuam. Igitur regula dudum constituta sic intelligenda. Gerundijs quidem substātiuis tum utroq; uersum, hoc est, actiuè & passiuè nobis uti licere, cum ab accusatiuo posteriore, eodemq; patiente fuerint absoluta. ut exempli caussa, Veni huc ad docendum: idest, ut doceam, uel ut docear. Idq; per omnes casus, præterquàm tamen nominatiuum. Quorum significatio nunquam passiua tunc, ne si passiuum quidem in modum constructa reperiantur, esse potest. Id quod Ciceronis, opportunissimum ex oratione pro Pompeio exemplum, tametsi id gerundium è uerbo intrāsitiuo sumptum est, luce clarius docet. Bonis multorum ciuium à uobis, & ab Imperatoribus reipublicæ consulendum est. Exponitur enim, consuli debet. Vbi significatio perinde actiua est, nimirum nullo ibi existente suppositio patiente. ac si dixisset, consulere debetis. Meminerimus alioqui gerundialia, hoc est gerundia adiectiua, è uerbis tantum esse trāsitiuis, uel quæ olim fuere transitiua, eorumq; significationes fore communes. His nanque possumus uti & actiuè & passiuè. In quo mirum, quàm pueriliter Priscianus, Laurentius, & Nebrissensis hallucinati sint, censentes his tantum passiuè utendum. An Cicero inuehens in Verrem: Cognoscite hominis principium magistratuū gerendorum, & reipublicæ administrandæ. Adhæc in

Rullum:

Rullum: Finem feci offerendi mei. Et Rabirium pro-pugnans: Confiteor interficiendi Saturnini causſa C. Rabirium arma cepiſſe. Non his omnibus locis (nam de innumeris unum, atq; item alterum exemplum hic adduxiſſe ſatis eſt) non inquam his omnibus locis gerundialibus actiuè uſus eſt? Alterum autem illud uerborum genus, quod intranſitiuum diximus, gerundia gignit tantum ſubſtantiua. Etenim Plautinum illud in Epid. Iſtæc puppis perunda eſt: & in Trinum. Signata tibi placet, placenda dos quoque eſt: non eſt uſu approbatum. Ea gerundia per omnes caſus aut agunt tantum, qualia ſeruiendum, ſtudendũ, eundum: aut patiuntur modò, ut egendum, gaudendum, uapulandum. Quanquam ſuperioris generis nonnulla (niſi potius è uerbis tranſitiuis profluxiſſe uelimus, quando uel talia interdum reperiuntur) etiamnum paßiuè uſurpata cõperimus. Cic. lib. ij. de Nat. deor. Sus erat ad ueſcendum hominibus apta. id eſt, qua ueſcerẽtur. Et lib. ij. de Finib. Negat tenuißimo uictu minorem uoluptatẽ percipi, quàm rebus exquiſitißimis ad epulandum. Et Varro lib. ij. Rerum ruſt. Equus huiuſmodi ad medendum eſt appoſitus. Sed hæc non admodum uſitata.

Gerundia rectũ caſum habere. Cap. VIII.

MIrum uerò, unde Grammaticis noſtratibus tanta neſcio dicam uiſus hebetudo, an ſomnolentia, ut gerundium ſubſtantiuo cum uerbo coniunctum, id quod apud omne genus authorum tam frequens eſt, quàm quod frequentißimum, nominandi eſſe caſus

non animaduerterint. Quorum ne pari ophthalmia ipsi quoq; laborasse uideamur, proferamus nos in lucem, quod hactenus in tenebris consepultum iacuit. Ac primum ubi Terent. in Andr. Vxor tibi ducenda est Pamphile: & Cæsar lib. ij. Gall. bel. Cæsari omnia uno tempore erant agenda, uexillum proponendum, reuocandi milites, acies instruenda: quis mihi eat in ficias, his duobus in locis utrunque gerundijs fuisse usum? Iam hæc participia nullo modo esse possunt. Vt enim cortex non facit plantam, sed stupida & nihil sentiens natura: nec iumenta corium, sed bruta & irrationalis efficit anima: sic terminatio illa non facit participium, sed pathica uis ipsa, ac futuri significatio. Eaq; omnia sic interpretantur, Necesse est tibi Pamphile uxorem ducere: Cæsari necesse erat uno tempore omnia agere, uexillum proponere, milites reuocare, aciem instruere. Quæ si accipimus (neq; enim aliter cogente ueritate facere possumus) gerundia sint necesse est, ac nominandi casus. Præterea si actiua in significatione nihil est per gerundium adiectiuũ enunciabile, quod idem per substantiuum eodem casu efferri non possit: ut, Catilina consilium cepit inflammandæ urbis, & inflammandi urbem: Scipio in Sicilia longum quæsiuit opportunum augẽdo exercitui, & augendo exercitum: Annibal Gallos in ciuitates quenq; suas dimisit ad sollicitandos, & sollicitandum populi animos: Orationem autem Latinam efficies profectò legendis nostris, & legendo nostra pleniorem. Cur idem non fiat in recto, dicaturq; eodem

& sensu

& sensu & casu, Vxor tibi ducenda est Pamphile, et Vxorem tibi ducendum est Pamphile? ut, Dionysio propter inopiam docendi fuerunt pueri li Grammaticam, & Dionysio propter inopiam docendum fuit puerulos Grammaticam. Nec est quòd hoc posterius dicendi genus, ut nimis insolens, reformidemus, cum apud plerosq; optimos Latinitatis authores non raro sit inuenire. En tibi Plautus in Epid. Aliqua consilia reperiundum est. En Lucret. lib. i. Motu priuandũ est corpora quæq;. Rursus: Cum sit agendum multa. Necnon lib. iiij. Multa in his rebus quærendum est. En M. Varro lib. vi. de lingua Latina: Radices eius in Hetruria quærendum est. Adhæc lib. ij. de Analogia: Sic enim omneis repudiandum est arteis, quòd in eis discrepant scriptores. Et lib. i. Rerum rust. Præfectos alacriores faciendum est præmijs. Et lib. ij. Pecudum habenda ratio, quòd fabam interdum quibusdam sit obijciendum. En Cicero in Catone: Tanquam uiam longam nobis quoque ingrediundum sit. Rursus ad Att. lib. xiiij. Iterandum eadem ista mihi. En postremò Colum. lib. vj. Resecandum est, & ulcera medicamentis curandum. Sed quorsum tam multa? Primũ, ut luce clarius constet, genus hoc dicendi, ut approbatum, esse nobis amplectendũ, exosculandumq;. Deinde, gerundia hæc substantiua reperiundum, priuandum, agendum, quærendum, repudiandũ, faciendum, obijciendum, ingrediundum, iterandum, resecandum, & curandum, substantiuo cum uerbo coniuncta, posterioremq; accusatiuum patientem regentia, esse nominandi

minandi casus. Nam accusandi quo pacto esse non queant, nemo non uidet, repugnante uerbi natura. Quid Coniunctiones, nónne copulant similes casus? Cicerone igitur ad M. Cœlium in hæc uerba scribente, Discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deueniendum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors uoluntaria: Hic mihi quis neget, gerundia hæc numero sex, quorum priora quatuor substãtiua sunt, altera duo adiectiua, ab uno eodemq; uerbo dependentia esse nominatiui casus? In calce illud obseruandum, gerundia hunc ad modum posita, nonnunquam aparemphata esse: hoc est, numeris & generibus indefinita. Quod genus Lucretianũ illud lib. v. Prælia nobis sunt ingratis insinuandũ: pro insinuãda. Omnibusq; iã sit psuasum, et gerũdia rectũ habere casum, et plerosq; istorũ, qui aut in Prisciani, aut in Laurẽtij leges iurauere, maximis nõnunq; in tenebris ignorãtiæ detineri.

Qui sensus, quæq; ratio construendi gerundij recto in casu. *Caput IX.*

VErum quid retulerit ostendisse gerundia nominandi casum habere, ni quæ sint eorum significationes eo in casu, quæq; ratio construendi, paucis explicuerimus? Est igitur, cum necessitatem significant, uti uel superiori in capite iam ostensum est, in quo & dativum adsciscunt. Cæs. lib. iiij. Gall. bel. Ob has causas summa difficultas, quòd militibus simul et de nauibus desiliendum, & in fluctibus consistendum, & cum hostibus

hostibus pugnandum erat. Vides, hæc gerundia ut ne cessitatem significent, & datiuum adsciscant? Necesse, inquit, erat militibus simul & desilire de nauibus, & consistere in fluctibus, & pugnare cum hostibus. Est, cum uoluntatem, & quandam quasi deliberationem præ se ferunt. In quibus nihilominus etiam datiuus requiritur. Cicero pro Domo sua: In conspectu totius urbis domus mea est Pontifices, in qua si manet illud monumentum, demigrandum mihi potius aliquò est, quàm habitandum in ea. Volo, inquit, potius aliquò demigrare, quàm habitare in ea. Et lib. i. de Off. Catoni moriendum potius fuit, quàm tyranni uultus aspiciendus. id est, Cato mori potius uoluit, quàm tyranni uultum aspicere. Est, ubi officium quoddã ostendunt. Varro lib. iij. Rerum rust. Si transferendæ sunt alni, & tempora animaduertendum, & loca idonea prouidendũ. id est, debemus et tẽpora animaduertere, & loca idonea prouidere. Cic. ubi suprà: Atq; his q habẽt à natura adiumenta rerũ gerendarũ, adipiscendi magistratus sunt, et respublica gerẽda est. Debent, inquit, hi qui habent à natura adiumenta rerum gerendarum, & magistratus adipisci, & rempublicam gerere. Quo in sensu gerundialia significationem si habent passiuam, ablatiuum etiam cum præpositione à, uel ab, uice datiui nonnunquam accipiunt. Cic. lib. i. ad Att. In hoc genere sic studio efferimur, ut abs te adiuuandi, ab alijs prope reprehendendi simus. Et libro x. Patris lenitas amanda potius fuit ab illo, quàm negligenda. Ex quibus omnibus ita constitutis, non

pauci

pauci turpissimi erroris conuincuntur. Primum hi, qui gerundia cum ablatiuo constructa negabant inueniri. Quorum temerariam opinionem adhuc Ciceronianum illud lib. v. Tusc. satis refellit. Quid tandem à Socrate & Platone faciendum putes? id est, debere fieri. Deinde Donatus, qui Terentianum illud in Phorm. interpretans, Herus si redierit, usq; molendũ esse pistrino, uapulandum, habendæ compedes, opus ruri faciundum: duo postrema negat esse gerundia, sed participia. cum tamen omnia & necessitatem iuxtà significent, & eandem pariter interpretationem accipiant. Quid Vergilianum illud, Voluenda dies en attulit ultro: num Voluenda ibi gerundiũ est? Minimè. Est enim participiale nomen. resoluiturq;, dies uolubilis, uel quæ uoluitur. In quo & Valla & Nebrissensis iuxtà decepti. Est postremò, cum per participium in rus, & uerbum substantiuum interpretari posse uidentur. Vt cum Cicero in Catone: Tanquam longam uiam nobis quoque ingrediundum sit. id est, ingressuri simus. Et Liu. libro xxxv. Boij nocte saltum, quà transeundum erat Romanis, insederunt. id est, quà Romani erant transituri.

Qui usus, quæq; structura gerundiorum in genitiuo. *Caput X.*

NE uiuam, si gerundiorum toto in corpore quicquam patrio casu uidi elegantius. Ergo pro incredibili ac multiplici insita Venere, primum substantiuum plerunque aliquod sibi uendicant, unde regantur. Cic. in Rullum: Decemuiris omnes prouincias

cius obeundi, liberos populos agris mulctandi summa potestas datur. Liu. lib. xxxv. Actoli consilium ceperunt Lacedæmonem occupandi. Tacit. lib. iij. Cæsar author senatui fuit, Vitellio atq; Verannio sacerdotia tribuendi. Rursus Cicero pro L. Murena: Inita sunt consilia urbis delendæ, ciuium trucidandorum, nominis Romani extinguendi. Et pro A. Cæcinna: Omnia iudicia aut distrahendarum controuersiarũ, aut puniendorum maleficiorum caussa reperta sunt. Verum illud ut multo remotius, sic haud paulo exquisitius, cum gerundia huius casus substantiua (ni potius gerundialia esse uelis indefinitè posita) genitiuo plurali accedũt. Ceu cum Cicero lib. de Mundo: Reliquorum siderum quæ caussa collocandi fuerit, in alium sermonem differendum est. Idem in Philipp. Agitur, utrum M. Antonio facultas detur agrorum suis latronibus condonandi. Necnon M. Varro lib. ij. Rerum rust. Aliquod fuit principium generandi animalium. Et Suet. in Aug. Epulum præbuit, permissa iocandi licentia, diripiendiq; pomorum, obsoniorum, rerumq; missilium. Et Aul. Gell. lib. v. Euathlus caussarũ orandi cupiens. Id quod in pronominibus etiam usu plerunq; uenit. Cæsar lib. iij. Gall. bel. Subitò eruptione facta, ne q; cognoscendi quid fieret, neq; sui colligendi hostibus facultatem relinquunt. Liu. libro uno & uigesimo: Non uereor, ne quis me hoc uestri adhortandi caussa magnificè loqui existimet. Ergo Plautinum illud in Rud. uetustati relictũ: Huc opes, spesq; uestrum cognoscendũm condidi. Est tamen, cum substantiua

stantiua infinitum pro gerundio identidem accipiũt. In quo mirum, Laurentius quàm hallucinatus. Plaut. in Capt. Nunc adest occasio benefacta cumulare. Et in Menæhmis:

Nam homini misero malum si accedit ad malum,
Maior libido est fugere, & facere nequiter.

Sallustius in Iugur. Nisi fortè quem pernicioſa libido tenet potentiæ paucorum decus, atq; libertatem gratificari ſuam. Rurſus: Simul nobis demeres acerbam neceſſitudinem pariter te errantem, & illum ſceleratiſſimum perſequi. Cicero lib. ij. de Orat. Si omnem uim oratoris in argumentis poſuiſſem, tempus eſſet iam de ordine argumentorum dicere. Cæſar lib. v. Gall. bel. Reſpondit non eſſe conſuetudinem Pop. Rom. accipere ab hoſte armato conditionem. Et lib. vij. Galli poſtero die conſilium ceperunt ex oppido profugere. Rurſus: Prius quàm munitiones ab Romanis perficerentur, conſilium cepit, omnem à ſe equitatum noctu dimittere. Liu. lib. i. Tempus eſt maiora conari. Colum. lib. xi. Arbores tempus eſt ablaqueatas operire. Plin. Cæcil. ad Traianum: Reſponſum eſt, habuiſſe uetuſtiſſimũ morem arbitrio ſuo rempublicã adminiſtrare. Aul. Gell. lib. i. Tũ uerba facere, et quærere, quæq; audiſſent, ſcribere, & quæ ipſi opinarẽtur, exprome re poteſtas erat. Quibus omnibus locis iuxta præſcriptum Laurẽtij gerundio utendũ fuiſſet. Sed nos hi nõ ſumus, quibus tantũ opinio præiudicata poſſit, ut etiã ſine ratione ualeat authoritas. Tu latinitatem tuo tibi arbitratu fingis Laurenti, eoq; identidẽ delirare conuinceris.

uinceris. Nos quid excellentißimi quiq; latinitatis au thores dixerint, curioſißimè obſeruamus. Itaque ualidißima etiam ratio nobis uiſa eſt cognoſcendi, quan ta gerundijs cum infinitis naturæ conuenientia inter cedat. Vt plurimis in locis eandem penitus cùm ſignificationem, tum cõſtructionem accipere poſſe uidean tur. An cum Plautus dicit in Moſtell. Tempus eſt hunc me ſenem alloqui: & Cicero in Oeconomico, Vuas à ſole miteſcere tempus eſt: Non & illi per te dicendum fuit, Tempus eſt hunc me ſenem alloquendi? Et huic, Vuas à ſole miteſcendi tempus eſt? Nam ſi nomina ſubſtantiua gerundium (ut tu aſſeris) ſibi duntaxat requirunt, profectò utrique haud aliter dicendum fuit. Quanquam infinitiuo tum potius ego ſemper utendum cenſeo, cum accuſatiuus pro ſuppoſito præceſſerit. Quemadmodũ ſuperioribus in exemplis modò citatis & Plautus et Cicero fecerunt. Ne ſi gerundio utamur, accuſatiuus ille à parte gerundij anteriore tanquam à uerbo regi cogatur. Id quod etſi clarißimo illo, eodemq; unico exemplo Titi Liuij libro undetrigeſimo dicentis, Tum plures cæſi, quia equos conſcendendi ab equitibus (ſic enim habent emendatißima quæque quæ uidi exemplaria) ſpacium non fuerat: ſtatuminari probariq; poteſt, eo tamen dicendi genere ego nullo pacto utendũ ſtatuo. Quid, quòd gerundia interdum pro infinitis abſoluto quodam modo ſic collocãtur, tanquam nihil habeant, unde regantur? Cic. lib. iij. de Offic. Si diſcendi labor eſt potius q̃ uoluptas. Hic gerundium, [illegible] annotante, pro

te, pro infinito positum est. Idem ad Terentiam, Cum haberem in animo nauigandi: pro nauigare. Fabius lib. vij. Est enim certa seruitus ad singula se uerba adstringendi: pro astringere. Tacit. lib. xv. Vologesi penitus infixum erat, arma Romana uitandi. pro uitare. Rursus: Maneat prouincialibus, potentiam suam tali modo ostentandi. pro ostentare. Plin. lib. ix. Salus una est, in aduersas eundi ultroq; terrendi. pro in aduersas ire, ultroq; terrere. Et mox: Monstri solertia est, nauigium subeundi, atq; ita è tuto præliandi. pro nauigium subire, atq; ita è tuto præliari. Idem libro xiiij. Vino natura est, exhausto, accendendi calore uiscera intus: ſuris infuso, refrigerandi. pro accendere, refrigerare. Vides, ut mutuò sese recipiant gerundia atq; infinita, ac mutuis fungantur officijs? Potuisset igitur idem Plinius, cùm & lib. ix. Huic solertia est, inanium ostrearum testis se condere, & cum accreuerit, migrare in capaciores. Et lib. xv. Oleo natura est, tepefacere corpus, & contra algores munire. Et lib. xxvij. Vis earum est spissare, ac refrigerare. Quemadmodum & Liuius cum lib. vij. Vna est salus, erumpere hinc, atq; abire. Potuissent inquam ambo isti præstantißimi authores, his omnibus locis nihilo secius, uti paulo antè factum, uice infinitorum gerundijs uti. Tanta est naturæ communitas. Quid, quòd adiectiua quædam hanc eandem uicißitudinem sibi etiam uendicant? Quod genus, properus clarescere, & clarescendi, manifestus dissentire, & dissentiēdi, certus ire, & eundi: peritus, doctus, sciens, gnarus, eruditus, prudens

prudens pſallere, & pſallendi: cupidus, auidus, cupiens ſcire, & ſciendi: potens imperare, & imperandi: inſuetus nauigare, & nauigãdi. Quæ omnia apud optimos latinitatis authores paßim reperire eſt. Sed Laurentius (cur enim uel corollarium hoc non adjiciam?) alius turpißimi erroris adhuc nobis conuincendus. Cenſet enim, idq; ſumma cum aſſeueratione, gerundia huius caſus ſubſtantiua è uerbis tranſitiuis eiuſmodi eſſe, ut paßiua in ſignificatione his nullo modo uti liceat. Id quàm uerum, oſtendant luculentißimi authores. Cic. in Top. Cauſſarũ genera duo: unum, quod ui ſua efficit, ut ignis: alterum, quod naturam efficiendi habet, ut æs. Hic mihi quis aliter exponat efficiendi, niſi ut efficiatur? Idem lib. ij. de Off. Atq; hæ quidem ſunt cauſſæ diligendi grauißimæ. id eſt, quibus diligamur. Et pro M. Cœlio: Hæc omnia iudices perfacilem rationem habent reprehendendi. Quid hoc? non ne, ut reprehendantur, uel redarguantur? Cæſar libro vij. Gall. bel. Huc teretes ſtipites dimittebantur, ſimul confirmandi & ſtabiliendi cauſſa, ſinguli ab infimo ſolo pedes tres terra occultabantur. Quid porrò confirmandi, & ſtabiliendi, niſi ut confirmarentur & ſtabilirentur? Quibus omnibus & quàm elegans huius gerundij caſus uarietas, ac multiplex uſus, & quàm nonnulli ſummi nominis Grammatici in eo ſint hallucinati, iam facilè eſt dijudicare.

Qui uſus, quæq; ſtructura gerundiorum in dativo. Caput XI.

SVb hoc datiuo ſuus honos reddẽdus, uel eo diligentius, quo

tius, quo primores apud Grammaticos de eo nihil ferè certi comperias. Est igitur primùm, ubi à nomine adiectiuo pendet. Valer. Max. libro iij. P. Scipio cum in Sicilia augendo exercitum, traijciendoq; in Africam opportunum quæreret gradum, inter molitiones tantæ rei operam gymnasijs dedit. Est etiam, cum à uerbis regitur. Plaut. in Epid. Ego relictis rebus Epidicum quærendo operam dabo. Idem in Pœnulo: Ancillæ nos lauando operam dederunt. Cicero in Hortensio: Magna animi contentio adhibenda est explicando Aristotelem, si leges. Quibus exemplis Laurentius indeprecabilis erroris conuincitur qui absurdum putauit, huiusmodi gerundijs transitiuum casum apponere. Non negauerim ego tamen hilariorem, modulatioremq; multo Latinam orationem fluere, si gerundijs adiectiuis potius usi, quàm substantiuis fuerimus. Vt cum Plaut. in Sticho: Lectis sternendis studuimus, mundicijsq; apparandis. Rursus in Mercat. Armamentis componendis, & complicandis studuimus. Et Cic. in Catil. Lentulus literis dandis proxima nocte uigilarat. Et Liu. lib. xxij. Consul placādis Romæ dijs, trahendoq; delectu operam dat. Et Plin. lib. xv. Vetus oleum existimatur ebori uindicando à carie utile esse. Et Tacit. lib. xi. Suillium accusandis utrisq; immittit. Iterum lib. xij. Virilis toga Neroni maturata, quò capessendæ reipublicæ habilis haberetur. Denique Suetonius in Tito: Medendæ ualitudini, lenien disq; morbis nullam diuinam, humanamq; opem non adhibuit. Sed hic nobis de Grammatica præcipientibus, non

bus, non tam elegantia, ornatusq; quàm natura, proprietasq; fuit obseruanda. Quando authore grauissimo Valerio Probo, & proceres latinitatis nonnunquam fortis & grauis cõpositio magis, quàm mollis & uncta delectauit. Est postremò, cum huiusmodi gerundijs utimur etiam absolutis. Aliàs actiua in significatione. Ouid. lib. xv. Mox apta natando Crura dat. Plin. lib. xi. Culici natura telum ita generauit, ut fodiendo acuminatum, pariter & sorbendo fistulosum esset. Idem lib. xxv. Vis utriq; est excalfaciẽdo. Aliàs in passiua. Plaut. in Trucul. Dat operam, ne sit reliquum poscendo, atq; auferẽdo. id est, quod poscatur, auferaturq;. Plin. lib. xix. Nullum semen ultra quadrimatum utile est serendo. id est, quod seratur. Et libro xxxi. Nitrosa aqua utilis est bibendo. id est, ut bibatur.

Qui usus, quæq; structura gerundiorum in accusatiuo. *Caput XII.*

CVm superiores gerũdiorum casus, tum hic quem accusandi nuncupauimus, diligenter obseruandus. Quem primò cum præpositione ad, identidem coniungi, quem fallit? Liu. libro iij. Libertati ea præsidia petitis, non licentiæ, ad impugnandum alios. Cic. in Catil. Neq; res ulla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est. Plin lib. xiiij. Singulare remediũ habent ad refrigerandum in morbis corporum ardores. Tacit. libro iiij. Legatos perculsa gens ad satisfaciendum populo Romano miserat. Rursus Cicero in eundem: Viuis, & uiuis non ad deponendam,

ſed ad confirmandam audaciam. Plin. lib. xxvi. Vis ei ad ſpiſſanda corpora. Eſt, ubi eadem cum præpoſitione in paßiua ſignificatione uſurpantur. Cic. ad Att. lib. ix. Sunt quædam earum perdifficiles ad iudicandum. id eſt, quæ iudicentur. Idem ad Brutum: Multa eius indicia, ſed ad ſcribendum non neceſſaria. id eſt, ut ſcribantur. Colum. lib. iij. Grauis eſt rubrica, & ad comprehendendum radicibus iniqua. id eſt, ut comprehendatur à radicibus. Eſt, ubi præpoſitionem ob, uel propter nonnunquam admittunt. Cic. lib. iij. Tuſcul. Ad Troiam miſſi ob defendendam Græciã. Idem in Verrem: Quanto illud improbius, eum, à quo pecuniam ob abſoluendum acceperis, condemnare. Eſt, cum præpoſitionem circa, & inter aſſumunt. Fabius lib. iiij. Non enim ſolum oratoris eſt docere, ſed plus eloquentia circa mouendum ualet. Liuius lib. ij. Titus Herminius inter ſpoliãdum corpus hoſtis, percuſſus. Aul. Gellius lib. i. Amata inter capiendum à pontifice max. appellatur. Vbi obiter notandum, gerundia paſſiuam habentia ſignificationem, uel paßiuam accipere conſtructionem. Sic enim intelligitur: Veſtalis appellatur Amata, cum capitur à pontifice maximo. Quod ut credam, illud paulo antè ab eodem ipſo dictum cogit: Ita te Amata capio. Sed uix aliud in tota lingua Latina huic ſimile reperias exemplum. Eſt, cum præpoſitio Inter gerundijs interdum ita cohæret, ut unum omnino fiat compoſitum. Fabius lib. xij. Interconſiliandi officium. Liu. lib. xxv. Reliquit modicum præſidium, ut ſimul interfaciendo muro adiuuaret.

uaret. Sunt alioqui uerba, quæ gerũdium quidem isto ipso in casu sibi adsciscunt, sed absq; ullo præpositionis adminiculo. qualia, puto, duco, existimo, censeo, dico, uideo, intelligo, arbitror, & similia. Plautus in Rud. Illas curandum censeo. Cic. in Verrem: Vt Lampsaceni moriendum sibi potius quàm perpetiendum putarent. Idem ad Lentulum: Nam neq; pugnandum arbitrarer contra tantas opes, neq; delendum summorum ciuium principatum, neq; permanendum in una sententia conuersis rebus, sed temporibus assentiendum. Et pro P. Sextio: Qui dicerent dignitati esse seruiendum, reipublicæ consulendum, officij rationem in omni uita esse ducendam, subeunda pro patria pericula, uulnera excipienda, mortem oppetendam, eos insanire dicebant. Huc spectat & Vergilianum illud,

Pacem Troiano ab rege petendum.

Pendet enim à superiori, sic.

Legati responsa ferunt, alia arma Latinis
Quærenda, aut pacem Troiano ab rege petendum.

Nimirum eadem figura, qua & Pacuuius in tragœdia Chrysippo:

Nam istos, qui linguam auium intelligunt,
Plusq; ex alieno iecore sapiunt, quàm suo,
Magis audiendum, quàm auscultandum censeo.

Et Liuius libro xxxvij. Conclamatum propè ab uniuerso senatu est, perdomandum feroces animos esse. Itaq; uereor, ne non satis rectè Quintilianus, author alioqui eminentissimus, & nunquam satis laudatus, libro nono statuerit, Vergiliũ & uerbo usum pro participio,

ticipio, cum ait: Magnum dat ferre talentum. Et inuicem participio pro uerbo, ubi, Socijs tunc arma capessant, Edico, & dira bellum cum gente gerendum. Cum utrobiq; ferendum et gerendum mihi esse gerundia potius uideantur. Neq; enim participia esse possunt, cum significationem habeant actiuam. Nec me fugit, tãtam plerunq; inter participiũ & gerundium esse uel sensus uel formæ similitudinem, ut prudentißimi latinitatis uix internosse queant. Quod genus Ciceronis illud in Catilinam: Attribuit ciues interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Caßio, totam Italiam diripiendam Catilinæ. Qui si ad hoc exemplum dixisset, Ciues attribuit Gabinio ad interficiendum, urbem Caßio ad inflammandum, totam Italiam Catilinæ ad diripiendum: nemini dubium, quin gerundia forent. Vt uel illud pro Domo sua: Cum alteri Syriã, Persas, pacatißimasq; gentes ad diripiendum tradidisses. modo, adhibita quadam luce, quod ambiguum esset, distinguente. Quid curo, suscipio, loco, depoſco, conduco, mando, & habeo, non & ipsa eiusmodi sunt, ut gerundia sibi adsciscant absq; ulla præpositione? Etiam. Cic. pro Aulo Cluent. Oppianicus Aurium interficiendum curauit. Idem in Verrem: Is gloriam P. Africani tuendam, conseruandamq; suscepit. Ibidem: Senatus decreuit, ut quæ statuæ C. Verris essent, eas Quæstores demoliendas locarent. Et pro Domo sua: Lollius Pompeium interficiendum deposcit. Et lib. ij. de Diuinat. Redemptores columnam illam de Cotta & Torquato conduxerant faciendã.

Suetonius

Suetonius in Cæsare: Gladiatores notos ſicubi infeſtis ſpectatoribus dimicarent, ui rapiendos, reſeruādosq; mandabat. Habeo autem, ut pluſculæ uerbum ſignificationis, paulo diſtinctius explicandum. Eſt, cum uoluntatem ſignificat. Tacit. lib. iiij. Tyberius adiunxit poſſe Liuiam ſtatuere, nubendum poſt Druſum, an in penatibus tolerandum haberet. id eſt, uellet' ne nubere, an domi tolerare. Eſt, cum neceſsitatem. Plin. Cæcilius ad Traianum: Suetonius impetrandum à bonitate tua per nos habet, quod illi fortunæ malignitas denegauit. id eſt, Suetonio opus eſt impetrare. Eſt po officium. *Suetonius in Cæsare: Pœnam in ſe ultrò depoposcerunt, ut conſolandos eo* perator, *quàm puniendos habuerit. id eſt, ut Imperator debuerit eos magis conſolari, q̄ punire. Sedenim habeo ut aliàs infinitum pro gerundio accipit, ita & cenſeo. Cic. lib. i. de Nat. deor. Contra Epicurum ſatis dictum eſt, ſed habeo audire. tu ipſe quid ſentias. Columella libro v. Validam uitem in ramos diducere cenſeo, & traducibus diſpergere. Ibidem: Nos etiam in hoc genere arboris diligenter præcipere cenſuimus.*

Qui uſus, quæq; ſtructura gerundiorum in ablatiuo. Caput XIII.

CAeteris autem caſibus gerundiorum probè (ut arbitror) declaratis, ne ablatiuus quidem, tanquam extremus fabulæ actus nobis negligendus. Huius caſus conſtruēdi gerundij ratio eſt duplex, aut cum præpoſitione, aut citra. Superiore modo incredibile, quàm

rarò gerundia comperias transitiuè posita. Etenim quantum ipse obseruare ac legere potui, uix tria, summum quatuor reperi exempla. Vnum, apud Ciceronẽ lib. vi. ad Att. In quibus interscripseras de relinquendo ea, quæ me impugnabant. Alterum apud eundem lib. iij. Tusc. Inuidiæ uerbum ductum est à nimis intuendo fortunam alterius. Tertium apud M. Varronem libro iij. Rerum rust. In supponendo oua, obseruant, ut sint numero imparia. Quartum apud Liuium libro xxx. Eadem hæc Syphaci animum dederunt in alloquendo uictorem. Non ignoro, Hagiographos hoc dicendi genere passim usitari: inter quos [redacted] *ut omnium recentissimus, ita eloquentissimus. Sed enim superioris ætatis sacros authores, bene ac beatè uiuendi magistros, non dicendi, retineamus. Quapropter suaserim ego, ut cum præpositionibus à, uel ab, uel ex, uel de, uel pro, uel in, uel cum, quæ gerundia iungere uelimus, his potius utamur absolutis: aut si quid apponendum, his ipsis utamur adiectiuum in modum. quemadmodum & qui optimè, ac Latinè locuti sunt, sæpius facilitatuerunt. Aul. Gell. lib. vi. Secundæ res trudere solent à rectè consulendo. Cicero de Prouinc. Consul. Sensum doloris mei à sententia dicenda amouebo. Idem ad Quint. Frat. Teneo ab accusando. Terent. in Adel. Vt ostenderem, quòd te isti facilem putant, id fieri ex assentando, indulgendo, & largiendo. Plin. lib. vij. Vt de progrediendo cogitarent. Cic. in Bruto: Fabricius ad Pyrrhum de captiuis commutandis missus orator. Plaut. in Aul. Pro uapulando*

lando mercedem peterem. Aul. Gellius lib.iij. Hostes quorsum ire pergant, in expectando sunt. Plin. libro xxiiij. Mas in coquendo lentior. Cic. pro Reditu suo: In referenda gratia hoc semper præstabo, mihi neque in consilijs capiendis diligentiam, neq; in periculis propulsandis animum, neq; in sententia referenda fidem defuturam. Fabius lib. i. Ratio rectè scribendi iuncta cum loquendo est. Illud tamen annotãdum, mutua relatione, quam nos supra redditiuam diximus, contingente, tum gerundijs transitiuè, adiecta præpositione utamur licere: sic tamen, ut prius relatiuũ subintelligatur potius quàm exprimatur. Vt cum Fabius lib.ij. In emendando, quæ corrigenda erunt, non acerbus, minimeq; contumelioſus. Et lib.x. Stoici in colligendo, probandoq;, quæ instituerant, plurimum ualuerunt. Sed turpissimus error, quo & ipse aliàs, & plerique alij iuxtà mecum asserebamus, minimè rectè Latineq; dici, Venio ab audiendo: cuius quidem erroris author omnium primus fuit Laurentius, sua illa uniloquentia quem non illaqueans? haud amplius dissimulandus. An illustrissimus author Cicero, cum & lib.ij. de Orat. Ipse à dicendo refugisti: & lib.iij. Pythagoras, Democritus, Anaxagoras à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionẽ rerum transtulerunt: & in Bruto, Stoici traducti à disputando ad dicẽdum inopes reperiuntur: & in Verrem, Non uideor omnino à defendendis hominibus, subleuandisq; discedere. Præterea Liuius lib. xxvi. Profectionem suam abstracturã ad defendendã Romam, ab oppugnanda Capua

duces. Non uterq; præclarè satis demonstrant, uerbis motum de loco significantibus huiusmodi gerundia rectè applicatũ iri? Quis porrò mihi eat inficias, quin refugio, transfero, traduco, discedo, & abstraho eiusmodi motum adsignificent? In quibus etiam si motus propriè localis non exprimeretur, nónne ibi tamen species quædam motus localis graphicè describitur? Vt interim taceam, quòd non tam Grammatici interest clausularũ intellectus, quàm significandi modus. Itaq; Ioannes Pontanus, quo nemo latinius, nemo incorruptius locutus est, quem ne Cicero quidem sibi æquiparari grauiter ferret, haud ueritus est simul eo in dialogo cui nomen Antonius, dicere, Vnde bone? Suppatius: A' sapiẽtib. inquit, quæritãdis. Simul lib. v. de Prudentia: Papirius Cursor reuersus à Samnitibus insequendis, signa in urbem inferri iußit. Citra uero præpositionem gerundia isto ipso in casu iam actiuè, iam paßiuè usurpari, quis nescit? In prõptu sunt exempla tantum non infinita. Velut cum Fabius lib. ix. Suadendo, obiurgando, quærendo, laudando, miserando personas idoneas damus. id est, cum suademus, obiurgamus, quær mus, laudamus, miseramur. Et libro x. Copiam cum iudicio consequemur, optima legendo, atq; audiendo. id est, si optima legerimus, atq; audiuerimus. Adhæc paßiuè. Ceu cum idem ipse lib. ix. Memoria excolendo augetur. id est, dum excolitur. Neq; non Vergilius iij. Georg. Vritq; uidendo fœmina. id est, cum uidetur. Sed hæc (ut nuper diximus) multo sunt iam receptiora, quàm ut pluribus sint confir-

confirmanda exemplis. Itaq; præteribo, ne in superfluis diligentiam affectare uideamur.

Scribendum, cum uerbis puto, existimo, censeo, contra Vallam esse gerundium, non nomen. adhæc Latinè dici, docenda est Grammatica. tum formulæ quædam dicendi annotatæ: demum quot, & quibus modis gerundia septimi casus possint interpretari. Caput XIIII.

VOlo demũ Laurenti mihi dicas, idq; superpondiũ erit ad prædicta, cur scribendũ, tractandũ, significandum, & alia id genus, cum uerbis puto, existimo, censeo, gerundia esse non possint. An quia præpositione carent? Dicis enim: Illa autem participia sunt in nomen transeuntia, putaui ad te scribendum, existimaui eam rem tractandam, censui illud tibi significandum. id est, dignum scribi, tractari, significari. Euge Laurenti, dignus es tu quidem, qui alter Camillus omnino dicare. Quippe qui ut ille nomen Romanũ collapsum restituit, tu latinitatem perditam recepisti. Sed ut demus tibi, scribendum, tractandum, significandum, eo sensu uim nominis habere, si tamen habent: Num nam igitur Cicero ad Plancum, Etsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere, tamen hoc tempore breuiter te commonẽdum putaui: Num inquam Cicero tale quid ibi intellexit? Quod si, ubi scribi oportere dixit, scribenda, dicere potuit: rursus ubi cõmonendum, commoneri oportere: nempe, Etsi antea scripsi, quæ scribenda existimaui, tamen hoc tempore breuiter te commoneri oportere putaui: planè con-

stat,

ſtat, utrobiq; non uim nominis, ſed gerundij expreſſum iri. Super hæc pro Aul. Cluent. Ex quo illum condemnari neceſſe fuiſſe intelligetis. Et pro Sex. Roſc. Rectè maiores, eum qui ſocium fefelliſſet, in bonorum numero non putauerunt haberi oportere. Cum utrobique potuiſſet, Ex quo illum condemnandum fuiſſe intelligetis: &, Eum in bonorum numero non putauerunt habendum. Quid eſt cauſſæ, cur hæc, & alia id genus, eiuſmodi uerbis adiuncta, cum uel neceſſitatem uel officium ſignificent, non gerundia ſint cenſenda? An idem ipſe pro P. Sextio: Arbitror ſi non ſubtilius diſputandum, at certè dolentius deplorandum. Et pro Aul. Cluent. Acrioribus ſaluti ſuæ remedijs ſubueniendum putauit: non gerundijs uſus eſt? Sexcenta alia id genus exempla prudens præterco. Itaq; pari ratione, erroris conuincitur, cum ſubiungit, Petendũ, in carmine illo Vergiliano, Aut pacem Troiano ab rege petendum, minimè ſibi gerundium uideri. Quaſi uerò neceßitatem, ut prædicta, non pariter adſignificet. Reſoluitur enim, Latinis opus eſſe aut alia arma quærere, aut pacem petere ab rege Troiano. Neque ſtultitia eorum nobis obiter diſſimulanda, qui rectè, Latineq; dici minimè putant, Grammatica docenda eſt. Qui quoniam obſcuri nominis ſunt, ne nobis quidem nominandi. Quare ſtatim redarguẽdi. Plin. lib. xxxiij. Tantus erat docendæ oratoriæ quæſtus. Fab. lib. xij. Vt apparcat poſſe oratorem non diſcendo tantum iuri, ſed etiam docendo uacare. Ouid. lib. iiij. de Faſtis: Cauſſa docenda mihi eſt. Et Manilius lib. iiij.

Aſtron.

Astron. Magna est ratio, breuiterq; docenda. Itaque Macrobium hac eadem ratione, cõtra omnium quos uiderim, Grammaticorum opinionem, libro secundo de Somn. Scip. haud ueritum fuit dicere, Edoctio animæ motu Africanus in hæc uerba præcipit. Sunt alio qui rariores quædam dicendi figuræ hic nobis attingendæ. Quod enim trito (Latino tamẽ) peruulgatoq; loquendi modo extuleris, Athenas ueni ad acquirendum, uel acquirẽdam sapientiam: id æquè Latinè, sed non perinde usitatè reddideris, Athenas ueni acquisiturus sapientiam, acquirens sapientiam, de acquirenda sapientia, acquirenda sapiẽtia, acquirendæ sapientiæ, qui acquiram sapientiam. Tacit. lib. xvij. Veni postulaturus à uobis temperamentum uestræ fortitudinis. Liu. lib. xxiiij. Ex Leontinis legati præsidium finibus suis orantes uenerunt. Cic. lib. i. de Of. Regulus à Pœnis de captiuis commutandis Romam missus, reddendos non censuit. Tacit. lib. xi. Syllius dissimulando metu ad munia fori digreditur. Et libro xix. Antonius balneas abluendo cruore petit. Et lib. v. Data fides reddendæ dominationi uenisse. Et lib. ij. Venere in urbem, qui Vononem accirent. Sed gerundiorum septimi casus, quoniam multis scatent significationibus, haud prætermittẽdi, quin quemadmodum interpretentur paucis explicemus. Est, ubi per aduerbium temporis, & uerbum exponuntur. Cic. ad Lentulum: Videbatur reconciliata nobis uoluntas senatus, quod tum dicendo, tum singulis appellandis, rogandisq; perspexeram. id est, cum dicerem, & singulos appellarem.

larem, rogarem. Plaut. in Pœnulo: Modus muliebris nullus est, neque unquam lauando & fricando sumus saturæ. id est, dum lauamur, dum fricamur. Est, cum præter aduerbium, etiam coniunctionem causalem admittunt. Liu. lib. x. Ibi nec cessatum ab armis, nec graiter pugnatum, lacessendo quietos, resistentibus cedendo, comminandoq; magis, quàm inferendo pugnam, dies absumebatur. id est, quia dum lacesserent quietos, dum resistentibus cederent, comminarẽturq; magis, quàm pugnam inferrent. Est, cum solam effectiuam accipiunt. Plin. lib. xxxiiij. Lysippus statuariæ arti plurimũ traditur contulisse, capillum exprimendo, & capita minora faciendo, quàm antiqui. id est, quia capillum expressit, & capita minora fecit. Est, ubi conditionalem includunt. Fabius lib. iiij. Iudicem conciliabimus nobis, laudando eum. id est, si laudabimus eum. Plin. lib. xxxiiij. Vis eius delachrymationibus mordendo proficiens. id est, morsu, uel si mordeatur. Est, cum relatiuum comprehendunt. Idem libro xxix. Exuritur in olla cum sale, quem lingendo claritatem oculorum consequuntur. id est, quem qui lingunt. Idq; non solum in septimo, uerumetiam in genitiuo, & accusatiuo. Tacit. lib. v. Præcipuus olim circunueniendi Titij Sabini, & tunc luendæ pœnæ primus fuit. id est, præcipuus qui circunueniret Titium Sabinum, & primus qui pœnam luit. Cicero lib. ij. de Off. Atq; hæ sunt causæ diligendi grauissimæ. id est, quibus diligamur. Idem pro P. Sextio: Rem quæritis præclaram iuuentuti ad discendũ, nec mihi difficilem

ad per-

ad perdocendum. ideſt, præclaram quam diſcant, nec mihi difficilem quam perdoceã. Et pro Archia: Multas nobis imagines non ſolum ad intuendum, uerum etiam ad imitandum ſcriptores reliquerunt. id eſt, quas intueamur, quas imitemur. Eſt, cum ſignificant cauſſam, propter quam. Valer. Max. lib. ij. Dederunt M. & Decius filij Bruti gladiatorium munus patris cineres honorando. id eſt, honorandi cauſſa. Huc pertinent duo illa, quæ diuerſam in rem iam adduximus, Taciti exempla. alterum lib. xi. Syllius diſſimulando metu ad munia fori digreditur: id eſt, diſſimulandi gratia, alterum lib. xix. Antonius balneas abluendo cruore petit: id eſt, ob abluendum cruorem. Quorum omnium loco, quæ hactenus actiua in ſignificatione, & ſeptimi caſus recenſuimus, authores participijs in ans, uel in ens nihilo ſecius uti potuiſſent. Quin etiã participijs in rus, ubi cauſſam, propter quam oſtendunt. uti paulo antè iam probauimus. Eſt poſtremò, cum ſolo nomine commodius exponuntur. Quod genus Plautinum illud in Curcul. Ego & uapulando, & ſomno pereo. uapulando, id eſt, uerberibus. Et Ciceronianum pro Gn. Plancio: Erat non legibus, non diſceptando decertandum. id eſt, diſceptatione. Nec non Vergilianũ v. Aen. Superãda omnis fortuna ferendo eſt. Ridiculũ ſiquidẽ nimis fuerit, reſoluendo, dum ferimus. Igitur ferendo, id eſt, patientia, tolerantia. Et Plinianum lib. xxix. Palàm eſt, ut quiſquis inter iſtos loquendo polleat, imperatorem ilico uitæ noſtræ, neciſq; fieri. loquendo, id eſt, eloquentia. Quibus omnibus

nibus tam hic, quàm suprà ab initio allatis præclarissimè iam constat, quanta gerundijs cum nomine, quanta cum infinitis, quanta cum participijs intercedat naturæ communitas: quamq; ampla atq; opulenta sit hæc pars orationis: postremò, quãtum utilitatis ac splendoris latinitati afferat. Quo magis studiosos omneis, quorum caussa hæc scripsimus, adhortamur, ut partem hanc & quàm diligentissimè obseruent, & quàm familiarissimam sibi efficiant.

Atq; de gerundijs hæc satis, ac super.

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Octauus.

De Supinis. Caput primum.

ITEM superiori syntagmate disceptauimus plenam perplexitatis, plenam discordiarum. Nunc Supina nobis aggrediunda, negotium sanè plurimi tum sudoris, tum consilij: ambagũ autem non minus differta, quàm latebrosæ difficultatis. Argumẽtum alioqui dignum, in quo ueteres etiam illi neruos suos intenderent. Verum fit nescio quo fato, ut non omnia sciamus omnes. Tradidêre porrò Principes illi pleraque digna scitu, digna obseruatu, sed non pauciora posteris inuestiganda, atq; dijudicanda reliquêre. Etenim in omni artium genere cum pluri-

plurimum actum fuerit, semper tamen omnis posteritas habet quod agat. Excedit enim, multumq; superemineat humanæ captum cogitationis, rerum infinita multitudo. Fuère, scio, ueteres illi uiri quidem eruditissimi, homines tamen, quippe quibus non tota ueritas sese infuderit. Itaq; omnes ut fallere potuerunt, et falli, ita in rebus dubijs nemo eorum opinionibus perinde sese addicat, ut facultas libere dissentiendi non usque potior existat. Legunturq; sanè omnes, sed cum delectu. Neq; enim uis naturæ in nobis effœta est, ut ipsi nihil ex nobis parere possimus, sentiamusq; bonum esse, quòd rerum multitudine ac magnitudine uincimur. Nemo ad cognitionem ueritatis magis accedit, quàm qui intelligit, ubi multum profecerit, semper tamen sibi superesse quod quærat. Quapropter cunctis adnitendum, pallendum, sua cuiq; uis faciunda, ut nouo semper aliquo fœtu artem Grammaticam adaugeat, atq; illustret. Id nos in superioribus pro uirili præstitimus: idq; in sequentibus etiam facturos pollicemur. Supinaq; adeò (quæ tertia pars est reliqua) sanè digna nobis sunt uisa, de quibus & quàm accuratissimè, & quàm copiosissimè explicaremus. Scrupulum enim omnibus Grammaticis iniecêre adhuc inextricabilem. Sed nobis deo bene propicio, ita declarabuntur, præterea ut nihil desiderari queat.

Supina non esse nomina. *Caput II.*

VT nulla doctrina æquè necessaria est, ut Grammatica: sic nulla ferè corruptius, aut insyncerius ministrari solet. Vsqueadeò cuncta plena sunt contentionibus,

tionibus, differta rixis. Nam ut cætera hic prætermittamus, ecquid unquam sibi ipsi repugnantius, quid dissentaneum magis, quàm quod Priscianus ac Laurentius de supinis inter se digladiati sunt? altero ea esse nomina contendente, altero uerba. Quorum tamen argumenta si perpendas, nihil peræquè bliteum, atq; siculnum dixeris. Etenim Priscianus cùm alibi, tum uero præclara illa in sua Epitome mordicus tenet supina esse nomina, uel quòd sensu nihil à uerbalibus distant, uel quòd casus habere uidentur. Næ tu Prisciane dignus es, qui omnium Grammaticorũ deus nuncupêre. Sed fac idẽ omnino significare. num nam igitur fuerint nomina? An cum dicimus, eo uisurus amicos, ad uidendum amicos, uisum amicos, & uidere amicos, idẽ sunt, quia idẽ significant? Quo quid stolidius? qd absurdius? qd ociscitãtius? Super hæc quî casus habeant, cum præpositiones per appositionẽ accipere nullo modo queant? Est uero probandũ, quod idem ipse ais: Supina in um propterea sine præpositionẽ proferri, quòd quasi ad locum significationẽ habent. Quemadmodum nomina ciuitatũ, quæ cum ad locum significant, præpositione carent. Dij, quos coluisti Prisciane, te perdant, cum tua istac doctrina. Quid rationis, quid similitudinis habent nomina ciuitatum cum supinis? An illa nunquam cum præpositione ponuntur? Quid prohibet, quo minus rectè ac Latinè dicam, uado ad Romam? ad Brundusium? ad Neapolim? Rursus, uenio è Roma? de Brundusio? ex Neapoli? Cuiusmodi exemplorum referta sunt omnia. At uerò quis

rò quis dixerit, uado ad salutatum amicos? ad quæsitum oracula? ad ereptũ aliena bona? Nemo prorsus, nisi barbarus, & idem insanus. Ergo tua ista ratio Prisciane exibilanda est. Quando non propterea præpositiones repellunt, quòd quasi ad locum significationem habent, ut tu somnias: sed quòd uoces sunt suapte natura nullo modo casuales. Volo demum Priscia ne mihi dicas (& ratio hæc supinis fuerit communis cum gerũdijs) an ea esse nomina possint, quæ eosdem tum posteriores tum ulteriores casus regunt, quos & sua ipsorum uerba, ut participia, gerundia, & supina? Quòd si participia nulla re euidentius separantur à nomine, quàm transitiua uerbi constructione, quia ratio temporis in eis uacillare potest, constructio non potest, cur ea potius ratio ualeat in participijs, quàm in supinis, cum non minor dissociatio sit inter nomina & supina, quàm inter illa & participia? Quare his rationibus iam perspicuum sit, supina non esse nomina.

Supina non esse uerba. Caput III.

PRisciano autem longe diuersa tenet Laurentius, ut qui non iam nomina, sed uerba esse contendat. Deceptus, credo, authoritate Quintiliani, qui libro primo Institutionum, dictu & factu uerba dixit participialia. Quo prudentius nobis agendum, ne dum Laurentium redarguimus, in præstantissimum authorem quicquam obloquamur. Verum demonstrandæ huius ueritatis initium altius repetendum. In supinis duo sunt, quorum altero participijs, altero uerbis quàm

proximè accedunt, habitus & natura. Quapropter si natura apud optimum quenq; Grammaticum plerunq; accipitur, unde aliquid uel ducitur, uel oritur: ergo participijs, gerundijs, ac supinis idem fons est, eadem origo, omnibus è uerbo proficiscẽtibus. Quo fit, ut quatenus è uerbis initium, naturamq; omnia ducunt, eatenus etiam uerba rectè, ac uerò dici poßint. Verum si exitum, hoc est, si habitũ, ac faciem eorum significandi propius attendas, diuersa tibi statim forma occurrerit, diuersa persona. Quoniam alia est ratio significandi in participijs, alia in gerundijs, alia in supinis. nempe illis cum casu & tempore simul significantibus, his cum casu tãtum, supinis uero citra utrunque. Quæ summum columen latinitatis Quintilianus pulcherrimè tenens, idcirco supina dixit uerba participialia, nimirum congeminato nomine habitum simul & naturam eorum explicando. Non quòd uerba simpliciter intellexerit, ut Laurẽtius putauit, qualia amo, doceo, lego: sic enim non addidisset participialia: sed quòd sub habitu quodam, formaq; participij non minimam uim uerbi contineant. Vt cum audis uerba, naturam, originemq; eorum intelligas: cùm participalia, habitum formamq; agnoscas, quam ferè communem habent cum participijs. Quid, supina si uerba forent, nõnne eandem omnino cum illis definitionem acciperent? Hoc autem argumentũ tantam uim, tantumq; roboris habet, ut ne summa quidem excellentißimi scriptoris authoritas Quintiliani, quanquanta est, eĩ obsistere queat. Ergo si quod definitur, &

tur, & quod definit, summo utrinq; consensu recipro cantur, & conuertuntur: ut cui contingit hominem esse, eidē quadret animal rationale mortale esse: rursus, cui animal rationale mortale, eidem hominē esse: quoniam & definitum, & definitio, unam atq; eandem omnino rei naturam ostendunt: necessariō consequitur, ut cui conuenit esse uerbum, eidem congruat, cum modis & temporibus (quæ definitio est uerbi) significare. Ecquid pertimescis Laurenti? ecquid tergi uersaris? Nam si uerba sunt, cum modis et temporibus significent, necesse est. Nō significant autem cum modis & temporibus, non sunt igitur supina uerba. Vt non licet hominem esse, nisi idem existat rationalis et mortalis: sic nullo modo fieri potest, ut supinū sit uerbum, nisi idem cum modis & tēporibus adsignificet. Quapropter liquissimum iam sit, supina non esse uerba. Dico autem simpliciter uerba, qualia amo, doceo. nam hæc uera sunt uerba. Amatum uerò, amatu, doctum, doctu, natura quidem fluunt à uerbis, sed à simplici uerborum natura tantum discedunt, quantum definitionis deperdunt.

Supinum esse partem orationis per se.

Caput IIII.

NOminibus ergo supina cum non recipiantur, nec uerbis, relinquitur, ea partem esse orationis per se. Habent, non inficior, aliquid nominis, inquantum ei acceptam significationem referunt. Habent aliquid uerbi, ut structuram ab eo posteriorem, ulteriorem q; accipiunt. Habent aliquid participij, quatenus habi-

tu ac forma cum eo conueniunt. Sed quid hæc per se? At grauissimus author Quintilianus, inquies, ea dixit uerba participialia. Esto. Num nam igitur sunt uerba? Non hercle magis, quàm participia, quæ Priscia no referente, uerba casualia principiò fuere appellata. Nempe uerba, quatenus e uerbis formando, non minimam eorum uim trahunt, retinentq;. Casualia uerò, quatenus per casus, ut nomina declinantur: atque ob id nihil minus dicenda, quàm uerba. Vetustissimi enim duplicem in participijs naturam cernentes, nominis & uerbi, cum nullum aliud uocabulum, quo geminam eorum uim pariter exprimerent, in promptu haberent, uerba haud ineleganter dixere casualia. Quæ postea concinniori nuncupatione participia fuêre dicta. Quapropter si participia rectè à uerbis separata sunt, cur non separentur & supina, cum in eis ratio uerbi multo sit exilior? Itaque cum nulla alia in parte censeri possint, ipsa per se sint pars orationis, oportet. Sed hic mihi, sat scio, Aristarchus quispiam supercilioſus, aut Palæmon statim reclamabit: Tun', præter idoneorum Grammaticorum communẽ consensum, partes orationis plures, quàm octo, statues? His ego perpaucis respondsum uolo. Primum, quotusquisque est, cui tota unquam Grammatica ratio ac ueritas fuerit undecunq; perspecta, & cognita? Hic M. Varro, quo nihil doctius habuit Latina lingua, ut uerax, ac minimè sibi ipsi palpans, si rogetur, ecquantum Grammaticæ sapiat uix quotam eius partem sese tenuisse fatebitur. Cum tamen isti nostri

præ

pre Varrone mera nugamenta, nihil non statim sciant, omnia profiteantur. Deinde quis nescit, uel inter excellentissimos philosophos, non modo Grammaticos, de numero partium orationis nunquam post homines natos satis conuenisse? Quocirca permittant, obsecro, nobis, nec indignentur, noui aliquid, quod eos latuerit, depromere. Quòd si Tragicus ille uerum dixit, Sæpe etiam stultus fuit opportuna locutus: Nos nō usqueadeò insanimus, ut qd loquamur, nesciamus. Sæpe etiam sub pallio sordido sapientia est. Præterea tempus rerum optimus repertor est, atque adiutor. Quod Thales Milesius propterea sapiens dixit, quòd omnia inueniat. Sed quid supinum sit, non antea mihi definire placet, quàm totum hoc, quicquid de supinis disputaturi sumus, pertractauero.

De supinis in um. *Caput V.*

Vpinorum autem quoniam duplex forma, altera S in um, altera in u, de his primū scribere ordiar quæ in um exeunt: non quòd elegantia, aut dignitate alteris illis antecellant, sed quòd ordine ac natura præcedant. Cedendum præterea consuetudini. Nemo enim nō dicit, amatum amatu, doctum doctu. Quare quem ordinem natura, usus que dedit, in eis explicandis hunc sequar.

Supina in um uerbis motum ad locum significantibus ferè adiungi, & significationem ferè actiuam habere. *Caput VI.*

PRimæ igitur formæ supina uerbis motū ad locum significantibus plerunque accedunt, eaq; sibi tan-

quam propria requirunt, & ferè significationem habent actiuam, casusq; suorum uerborum tam posteriores quàm ulteriores sibi exigunt. Quæ quidem mea præceptio, etsi cæteris cum Grammaticis mihi satis constat, pluribus tamen exemplis mihi statuminanda est, quò plenius quibusdam perincertis stolidioribus, an uanioribus, satisfactum eam. Plaut. in Aul. Quod in rem tuam optimum arbitror, te id admonitum aduento. Rursus: Id te oratum aduenio, ut animo æquo ignoscas mihi. Idem in Bacch. Deos atque amicos ijt salutatum ad forum. Terent. in Eun. Hæc est, quam miles à me nunc ereptum uenit. Cic. lib. iij. de Orat. Imus ne sessum? etsi admonitum uenimus te, non flagitatum. Liu. lib. iij. Legati ab Roma uenerunt questum iniuras, & res repetitum. & libro vij. Samnites oppugnatum nos ueniunt. Et lib. xxviij. Gratias actum nos Saguntinus senatus ad uos misit. Significationem autem actiuam hæc inquam ferè habent, dum ne tamẽ è uerbis cõtrariæ significationis, neu sui passiuis profecta sint. qualia, uapulatum, gauisum, lætatum, & alia id genus. Quippe tum passiuam semper habeant, necesse est. Quale Plautinũ illud in Aul. Coctum ego, non uapulatum, dudum conductus fui. Non ego, inquit, conductus fui ut uapulem, sed ut coquam. Est interim, cum huiusmodi supinis posterior casus subtrahitur, isq; nihilominus cum præpositione ad, illis absolutis apponitur. Cic. in Pisonẽ: Ad Gn. Pompeium multi mortales oratum, obsecratumq; uenerant in Albanum, ne fortunas meas desereret. Potuisset enim,

Gn.

Gn. Pompeium multi mortales oratum in Albanum, obsecratumq; uenerant. Itidem Catullus: Varrus me meus ad suos amores Visum duxerat. Qui uel ipse, Varrus me meus suos amores uisum duxerat. Nec secus Liuius libro xl. Prætor Romanus M. Fuluium ad castra hostium speculatum misit, ut uiseret, quàta essent. Necnon Aul. Gell. lib. xij. Si de uetere inquam iure dicēdum fuisset, issem planè scisciratum ad istos, quos dicis. Quibus quidem omnibus locis tam suprà quàm hic adductis, authores gerundijs, necnon participijs in ans, uel in ens, atque etiam in rus terminatis absq; ullo discrimine in significatione actiua, uti etiā potuissent. Quo magis miror, quid Prisciano in mentem uenerit, ut compendiario illo suo in opusculo dixerit, supina in um imitationem quandam præ se ferre. Cum idem ipse libro octauo asseruerit, idem omnino significare, quod gerundia in dum. Quare sit prius Prisciani, nunq; sibi ipsi cōstare. Quo quid fœdius uiro sapienti, qualē ille se & esse & haberi cupiebat?

Alijs etiam uerbis supina in um, quàm ad locum significantibus nonnunquam accedere.

Caput VII.

Quoniam uerò Grammatici nunquam syncerius præcipiunt, quàm cum ad amussim authoritatis, ususq; omnia in primis dirigunt, exiguntq;: sanè intelligendum, Supina in um, contra Laurentij pertinacissimam opinionem, uel alijs uerbis, quàm ad locum significātibus, de authoritate summorum scriptorum coniuncta nonnunquam inueniri. Agè, cum Terent.

in And. Vbiubi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum tuum Pamphilum: num author iuxtà nobilissimus, ut latinissimus, supina hæc illiusmodi uerbis imposuit? Nihil minus. Neq; enim participia esse possunt, primum ob significationem actiuam, deinde quia transitiuè posita. Atq; hunc in modum exponuntur, Enitar ego tuum tibi Pamphilum, ubiubi erit, inuenire, atq; mecum adducere. Superi boni, [redacted] ~~pia, libro primo,~~ [redacted] ~~. in nostram sententiam manibus, pedibusq; discedit~~? Hoc dictũ oportuit, hoc dicere oportuit: Si quid rectè curatum uelis, si quid rectè curari uelis. Hic infinitum uerbum, inquit, supino commutatur. Quocirca Terentianũ illud in Phorm. Egon' tuam expetam amicitiam, aut te uisum, aut auditum uelim? & Plautinum in Cistell. Eas si adeas, abitum, quàm aditum malis. & illud in Persa: Dum stas, reditum oportuit. Rursus Terentianũ illud in Heaut. Mansum oportuit. Necnon illud in And. Aliquot me adierunt, ex te auditũ qui aiebant, hodie filiam meam nubere gnato tuo. Cur tali ac tãto authore uereamur hæc, ut certissima supina, sic interpretari? Egon' te uidere, aut audire uelim? Abisse, quàm adisse malis? Redisse, mãsisse oportuit? Ex te audisse qui aiebant? Sunt tamen nonnulli emunctissimæ naris, qui hæc uel infinita præteriti plus quàm perfecti impersonalium esse posse defendant. nimirum subintellecto esse, uel fuisse. Quid cum Plautus iterũ in Persa: Satis iam dictum

habeo.

habeo. Et Cicero in Philipp. De Cæsare satis dictum habeo. Et Gn. Pompeius in epistola ad L. Domitium: Cohortes, quæ ex Piceno & Camerino uenerunt, ad me missum facias. Num aliter exponendi, quàm satis habeo dicere, & fac ut mittas? Iam quis omnium mihi inficiatus fuerit, itum est, uentum est, migratũ est, subuentum est, succursum est, seruitum est: præterea misertum est, puditum est, pigitum est, pertæsum est, & alia id genus sexcenta: quin primo è supino, & uerbo substantiuo sint constituta? Nam quòd Laurentius, & Antonius Nebrissensis dicunt, do nuptum, do uenum, latentem in se motum habere, tota illi quidem (ut aiunt) aberrant uia. Quandoquidem nuptum, & uenum, illi uerbo coniuncta, nomina sunt, nõ supina. Eaq; figura dicuntur, qua do aliquid munus, uel muneri: do aliquid donum, uel dono: sic do filiam nuptũ, uel nuptui. Porrò autem uenum esse nomen, locupletissimus testis est Cornelius Tacitus, tum lib. xiij. Militibus immunitas seruaretur, nisi in ijs quæ ueno exercent: tum libro xiiij. Posita ueno irritamenta gulæ. Memini & Apuleium lib. ix. Met. dixisse: Altera die productum me uenui subijciunt. Sed id tanquam uerbale protulit. Venum tamẽ cum uerbo eo coniunctũ, uim supini habere non negauerim. Obseruandum postremò, supina cum uerbo substãtiuo composita, uim supini deponere, uerbaq;, ut sic coagmentata, planè existere. Longe siquidem aliud est, subuentum, aliud subuentum est. nempe illud supinum, hoc uerbum. Quapropter cum Cicero ad Att. lib. i. scribit, Huic

rei

rei subuentum est à nobis. Caue credas, posteriorem casum à subuentum supino regi: neque enim potest. sed à subuentum est, quod est uerbum, idq; præteritū perfectum impersonalis, omnino pendere. De quo genere toto, ubi de infinitis, iam disputauimus.

Supina in um è uerbis actiuæ, perquàm rarò passiuam habere significationem. Cap. VIII.

ALter uerò locus, quo superior illa regula nonnihil contracta fuit, est: supina in um eisdem illis adiuncta uerbis, non usq; actiuam, sed interim passiuam habere significationem. Quæ res etsi oppidò quàm rara, instarq; monstri, annotanda tamen fuit. Aul. Gell. lib. iij. Q. Mutium iurisconsultū dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem calendis Ianuarijs, quæ cum apud uirum matrimonij caussa esse cœpisset, ante diem quartum calendas Ianuarias sequentes usurpatum isset. id est, usurpata fuisset. Quæ uerba non tam Gellio, quàm ipsi Mutio accepta ferenda sunt. Alterum exemplum, idq; illustrius, apud Martialem obseruaui. Sedetenim quia uerbum plenum turpitudinis est, honoris caussa, silentio inuoluendum censui. Locum tamen si quis perfricta fronte uidere percupiat, librum undecimum, epigrammate, quo in Paulam inuehitur, per me petat, licet. At uerò doctum iri, amatum iri, lectum iri, & alia id genus propè innumera, quæ nonnulli huc adducunt, nihil ad Bacchum. Quo maior mihi reprehensione dignus uidetur Priscianus, qui lib. viij. Omnibus istiusmodi supinis similiter passiuam atq; actiuam nimis ex æquo

nulloq;

nulloq; discrimine significationem attribuit: perinde quasi utroq; uersum apud omnis generis authores usitata reperiantur. Cum tamen nullis ibi Latinis exemplis (nam Græci iuxtà supinis & gerundijs carent) præceptionem suam, uti par erat in tanta re, nec sulciat, nec illustret. Sed extra cantilenam (ut est in prouerbio) nescio quid è Græcis somnians, balbutit. Vt minime iam sit mirum, si deridiculus plerunq; habetur. Quia dum totus pendet à Græcis, Latinum quid uelit, non animaduertit. Quare supinis in um (his tamen semper exceptis, quæ suprà iam annotauimus) ego passiua in significatione aut perquàm rarò, aut nunquam utendum censeo.

Scitum esse, ac perelegans dicendi genus, perditum eo, defensum pergo, pro perdo, defendo.

Caput IX.

HEu supina nostræ tempestatis Grammaticorum ingenia. Ecquis, ecquis relictis à tergo Priscianj, relictis Laurentij bonis inuentis, in anteriora nitens, noui aliquid è tenebris eruit: cum propè innumera sint, quæ seruata optimis authoribus, ignorata superioribus Grãmaticis, proh pudor, mortua, sepultaq; iacent? Nam ut cætera prætermitã, quid eo dicẽdi genere pulchrius, qd elegãtius, quo maxima illa latinitatis lumina usi sunt, perditum eo, pro perdo: ereptũ eo, pro eripio: ornatũ eo, pro orno? In quibus uerbum eo nõ iam ullum motum localẽ ostendit, uerum depositæ eius motus significatione, unum cum supino factum est uerbum, idem omnino significans, quod ipsum,

unde

unde supinum deductum est, uerbum. Et tamen oscitabundi ocio obmarcescimus, dum assecutos arbitramur: ipsiq; nobis pulchri uidemur, dum nihil supra Priscianum, nihil supra Laurentium sapere audemus. Quin afferamus ipsi iam exempla, quibus tam scita, tamq; Latina ac perurbana dicēdi figura inclarescat. Sallustius in Iugur. Neq; ego uos Quirites hortor, *ut malitis ciues uestros perperam, quàm rectè feciſſe: sed ne ignoscēdo malis, bonos perditum eatis. Hic autem quis bene literatus, perditum eatis, aliter exponat, quàm perdatis? Aul. Gell. lib. ix. Verba hæc sunt Demosthenis, aduersus eum, qui peccatum suum peccatis alienis exemptum, purgatumq; ibat. Et libro xiiij.* Meæ noctes, *quas instructum, ornatumq; isti, de uno maximè uersu Homeri quærūt. Hic uerò nónne utrobiq; eandem figuram expreßit, cum tamen neutrobi sensum illum communem intellexerit, sed alterum perinde sit, quod eximebat, purgabatq;: alterum, instruxisti, ornastiq;? Nec Apuleius huius elegātiæ ignarus fuit. Nam eo in libro, cui titulus de deo Socratis: Incœpta Socrati quæpiam dæmon ille prohibitū ibat. Vbi prohibitum ibat, quid, nisi prohibebat? Suus autem cuiq; dæmon est animus uirtute perfectus. Hic Socratē prohibebat. Iam uerò quid eo Aul. Gellij exemplo illustrius, cum lib. vij. M. Catonem Rhodios propugnantem adducit? in hæc uerba: Legati Rhodiorū postquàm de curia exceſſerunt, sententiæ rogari cœptæ. Tum M. Cato exurgit, & optimos, fidißimosq; socios defensum, conseruatumq; pergit. Num forte*

M. Cato

M. Cato Rhodios defensurus, de curia aliquò perrexit? Minimè omnium. Quid ita? Nimirum quia senatores in curia sententias rogati, sessu prius exurgentes, eodemq; loci permanentes, stantes ipsi quidem sententias suas dicebant. Ergo defensum, conseruatumq; pergit, aliud nihil est, quàm defendit, conseruatq;. Idq; ipsum etsi paulo insolentius dictum uideri potest, obseruantissimus tamen incorruptæ ac uernaculæ illius latinitatis Aul. Gellius, haud dixisse censendus, nisi instar apud unum quempiam summæ existimationis authorem comperisset. At quo piaculo Plautinum illud in Casina prætream? Argentũ si quis dederit, ultro ibit nuptum. id est, nubet. Quid eo uenũ, pro uenundor? Liu. lib. iij. Legem fecerunt, ut qui decemuiris nocuisset, eius liberi, liberæq; uenũ irent. id est, uenundarentur. Aul. Gell. lib. iiij. Sues fœminæ si steriles essent, et uenum issent, ex edicto ædilium posse agi. id est, si uenditæ fuissent. Atqui ne alter ille quidem scitissimæ huius dicendi figuræ intellectus, quem idem ipse Aul. Gellius quà eruditissimus quà diligentissimus obseruauit, nobis prætereundus, cum scilicet conatum nescio quem, ac molimen adsignificat. Velut cum Plinius Cæcilius in Panegy. Ereptum alienas pecunias eunt, perdant quas habent. id est, si per delationes alienas rapere moliuntur, perdant sua. In quem sensum uel Tacitus libro xv. Quintianus à Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat. Quæ ipsa quidẽ omnia in hũc usq; locum adducta, etsi certissimam fidem iam faciunt, perditum

eo, &

tißimo matellam porrigere ne digni quidem forent. Diſcindunt autem, quòd infinita uerbis motum ad locum ſignificantibus nonnunquam appoſuerit. Id autem barbarè ac inſolenter nimis factũ uideri. ut cum dicit, Non ueni ſoluere legem, ſed adimplere. et, Vado immolari. Fuiſſe autem omnino utendum uel ſupino, uel gerundio. O rabidi canes, ô uenenoſißimæ aſpides. Num cogitant, quid dicant? Nam ut taceam, quòd excellentißimi quidam, exactißimiq; iudicij homines inexpugnabilibus argumentis euincunt, peruulgatam illam noui teſtamenti editionem non eſſe diui Hieronymi, perinde tamen atq; Hieronymi ſit, luculentißimis exemplis oſtendamus nos, infinita uerbis motum ad locum ſignificantibus pro ſupinis uel gerundijs rectè Latineq; apponi: ſimulq; illuſtrißimũ authorem uindicemus. En tibi Plautus in Curcul. Nam paraſitũ miſi nudiuſquartus in Cariam petere argentum. Idem in Bacch. Paraſitus uenerat modò aurum petere. Rurſus: Senex in Epheſum ibit ſibi aurum accerſere. En Cic. lib. xiij. ad Atticum: Miſi equidem ei nunciari. En Varro lib. ij. Rerum ruſt. Cum Petam feſſum uiſere ueniſſemus. En Liu. lib. xxiiij. Se miſſos rogare Annibalem, ut exercitum propius Tarentũ admoueat. En Tacit. lib. xvij. Milites quaſi Procorum ſolio depulſuri, ac non Imperatorem ſuum trucidare pergerent, forum irrumpunt. Et mox: Trucidare pergunt Sempronium. En Aul. Gell. lib. vi. Gn. Flauius dicitur ad collegam ueniſſe uiſere ægrotum. & libro xij. Pergit eum properè uidere. Quid, quòd poëtæ omnes ad

unum eo dicendi genere ubiq; scatent? Sunt igitur barbari tot luculentißimi latinitatis authores. Qui cum infinita uerbis motum ad locum significantibus copulare minimè sint ueriti, aut ipsi barbarè, nimisq; insolenter feciſſe accuſandi, aut certè in eo dicendi genere Hieronymus, ac cæteri Hagiographi rectè Latinéq; ſuiſſe locuti ſunt dicendi.

De ſupinis in u. Caput XI.

Equitur altera illa forma heu quàm perplexibilis, Squàm lacinioſa. Pauci, immò uerò nulli (ut ego arbitror) adhuc eius naturam ſatis explicarunt. Nam quid ego referam, quid princeps Grammaticorum Priſcianus, princeps autē de his ſcripſerit, cum nuſquam aridus magis, nuſquam infantior apparuerit? Vnus ſupereſt magnæ ſpes altera Romæ, Laurentius. Sed hic quoq; è portu egrediēs, ſtatim impegit. Quanquam non iuerim inficias, elegantiora quædam, quàm Priſcianum, tradidiſſe. Verum dum omnibus paßiuitatem quandam ſubeſſe contendit, & ea quidem uult nominibus quibuſdam adiectiuis eſſe tantum applicabilia: inq; eo totus hæret, non animaduertit uir alioqui acutißimus, ſed ipſe ſibi nimium fidens, maximam quidem eorum partem ac rationem à ſe fuiſſe prætermiſſam. Multo nanq; latius huiuſmodi ſupina ſeſe fundunt, quàm ut illi ſignificandæ paßiuitati ipſa ſe tantum adſtringant, quamq; ut ſolis eiuſmodi adiectiuis ſeſe adiungant: plurimis eorum ſimul actiuè, ſimul paßiuè ſignificare uolentibus: nonnullis actiuè tantum: partim etiam num paßiuè tantum. Applicabilia uerò*

uerò partim nomina esse possunt adiectiua, partim substantiua, sed perpauca: partim ipsa uerba. Et quoniam hæc nostra disputatio fermè tota in Laurentium tendit, atq; adeò in eius sectatores, sanè primum quid hic rectè, Latineq; senserit, explicabimus: tum quæ contrà ueritatem sensisse animaduerterimus, singillatim refellemus: in calcem usq; sic disputantes, ac si nullus sit nobis scrupulus, nulla dubitatio, quin uera sint, ac legitima supina. Postremò quid ipsi à ueritate sentiamus, paucis apponemus.

Supina in u, è uerbis actiuis, communibus, pleraq; è neutris, ac deponentibus, nominibus adiectiuis applicita, passiuam habere significationem. Caput XII.

QVoniam igitur Laurentius generalem facit præceptionem, in primis sanè uidendum, quatenus illa ueritati adhæreat. Ac primum non inficiamur ipsi quidem, omnia huiusmodi supina (uide Laurenti quantum tibi concedamus) è uerbis actiuis, communibus, adhæc pleraq; è neutris, ac deponentibus, eiusmodi nominibus adiectiuis applicita, qualia rarus, facilis, iucundus, turpis, durus, obscœnus, honestus, utilis, optimus, formidolosus, suauis, paruus, dignus, pulcher, effabilis, & similia, passiuam semper habere significationem. Hoc inquam tibi cõcedimus. Sed quòd omnia supina in u, quæcunq; sint illa, passiuam semper habeant, & adiectiuis semper accedant, hõc summa quidem cum asseueratione pernegamus. Superiori autem præceptioni cum pleraque alia, tum quæ hic

annotauimus, subscribunt exempla. Plaut. in Pseud. Herbas congerunt formidolosas dictu, non esu modo. Cic. pro Planc. O rem tum auditu crudelem, tum uisu nefariam. Tacit. lib. iij. Brundusium fidissimum appulsu erat. Liu. lib. iiij. Moderatu difficilem. & libro xxxviij. Id incœptum conatu, quàm effectu grauius fuit. Plin. lib. x. Non in rouissimũ digna miratu auc. & libro xvi. Abies hilarior intuitu. & libro xxix. Quæ prouidit Cato, parua sunt opinatu. Cic. lib. ij. Tusc. Multa perpessu aspera. Aul. Gel. lib. i. Sunt quædam difficilia scrutatu. & lib. xvi. Municeps, & municipia, uerba sunt dictu facilia, & usu obuia. Quibus omnibus locis (significationem enim, ut diximus, habent passiuam) uel infinitis passiuis authores uti potuissent. Id quod ne forte cui absurdum uideatur, cur enim uel hanc partem non fulciamus? en de multis pauca tibi statim exempla. Val. Max. lib. iiij. Ardua imitatu, cæterum cognosci utilia. Idem lib. v. Dignosci arduum est. Fab. lib. x. Lyricorum Horatius ferè solus legi dignus. Plin. lib. xix. Facilia concoqui. Pomponius Mela lib. i. Oestros fluuius nauigari facilis. & lib. ij. Borysthenes potari pulcherrimus. Aul. Gellius lib. vij. Digna quæri, tractariq;. Atque ut his omnibus locis supina collocari potuissent, ita perspicuum iam sit, huiusmodi supina, quæ diximus, cum adiectiuis coniuncta, significationem semper (nisi quid me fallit) habere passiuam. Ad hunc modum Laurētius si præcepisset, & Academica illa dubitandi modestia potius quàm Stoica affirmandi arrogantia uti uoluisset,

luisset, multo sibi, ac rebus suis cõsultius prospexisset. Verum dum artem ubiq; tanquã Lesbia regula ipse sibi accõmodat, nec suo sese modulo ac pede metitur, quid non? Itaq; reliquum quicquid est huius disputationis, aduersus Laurentium conscribatur. Faximq; intelligat, Saturnium in hoc esse natum, qui eius intolerabilem proteruiam retundat.

Inscitè factum à Laurentio, qui negauit supina in u per uerbalia rectè, Latineq; exponi posse. atque inibi, quanta sensus communitas inter supina & uerbalia. Cap. XIII.

REdargutione Laurentius primum dignus, quòd supina pro uerbalibus accipi, uel idem significare, nullo modo posse contendit. Vt cum Priscianus dicit: Accipitur uenatu, pro uenatione: sicut miserabile uisu, pro uisione. In quo Laurentius quia nimis pertinaciter hæret, haud paucis ineptire ostendendus. Proh diuûm atq; hominum fidem, ecquæ maior uel cognatio uel communitas demonstrari potest esse inter supina & uerbalia, quàm quòd altera pro alteris eodem in sensu collocari possunt? An cum Cic. lib. i. de Off. Quod operæ in rebus cognitione dignis ponetur, id iure laudabitur. Rursus ad Dolabellam: Oratiunculam pro Deiotaro uelim sic legas, ut inopem, nec scriptione magnopere dignam. Non utrobique uerbali pro supino usus est? Non & Plin. lib. xxxiij? Opus proscriptione dignum. & Aul. Gell. lib. xij? Dignus sanè Seneca uideatur lectione. Quibus omnibus locis uerbalia quid ni passiuè, & eundẽ in sensum ac

modum exponantur, ut supina? Quid cum idem Plinius lib. vij. Animantium in eodem natura nullius propè partis contemplatione minor. Et mox: Paruũ dictu, sed immensum æstimatione. Non itidem uerbali pro supino? Etenim per Laurentium dicendum fuisset, contemplatu minor, immensum æstimatu. Quid Val. Max. num barbarè locutus, cum lib. ix. Nec ipsa uerba relatione familiaria, quia dictu fastidiēda sunt? Vbi relatione quis non positum accipiat, pro relatu, hoc est, quæ referantur, uel ut referãtur? Quid, quòd huiusmodi uerbalia uel aliter constructa, eadem etiam num passiuitate uigent? Vt cum Plin. lib. xxiij. Decoctura eorum cœliacos iuuat, potione. Et lib. xxvij. Semen impositione, spicula è corpore eijcit. Vbi potione, impositione, quid aliud sibi uolunt, quàm potu, & impositu, aut pota, & impositum: hoc est, si potetur, si imponatur? Denique Moderatus Columella cum lib. v. Vlmus ubi translationi iam idonea est, rectè seritur. Et Iulius Obsequens lib. de Prodigijs: Taurus cum ad immolationē duceretur. Cur illud non exponendũ, ut trãsferatur? hoc, ut immolaretur? Iam'ne igitur sentis Laurenti (sic enim tecum agam, ac si in uiuis ageres) iam'ne sentis, his te exemplis iugulatum? Non uides, ut passiuitas illa perinde uerbalibus, atque supinis communis existat? Cum ergo nihil refert, utrum quis dicat, res rara inuentu, an inuentione, quoniam utriq; subest eadem passiuitas uerbi, & idem sensus: quidni rectè supina pro uerbalibus, & uerbalia pro supinis accipiantur?

Pleraque

Pleraq; in u supina, è neutris ac deponentibus activam habere significationem.

Caput XIIII.

NOn omnia autem supina in u passiuam habere significationem, cùm ipsa multorum uerborum repugnans natura ostendit, tum uerò præclara, quæ subscripsimus, comprobant exempla. Liuius libro i. Illud est salubre, documenta intueri, unde tibi, quod imitere, capias: unde fœdum incœptu, fœdum exitu, quod uites. Hic ego te, hic te appello Laurenti. Quis omniũ mihi aliter exponat fœdum exitu, quàm fœdum ut exeat? Rursus eodem lib. Eo tempore in regia prodigiũ uisu, euẽtuq; mirabile fuit. Et lib. xxxv. Consilia audacia prima specie læta sunt, tractu dura, euentu tristia. Vel hoc quis non exponat, mirabile ut eueniret, tristia ut eueniant? At uero exemplum illud Taciti lib. xv. quàm est præclarum, quàm memorabile, Cæsar rarus egressu. Alioqui Plinianum illud tum libro xiiij. Forenses uuæ celeres prouentu, uẽdibiles aspectu, portatu faciles. Tum lib. xvij. Omnia hæc tarda prouentu. Obsecro, quis tam pingui, uel inueterata laboret ophthalmia, qui egressu, qui prouentu passiuè exponat? Iam alter Plinius in Panegyric. cum dicit: Occursu terribilis. Adhæc lib. Epist. v. Piscina strepitu uisuq; iucunda. Num occursu ac strepitu aliter, atq; activè interpretari possunt? Nempe cum occurrit, dũ strepit? Nec est hic mihi quòd pervicacior aliquis obstrigilet, At hæc nullo pacto supina sunt. Etenim qua ratione mihi exitu, euentu, egressu, pro-

uentu, occursu, ac strepitu, supina esse pernegarint: eadem ego illis, uisu, auditu, tractu, aspectu, & id genus, supina esse inficiabor. Atque ita clauum clauo, iuxta uetus prouerbium, retundam: & malo nodo, non malus cuneus non deerit. Nulli ad ueritatem reluctantiores existunt, quàm qui ad nonnullorum opiniones, uelut ad oracula obstupescunt. Passiuitas igitur, quantum colligere possum, nõ ipsa supinum facit, sed uerbi natura, quam usus probauit, authoritas confirmauit. Hinc etiam maximè falsum apparet, quod dixit, Ex duobus supinis alterum actiuo, alterum passiuo uerbo tribuendum. ut Amatum sit ab amo, amatu uerò ab amor. Hoc si accipimus, iam omnia uerba, quæ passiuum non habent, supinis in u careant necesse est. Quod quàm ridiculum, quamq; absurdum, quis non uidet?

Substantiuis quibusdam supina in u nonnunquam accedere. Caput XV.

PAssiuitate Laurentius, & adiectiuis totum istuc de supinis negotium, tanquam duabus ancoris se confidentissime putauit. Sed quàm perspectè ac prudenter, nulli non iam liquet. Neq; enim solis adiectiuis accedunt. Nisi fortasse Terentius ineptisse dicendus, cum in Heautont. Ita dictu opus est, si me uis saluum. Et in Adelphis:

Si illud quod est maxumè opus iactu, non cadit,
Illud quod cecidit fortè, id arte ut corrigas.

Adhæc Cic. lib. i. de Inuent. Non longius, quàm scitu opus est, in narrãdo procedetur. Quæ tria qua causa etiam

sa etiam actiuè intelligi non possint, equidem non uideo: nimirum dicere, iacere opus est, & scire opus est. Etenim fieri potest, ut fallar. Sed cùm idem scribit ad Lentulum: Quòd scire uis, qua quisque sit in te uoluntate, difficile dictu est de singulis. Præterea in Lælio, Ad calamitatum societates non est facile inuentu, qui descendat: Quæso quid prohibet, cur hæc nõ exponantur actiuè? sic: De singulis difficile est dicere: &, non est facile inuenire. Nempe eodem modo, quo idem ipse & lib. i. Tuscul. Hominum quanta sit mens, difficile est existimare. Et de perfecto Orat. Esse igitur in oratione numerum quendam, non est difficile cognoscere. Quibus locis cum existimatu, & cognitu dicere potuisset, quis non uidet, quin per infinitum actiuum etiam rectè exponi queant? Hæc tamẽ ut non definierim, sic ualde opinatus fuerim. Accedunt præterea hæc substantiua, fas, & nefas. Cic. lib. v. Tus. Sed hoc fas est dictu. Ouid. libro iij. Fast. Ecce nefas uisu.

Rectè, Latineq; dici; uenio lectu.

Caput XVI.

VErùm qui semel à ueritate deflexit, hunc oportet bene delirum esse. Itaq; eadem illa phreneſi Laurentius pernegat, supina in u uerbis motum de loco significantibus ullo modo rectè coniungi. O caput tota dignum Anticyra. Quousq; tandem furor iste tuus bonos omneis eludet? Vsqueadeone malè sensisti de uetustißimis illis, ut suo è capite genus id dicendi effinxerint, cum illustrißimos latinitatis authores eius

locutionis ſubſcriptores habeant? En tibi exempla. Plaut. in Caſina: Redit obſonatu eius adiutor. Idem in Menæch. Ego obſonatu redeo. Cato in Re ruſt. Primus cubitu ſurgat, poſtremus cubitũ eat. Et Papinius libro i. Achill. Quem tunc uenatu rediturum in limine primo Opperiens. Sed hic Saperdæ quidam, inter quos Antonius Nebriſſenſis, ac Bethycus neſcio quis, obſonatu, cubitu, ac uenatu, huiuſmodi in locutionibus minimè ſupina (ſi dijs placet) eſſe contendunt: ſiue quòd idem ſignificent, quod nomina: ſiue quòd eiuſdem formæ uerbalia reperiantur. Diui boni: quouſque tandem huiuſmodi portenta ſuper terram ſuſtinetis? Cur eodem igitur argumento obſonatum eo, cubitum & uenatum eo, non ſint nomina? Sedenim iſti, non hercle ueritatis ipſius tuendæ cauſſa (nam mox paulo, quid ego ab ea determinatè ſentiam, paucis abſoluam) ſed oſtendendi, quàm friuolis ac bliteis nitantur argumentis, ſuo ipſorum gladio mihi ſunt confodiendi. Eho Grauiſſimi uiri, poteſtis mihi ullam interiorem, ac certam rationem afferre, cur ſupina ſint potius, cum ſignificationem habent paßiuam, ad iectiuis applicita, quàm cum actiuam, eiuſmodi uerbis adiuncta? Vel poſito aliquo genere, appoſitiſq; differentijs, poteſtis mihi definire, quid ſupinum ſit? Nam ſupinum adhuc nulli Grammaticorũ definitum eſt. Quòd ſi nihil explicati, nihil certi habetis, & natura eius adhuc inuoluta eſt, ecquid eſt igitur cauſſæ, quamobrem dignus lectu ſupinum ſit potius, quàm uenio lectu? Velitis ergo, nolitis, aut mihi dabitis, redeo uenatu,

deo uenatu, supinum: aut eo uenatum, esse nomen. Alterutrum enim faciatis, oportet. Quod si posterius mihi negabitis, superius igitur supinum fateamini, necesse est. Quid, cum dico, Apes eunt pastũ, non'ne supinum asseritis? Apes uerò eunt ad pastum, non'ne nomen? Bene habet. Vtrunq; enim eodem sensu rectè, Latineq; usurpatur. Varro lib. ij. Rerum rust. Matres cum grege pastum prodeunt. Idem lib. iij. Non omnis tempestas ad pastum prodire apes patitur. Animaducertitis, ut idem intellectus utrobiq; existat: et tamen alterum supinum, alterum nomen? Quapropter si dederitis mihi illud supinum, quia sit citra præpositionem: hoc uero nomen, quia cum præpositione: cur idem non statuatur inter redeo uenatu, & redeo è uenatu? Vt præpositio ipsa, non significatio, discerniculum sit ueluti quoddam, quo utrunq; discrimineturab altero. Iam uenatu rediturum dixit Papinius. Redeo autem è uenatu, quidni ea figura Latinè dicatur, qua maximum latinitatis lumen M. Varro libro ij. dixit, Cum redierit è pastu? Sed ego ineptus: ut qui friuolis huiusmodi in rebus perinde laborem. Illud potius annotandum, præstantißimos authores uerbalibus in io eodem seruato sensu, pro supinis nescio quo modo libentius ac frequentius usos esse. Itaque superior illa supinorum utendi ratio etsi perelegans, Latina, atq; exosculanda: quia tamen usu non admodum trita est, ea studiosis omnibus uel parcius utendum censuerim. Cæsar lib. ij. Gall. bel. A decimæ legionis cohortatione profectus. Liu. l. b. v. Redeuntes à populationibus.

pulationibus. Idem lib.xxxiij. Ab oppugnatione receſſum. & lib.xxxviij. Aetoli à populatione Acarnaniæ Stratum redierant. Val. Max. lib. viij. Ab exercitatione uenientem. Suet. in Nerone: Ex aurigatione reuerſum. Idem in Galba: A frumentatione rediens. Sen. lib. i. Suaſor. Ab hominis auditione uenientem. Atq; his omnibus iam liquidò clarere arbitror, quod maximè intendebamus, Supina in u & uerbis motum de loco ſignificantibus nonnunquam accedere, & uerbalibus quoquo modo ſignificatione perſimilia eſſe.

Supina in u alijs etiam uerbis, quàm de loco ſignificantibus, paſſim coniuncta reperiri. Cap. XVII.

Nunc Laurenti, et præclaram illam præceptionem tuam iacta. Quid, quòd ſupina in u alijs etiam uerbis, quàm de loco ſignificantibus, id quod tu maximè negabas, paſſim coniuncta reperiũtur? Quæ res quoniam à nullo Grammaticorũ adhuc monumentis tradita eſt, & latinitati non minus tempeſtiuæ commoditatis affert, quàm exquiſitæ dignitatis, haud paucis quidem nobis pertractanda eſt. Eſt autem modus, quo non res, non ſubſtantia, nõ qualitas ulla, ſed actiuitas quædã uerbi tãtum, aut paſſiuitas exprimitur: quam alioqui eodem ſeruato ſenſu, uel participio, uel gerundio efferri liceret. Prorſus, ut nihil latinius dici queat. Cic. lib. iij. de Off. Reditu in caſtra liberatum ſe eſſe iureiurando interpretabatur. id eſt, redeundo, uel quòd rediſſet. Papinius lib. viij. Theb. Quis tanta

relatu

relatu æquet? id est, Quis tanta referens, aut referēdo æquet? Plinius lib. viij. Ranæ rubetæ plurimis refertæ medicamentis deponere ea quotidie, ac resumere pastu dicuntur, uenena tantum sibi reseruantes. pastu, id est pascendo, uel pascentes. & lib. xi. Cochleis oculorum uicem cornicula bina prætentatu adimplent. id est, prætentādo uel cum prætentant. & lib. xxix. Nos hæc etiam auditu fastidimus. id est, audiendo, uel audientes. Ouid. xiiij. Met.

Mille lupi, mixtiq; lupis urſiq;, leæq;,
Occurſu fecere metum. id est, occurentes, uel occurrendo. Pomponius Mela lib. iij. Hanno Carthaginenſis non se mari, sed commeatu defeciſſe, memoratu retulerat. id est, memorans, uel memorando. Et Macrobius lib. iij. Saturn. Profer in medium, quæ lectu comperisti. id est, quæ legens, uel legendo comperisti. Vides, quanta sensus, quanta naturæ conuenientia inter sedat supinis cum participijs, ac gerundijs? Sed actiua in significatione hæc hactenus. Quæ sequuntur. in passiua. Colum. lib. vij. ubi de Canibus: Villæ custos eligendus est amplissimi corporis, & uasti latratus, ut prius auditu maleficum, deinde conspectu terreat. id est, ut prius maleficum terreat auditus, uel audiendo: deinde conspectus, uel conspiciendo. hoc est, cum auditur, ubi cōspicitur. Plin. lib. xxxi. de aquis: Hæc insidiosa conditio, quòd quædā etiā blandiuntur aspectu. id est aspectæ, uel aspiciendo, uel si aspiciantur. Idem lib. xxxvij. Smaragdi, soli gemmarum contuitu oculos implent. id est, contuendo, uel dum contuentur. &

tur. & lib. xxiiij. Viſco, quidam ulcera commanducatu, impoſituq; efficaciſſimè ſanari putāt. id eſt, ſi commanducetur, imponaturq;. Inibi: Styrax cit menſes potu, appoſituq; aluum mollit, hoc eſt, ſi potetur, ſi apponatur. Et mox: Sonitus aurium emendat infuſu, ſtrumas illitu. hoc eſt, ſi infundatur, ſi illinatur. Papinius libro i. Syl. Et uiſu ſatyros torquetis amantes. Quid eſt uiſu torquetis, niſi uidēdo, uel uiſæ, uel cum uidemini? Tanta ſcilicet eſt affinitas naturæ. Et cur ſupina participijs ac gerundijs non commutemus, cum hæc ſupinis uiciſſim commutari queant? An cum Plin. lib. xxiiij. Corymbi quoq; poti, uel illiti lienem ſanant: non horum loco, potu, uel illitu dicere potuiſſet? & lib. xx. Portulaca aliàs manducata refrigerat interiora. Quidni, māducatu refrigerat? Adhæc cum Verg. ij. Georg. Ea nec manſueſcit arando: cur non manſueſcit arata, uel aratu? Quemadmodum Plinius libro xvij. Manſueſcunt tractatu. id eſt, tractando, uel ſi tractentur. Vt cum uel lib. xxxiiij. Quodcunq; genus lauando fit utilius: cur non lauatum, uel lauatu fit utilius? Sed longiores impendiò fuerimus, ſi quotquot comprobandam ad hanc ſympathiam faciunt, ac ſuppetunt, recenſere uoluerimus. Quare his tam certis, tamq; præclaris exemplis iam deſinant inſanire Grammatici: Laurentioq; tantum tribuant, quantum uiro ſanè docto, quiq; multa, non qui omnia ſciuerit. Pars optima ſapientiæ eſt, non opinari te ſcire, quod neſcias. Nunquam errat, qui ſe neſcire nō ignorat. Vbi nimium ipſi nobis tribuimus, & ſolos Attica

mella

mella manare putamus, plerunq; dum argutiores ac sapientiores uideri uolumus, fallente nos ueritate, stultiores apparemus. Quid, quòd uel Cornelius Tacitus in Agricola? Pudet dictu id est, ut dicatur. Adhæc Papinius lib. ix. Theb.

Iamq; ferè medium Parnasi frondea præter
Colla tenebat iter, cum fratrem nube coruſca
Aſpicit, haud ſolitum uiſu. id eſt, uideri.

Supina in u, quicquid ſupra diſputatum eſt, nomina potius uideri. Cap. XVIII.

HActenus de ſupinis in u ſic diſputauimus, perinde quaſi nihil cunctati ſimus, quin ea ſint uera ſupina: confutatis etiam, quæ nobis contraria eſſe uiderentur. Nunc intutus mentis altius figendus, ac ueritas ipſa preßius conſideranda. Pleraq; ſunt enim, fallente forma, quæ ſi procul & oſcitanter aſpicias, probes: eadem ſi propius ac fixius intueare, ſtatim reprobes. Quare quicquid antea de ſupinis in u diſputatum eſt, equidem bene multum ſuſpicor ea eſſe nomina. Primum in eis nulla extat uerbi natura, hoc eſt, nullum tempus, nulla ſtructura. Nam quod Cicero in Epiſtolis ad Lentulum, Difficile dictu eſt de ſingulis. & lib. iij. de Offic. Reditu in caſtra. Id nullam certam uerbi naturam arguit, cum utraque ſyntaxis peræquè nomini ac uerbo conuenire queat. At Salluſtianum illud in Iugurtha, Procedit in tumulum facillimum uiſu inſidiantibus: negotium quidem certè nonnihil nobis faceſſere uidetur. quoniam dativus eſt pro ablatiuo. Nempe, ut uideatur ab inſidiantibus.

diantibus. Sed uel hoc exemplum cum sit unicum, ne ipsum quidem ullo modo nobis per se legem dicendi aut facere debet, aut potest. Quo magis miror, quid Priscianus eo in libro, quem de Constructione inscripsit, omnibus supinis in u suorum uerborum posteriores casus ex æquo tribuerit: cum & usus certissimus dicendi magister, & authoritas totius Grammaticæ fossa (ut ita dixerim) ac uallum quoquo modo illi reclamet. Quanquàm idem ipse alibi minimè sibi constans, ea mordicus tenet esse nomina. Quid quòd adiectiua his accedunt, in quo natura nominis maximè perspicitur? Fabius lib. viij. Rebus atrocibus uerba etiam ipso audiu acerba magis conueniunt. Cedò, auditu ibi non ne supinum? Exponitur enim, cum audiuntur, uel quæ audiantur. Præterea Plin. libro xx. Cepæ satiuæ olfactu ipso caligini medentur. hoc est, si olefiant, uel odorentur. Adhæc Aul. Gell. libro xij. Eos uersus assiduo memoratu dignos puto. id est, qui assiduè memorentur. & lib. xvij. Voces neq; dictu profatuq; ipso insuaues. Quid, quòd uel præpositionem accipiunt? Fabius lib. xi. Ipsa uox non subsurda, nec in perceptu difficilis. Quod est, dum percipitur, uel quæ percipiatur. Iam Liuius cum lib. xxxi. Id dictu, quàm re, facilius: & Tacitus lib. i. Lucos uisu, ac memoria deformes: non ibi copula similes casus arguit, ut tales antecedant, quales sequuntur? Nec est, hic mihi quòd quispiam reclamet, Nihil minus ea dicenda, quàm nomina, quòd cæteri eorum casus nusquam reperiantur. Quasi uerò non pleraq; eiusmodi

eiusmodi existant, quorum omnes casus desiderẽtur, præter ablatiuum. qualia, manifesto peccatu, oratu tuo, inuitatu tuo, admonitu senatus apud Ciceronem, dictu honesto apud Lucilium, petitu omnium apud Aul. Gelliũ. Quid, cum dicimus in promptu? Adhæc apud Liuium lib. i. Sp. Lucretius magno natu moritur. & Apuleium lib. ix. Met. Variorum populorum cognitu. Rursus: Repertu lætata filiæ. Quorum omnium etsi cæteri casus deficiunt, præter ablatiuum, nihil tamen prohibet, quo minus ipsa sint nomina. Itaq; his tot ac tantis rationibus, cum supina in u nomina asserere transuersi traheremur, ecce tibi grauissimus author Fabius Quintilianus obstitit, statuens ea esse uerba participialia. Cãdide Lector, hic iam opinor uides, quàm scopuloso ac difficili in loco uersemur. Quippe hinc ualidis rationibus impulsi, unum sentire: hinc receptissima Quintiliani authoritate repulsi, diuersum tenere cogimur. Sed ueritatem libere effari liceat. Quintiliano ego tantum tribuo, quantum excellentissimo ac sapientissimo cuique, humana fide à quoquam tribui licitum est. Sapientia, ingenio, grauitate, eloquentia nulli Latinorum posthabeo. Eius uestigia quotidie exosculor, ac modo non adoro. Sed tamen ueritatem libere effari liceat: Homo fuit. Eo potuit falli, & fallere. Nec parũ interest, utrum quis authoris, an Grammatici fungatur officio. Illius maiestas ac dignitas sacrosancta est: huius sententia, assertioq;, per se incerta. Quare Quintiliano authoritas, quatenus author est, sacrosancta esto. At uerò dum

Grammatici fungitur officio, non ei plus, quàm cæteris Grammaticis (quod tanti scriptoris bona uenia dictum uolo) credendum est. Quantaquanta authoritate quis mihi Grammaticus polleat, non eius opinioni ego adhærescendum statuo, nisi quatenus uel ratione, uel exemplis, quæ præcipit, comprobauerit. Postremò in re tam ardua, ratione malo quàm authoritate superari. Quapropter ratione perspicua, necnõ aliquot exemplis à nobis facientibus, ecquid uereamur supina in u, nomina asserere? Verba participialia quî dici queant, nulla in eis existente uerbi natura, equidem non uideo, ac ne suspicari quidẽ possum. Quare terminatis in um, ut germanis ac ueris supinis, ita sub forma, habituq; participiali nõ minimam uim uerbi retinentibus, appellatio hæc iam tantum conueniat. Nam in principio de supinis quæ generatim disputauimus, quæq; statuimus, ea de in um exeuntibus, & disputata tantum, et definita uolumus. Suum nihilominus cuiq; ius relinquentes, de his, ut animus tulerit, & sentiendi & iudicãdi. Nos, quod nostrum erat, sententiam ingenuè diximus. Quàm rectè, iudicent docti, ac probi uiri.

Quæ sint uera supina, quæq; eorum definitio.

Epilogus. Caput XIX.

Vocirca de adductis tot, ac tantis exemplis, rationibus, structuris, dissertationibus, nisi Leberide cæciores planè simus, aut cucurbitas (ut aiunt) iam ipsi lippiamus, sat scio, de supinis quid tenẽdum, iam luce clarius dijudicari posse. Nempe in um terminata

(repetam

(repetam enim) ea tantum esse uera supina, uocesq; nullius casus, ac nullius temporis, eaq; sola posteriores atque ulteriores suorum uerborum casus accipere. Contrà, in u desinentia à uerbalibus nihil differre, in eis nullam uerbi naturam, hoc est, nullum tempus, nullam structuram uerbi extare, adiectiua, & præpositiones admittere. Quæ duo cum tam longè lateq; ipsa inter se dissideant, quì tandem fieri potest, ut sub una eademq; definitione ambo capiantur? Nec obstat, si authorum nonnulli supina in u uerbis motum de loco significantibus adiuncta citra præpositionem protulerunt. Qualia obsonatu redeo, cubitu surgo, uenatu redeo. His nanque præpositio, arbitratu nostro pariter addi potest, atq; demi. Nec minus iccirco existimanda sunt nomina, quòd præpositione carent. An cum Terẽtius in Eun. Exulo domo: & Cic. ad Att. lib. ix. Si Gneus Italia cedit: & Tacit. lib. i. Caium remeantem Armenia mors abstulit: propterea non sint nomina, quia citra præpositionem prolata? Super hæc disputatio illa nostra in Laurentianos eodem capite, etsi ad retundendam illorum temeritatem in primis confabricata est, duo tamen pulcherrimè colligit: alterum, uerbalia eandem omnino actiuitatem ac passiuitatem, quam supina in um, non modo in u, præ se ferre: alterum, supina in um à suo uerbali, nullo certiore, præter structurã uerbi, quàm præpositionis discerniculo discriminatum iri. Sitq; ea regula tantum uera in supinis in um. Igitur uerum Supinum, ut quod spopondimus, tandem aliquando

persoluamus, quid est? Nimirum orationis pars sine casu & tempore, seruata uerbi structura, agendi, uel patiendi significatiua. Cuius etymon adhuc obscurũ. Sunt, qui supina dicta uelint, quasi subina, quòd sine tempore subeunt ex uerbo ad participia, atq; uerbalia. Sunt, qui dicta putent, quasi supereuntia, quòd sine tempore superent naturæ uerbi ad participiorum, uerbaliumq; analogiam. Sed quicquid alij ariolãtur, ego potius à supum uetustißimo nomine deductum puto, quod apud antiquos, interprete Sexto Pompeio lib. xvij. idem significabat, quod supinũ apud nos. Alia uerò his frigidiora super hac parte obseruãda, quibus affatim ocij est, inuestiganda, tradendaq; relinquo. Nos sat habuimus, de supinis, neq; non participijs, ac gerundijs, tribus quidem amplißimis, ac maximè necessarijs orationis partibus, ea præcepisse, quæ hactenus aut prorsus ignorata, aut perperam, uel parum intellecta fuere. De quibus tamen si cuipiã alteri melius, ac certius, quàm nobis exusu optimorum authorum constiterit, iam nunc sententiam nostram reuocamus, atq; illi subscribimus. Sed quisquis ille, obsecro uideat, ne in harena, ne ue Megarico risu excipiatur.

De Verbalibus. Caput XX.

Addendo colophoni prædictis, pauca etiam de uerbalibus explicentur oportet. Ex quatuor enim riuis, in quos ferè uerbi natura deducitur, hic est ultimus. Scripsere, scio, alij de his accuratè, copioseq;. Sed quanta illis cum participijs, gerundijs, ac supinis intercedat

intercedat naturæ ac sensus communitas, ne uerbum quidem. Hanc igitur partem maximè necessariam ab alijs prætermissam, absoluamus ipsi. Et quoniam duplex uerbalium genus uulgò receptum est: alterum dubij tituli, uelut candela, sedile, latro, uigil, consul, præses, uocabulum, diuerticulum, munimentum, legumen, macer, satur, strues, docilis, dos, parcus, moribundus, tenax, latex, uox, dux, coniux, arx: alterum uerò certi, in queis manifestam uerbi significationem ac uim cernere est. De his mihi hoc loco dicendum. Eorum igitur partim (hui) quam cum participijs, gerundijs, ac supinis non habent significandi societatẽ? An cum Plin. lib. xi. Athletæ malunt cibos ambulatione conficere: non eodem sensu uel ambulãtes, uel ambulando, uel ambulatu dicere potuisset? & Fabius lib. i. Memoria exercitatione firmatur. Quid ni memoria exercitata, uel exercitando, uel exercitatu firmatur? Huc pertinent, quæ iam alibi adduximus: Decoctura eorum cœliacos iuuat, potione: &, Semen impositione spicula è corpore eijcit. Quorum illud cur non, Decoctura iuuat pota, uel potando, uel potu? Hoc uero, Semen impositum, uel imponendo, uel impositu spicula eijcit? Quid, cum M. Varro apud Aul. Gellium lib. xij. Qui potestatem neq; uocationis populi uiritim habent, neq; prehensionis. Non ne uocandi populi, prehendendiq; potuisset? & Columella libro v. Arbusculæ quinquennio sic excultæ, habiles translationi sunt. Cur non transferẽdo, uel ad transferendum habiles? Quid, quòd eadem uerbo substanti-

no constructa aliàs pertinere significant? Plautus in Persa: Tua merx est, tua indicatio est. Aliàs decere? Terent. in Heaut. Non mea est simulatio. Aliàs necessitatem? Idem in Adel. Piscis ex sententia nactus sum, hi mihi ne corrumpantur, cautio est. Aliàs potestatem? Idem in Phor. Neq; testimonij dictio est. Iam in us exeuntia, quam cum gerundijs ac supinis non habent uicissitudinem? Vt cum M. Varro lib. i. Re. rust. Herba in pratis non modo non euellenda in nutricatu, sed etiam non calcanda. Quæso cur non in nutricando. id est, dum nutricatur? Quanquam hoc uel supinum censeri potest. Alioqui Fab. lib. ij. Tanquã mediocritas præceptoris ad intellectum atq; imitationẽ sit facilior. Age, non intellectu atq; imitatu facilior, uel ad intelligendũ, atq; imitandum facilior? Sub hæc Apuleius in Apologia: Leuia sustentatui, grauia demersui. Quare non leuia sustentatu, grauia demersu? uel leuia sustentando, grauia demergendo? uel certe leuia ad sustentandum, & grauia ad demergendum? His alludunt, uel in ura quæ desinunt. Ceu cum idem Apuleius in libro de deo Socratis: Contuemur equũ, ut sit ad cursurã uegetus, ad uecturam ualidus. Quid ni ad currendum uegetus, ad uehendum ualidus? Nec abludit Plinianum illud lib. xxxvij. Perlucent omnes uiolaceo colore, scalpturis faciles. id est, scalptu, uel ad scalpendum faciles. Nec illud Columellæ lib. viij. Anseres ubi quatuor mẽsium sunt, farturæ maximus quisq; destinatur. id est, ad farciendum, uel ut farciatur. Quo minus ferendi sunt, qui huiusmodi inflexiones mi-

nes minimè uerbalia dici uoluerunt. Verbalia autem ea nos in primis dicimus, quæ certa quadam regula, ac uocis forma è uerbis proficiscuntur. qualia, cultio, cultus, cultor, cultrix, & cultura. Quæ aliud nihil propriè significant, quàm uel actiuitatem quandam, uel passiuitatem: quæq; paulo antè certi tituli nuncupauimus. Ea igitur cum nomina sint substantiua, ne alios quidè casus ex ui nominis regere possunt, quàm genitiuos. Nam quòd Plautus cùm alibi, tum in Curcul. dixit, Quid istam tibi tactio est? tum in Truculento, Quid tibi hanc notio est amicam meam? Genus dicendi est antiquitati prorsus relictum. Perplexum illud, ac propemodum inexplicabile, uitabundus, imaginabundus, mirabundus, et id genus inflexa, ecqua in parte orationis collocanda sint. Si formam intueare, nomina uidentur. Sin intrinsecus æstimes, posterioremq; structuram perpendas, quiduis potius quàm nomina. Liuius lib. xxv. Hanno uitabundus castra hostium, consulesq;, loco edito castra posuit. Apuleius lib. iij. Met. Vbertim flebam, iam carnificem imaginabundus. & lib. iiij. Multi numero mirabundi bestiam, confluebant. Quid ergo? Fateor me adhuc ambigere. Itaq; satius multo arbitror, suspensam sententiā tenere, quàm temere aliquid authoritate mea, quod non probem, definire. Atque de uerbalibus hæc paucula eò conscripsimus, ut studiosis, quāta his cum participijs, gerundijs, ac supinis intercedat significandi ratio, summatim, atq; (ut aiunt) per transennam ostenderemus.

AVGVSTINI SATVRNII LAZARONEI BVENNATIS

Mercurij Maioris, seu Grammaticarum Institutionum Liber Nonus.

De gradibus comparationis. Caput primum.

TRES autem esse gradus comparationis, ne pueri quidem (ut aiunt) abecedarij ignorant, positiuum, comparatiuum, et superlatiuũ. Positio certum quendã, absolutumq; modum habet, qualitatemq; ipsam, uel quantitatem simpliciter adhuc, absoluteq;, nec dum alio relatam significat. Comparatio uerò eandem uel tollit, uel deprimit. Superlatio autem, quantum est in se, usq; eò prouehit, ut determinet, metasq; figat, ultra quas progredi minimè liceat. Qua è distinctione liquidò apparet, positiua uoces esse suapte natura simplices, absolutasq;. Comparatiua autem, & superlatiua, in genere ad aliquid uersari. Quando, authore diuino Platone, necnon Theodoro Gadaræo, apud Quintilianum, quod maius est, uel minus: quod item maximum, aut minimũ, nisi alio relata, neutiquam intelligi possunt. Ergo de positiuis primum, tum de reliquis, quæ utilia, quæq; necessaria magis.

Positiuorum duplicem oportere esse significationem, & quot modis ex ipsis comparatiua & superlatiua deducantur. Cap. II.

COmparatiuis ergo, superlatiuisq; inflectẽdis, cum positiua sint prima quædam ueluti materies constituta,

stituta, significationem quidem eorum conuenit esse duplicem, substantiæ & accidentis. Alioqui nullum inde ueniret comparatiuum, neq; superlatiuum. Substantia enim per se non uenit ad comparationem, ut homo. Nec qualitates ipsæ, ac quantitates abstractæ per se, ut albedo, longitudo, sed ex utroq; cõcretum ac mixtum, ut albus, longus. Quoniam accidẽtia per ipsas substantias suscipiunt magis, & minus. Positiua igitur qualitatem, uel quãtitatem (nam in his duobus fit tantum comparatio) substantiæ inhærentem adsignificent necesse est. Iccirco possessiua, gentilia, patria, ordinalia, numeralia, relatiua, distributiua, et partitiua hinc exclusa. Cùm hæc igitur, quã diximus, discernendis positiuis regula nobis tenenda est, tum uerò quid usus optimorũ authorum habeat, exigatq;, in primis obseruandum. Deducuntur autem comparatiua & superlatiua è positiuis trifariam. Aliàs uoce et significatione simul, ut albus, albior, albissimus. Aliàs significatione tantũ, ut bonus, melior, optimus. Aliàs uoce quidem, sed non propria significatione, uerum participe aliquo sensu positiui, ut citra, citerior, citimus. Siquidem ultra, citra, & id genus, cum duo significent, locum proprie, distantiam uerò coaccidentaliter: liquidò constat, iuxta significationem illius (quoniam locus substantia est) minimè ad comparationem uenire. At uerò secundum hanc, quoniam distantia quantitas est, suscipere magis & minus. Et hoc est quod diximus, participe aliquo sensu positiui. Ergo quid Positiuum? Nempe uox absoluta, con-

cretam qualitatem, uel quantitatem significans, comparatiuis, superlatiuisq; inflectendis accommodata.

Quatuor esse partes orationis, unde comparatiua & superlatiua ducuntur. Cap. III.

Artes autem orationis, unde comparatiua & superlatiua deducuntur, quatuor sunt: nomen, ut doctus, fortis: participium, ut abundans: præpositio, ut propè: & aduerbium, ut sæpe, doctè, fortiter. Verum nemo sit admiratus, quòd & doctus & abundans positiua, alterum nomen, alterum dixerim participium. Siquidem uel locus hic fuit retractandus. Sed cur doctus non asseruerim nomẽ, cum structuram uerbi iam deposuerit? Cedò, cum Horat. lib. ij. Carm. Docte sermonis utriusq; linguæ. Adhæc Aul. Gell. lib. xiij. Legimus Labeonem iuris ciuilis doctum apprime fuisse. & lib. xix. Rerum, literarumq; ueterum impense doctus. Rursum Horat. lib. i. Serm. Heliodorus linguæ Græcorum doctissimus. Non his exemplis uterq; præclarè satis ostendunt, doctus non ideo nomen fieri, quòd sit positiuum, sed quòd structuram uerbi iam exuerit? Super hæc cur abundans positiuum non dixerim participium, cum inde comparatiuum seruata uerbi structura inflectatur? Certè Cicero sic ait in Pisonem: Tu abundantior consilio, ingenio, sapientia, quàm Crassus. & Plin. lib. xvi. Tæda abundãtior succo, quàm reliqua. Participiorum igitur partim seruata uerbi structura, comparatiuum gignunt, ut abundans: partim nullum, nisi prius constructione uerbi deposita, hoc est, nisi prius facta sint nomina, ut amans,

amans, doctus, & quotquot è uerbis tranſitiuis proficiſcuntur. Deterior & deterrimus à uerbo detero mihi non placet. Vt à niger fit nigerrimus, à pulcher pulcherrimus, à ueter ueterrimus: perinde conuenit, ut à deter antiquo poſitiuo, ſed obſoleto, fiat deterrimus. A' quo autem ſuperlatiuum, ab eodem & comparatiuum. Nec eſt hic mihi quòd quiſquam reſiliat, At deter nuſquam reperitur. Audio. Sed & plurima alia obſoluerunt, quæ olim in honore fuerunt uocabula. Rebus enim cunctis ineſt quidam uelut orbis, ut quemadmodum temporum uices, ita uerborum uertantur. De quo perſpectè admodum, ac ſcitè Horatius in Arte poëtica:

Multa renaſcentur, quæ iam cecidere: cadentq;,
Quæ nunc ſunt in honore uocabula, ſi uolet uſus,
Quem penes arbitrium, & ius, & norma loquendi.

Quid, quòd ipſa etiam uerbi natura repugnat? An ſumus uſqueadeò deliri, ut uerbis licere uelimus, quod participijs tranſitiuis minimè tribuamus? Iam ſuperior ſupremus, inferior infimus, exterior extimus uel extremus, interior intimus, ulterior ultimus, citerior citimus, poſterior poſtremus, & anterior, ab aduerbijs ſuprà, infrà, extrà, intrà, ultrà, citrà, poſt, & antè, ego ſemper deduci arbitror. Neq; enim præpoſitiones eſſe poſſunt, comparatiuis huiuſmodi ac ſuperlatiuis nunquam accuſatiuũ ex ui poſitiui admittentibus. Nam quòd nonnulli potius à nomine eſſe uelint, uel illi refragante analogia in primis falluntur. A' præpoſitionibus igitur unicum tantum extat exemplum, propè:

prope: unde propior, & proximus. Sallustius: In colle Iugurtha ipse propior montem, cum omni equitatu suos collocat. Plaut. in Pœnulo: Quis pultat? Qui te proximus est. Liu. lib. xxxv. Laconicus ager proximus fines Megapolitarum est. Hæc uerò eadem si datiuum, aut ablatiuum cum præpositione à, uel ab regant, tum à propè aduerbio fieri, rationis est. Quod genus Sallustianum illud in Cat. Vitium propius uirtuti erat. & Ciceronianum libro i. ad Att. Proximus Pompeio sedebam. Quodq; Seneca Epist. lxxv. Ab igne propior stetit. & libro vij. Nat. Proximus à septentrione. Propè cum datiuo nunquam legisse memini. Cum ablatiuo apud eundē, tum Epist. xxx. Trepidamus, cum propè à nobis esse credimus mortem: tum Epist. lviij. Propè est à timente, qui fatum signis expectat. Porrò Varronianū illud lib. ij. Rerum rust. insolentius: Cibatus canis propior hominis, quàm ouis. Postremò proximus pro uicino uim nonnunquā tenet positiui. Sen. Epist. cviij. Equidem abstinentiæ proximiorem nescio, an difficiliorem.

Cacophoniam, uel hiatum nihil impedire, quo minus comparatiua, ac superlatiua è positiuis deducantur, quibus extremis in syllabis uocalis est ante uocalem. Cap. IIII.

Locus exigebat, quæ inæqualia sint positiua, tum quæ uel altero gradu, uel utroq; deficiant, ad hæc quemadmodum comparatiua ac superlatiua formentur, ut recenserem. Sed quoniam hæc uel pueris perspicua sunt, satius duxi præterire, quàm in superfluis diligentiam

diligentiam affectare uideri. Præsertim cum cæteri, qui de his conscripsêre, abundè multa iam disseruerint. Illud igitur potius obseruandum, cacophoniam, uel hiatum, quem dicunt, nihil remorari, è positiuis, quibus extremis in syllabis uocalis est antè uocalem, quo minus & comparatiua fiant, & superlatiua. In quâ rem cùm alia plura, quæ citauit Priscianus, tum quæ nos subscripsimus, faciunt exempla. Lucret. lib. iiij. Nam nihil egregius, quàm res est cernere apertas. Varro lib. ij. Rerum rust. Ita sunt assiduiores. Et mox: Eosq; assiduiores faciant. Cicero in Bruto: Assiduissimè autem mecum fuit Dionysius. Suetonius in Galba: Assiduissimi usus. Plin. lib. xviij. Milites strenuissimi ex agricolis gignuntur. Tacit. lib. xx. Bellum strenuissimi cuiusq; periculo geri. Plinius Cæcil. lib. Epist. vij. Exiguissima legata. Quibus exemplis obiter etiam propalàm fit, nulla re alia Grammaticam rationem, quàm scriptorum authoritate atq; usu, magis constare. Sed quia plerisq; tanta inceßit superstitio, ut huiusmodi comparatiuis ac superlatiuis minimè uti fas putent, uel eorum stultæ atq; importunæ solicitudini succurrendum censuimus. Quare positiuo, magis, ad comparatiuum: maximè uerò, ad supplendum superlatiuum adiungant. Quemadmodum uel plerique authorum factitauêre. Plin. Cæcil. in Paneg. Magis arduum est alios, quàm se præstare. Plin. lib. xiij. Hæc est materia luxus è cunctis maximè superuacui. Atq; hæc per se multo apertiora, quàm ut pluribus exemplis sint illustranda.

Duobus

Duobus modis authores positiuis abuti.

Caput V.

POsitiuis autem optimi authores bifariam abutuntur. Aliàs, cum uicem gerunt comparatiui. Quod genus Plautinum illud in Rudente: Tacita bona est mulier semper quàm loquens. bona, id est, melior. Quodq; Tacit. lib. xx. Ptolemæus uoluptatum, quàm religionum appetens, alias ad curas animum uertere. appetens, id est appetentior. Aliàs cum uim tenent superlatiui. quale Plinianum illud libro xvi. Palma arborum ualida, in diuersum enim curuatur. Id autem perinde est, quod palma arborum ualidissima.

Quid comparatio, atq; alia inibi annotatu digna.

Caput VI.

NAtura uerò adornata, iam qualitas illa, & quantitas concreta atq; absoluta in aleam comparationis deducenda est. Neq; enim propter se materia præparatur. Comparatio autem est, collatio, qua concreta aliqua in qualitate, uel quantitate quis alteri præfertur. Nam ut optimè Seruius, suum est comparatiui semper id agere, ut alterum præponat: Magis per se non est comparatiuum. Plurimum nanque interest inter elementum comparandi, & comparatiuum. quippe illud uim simplicem uel præferendi uel deprimendi tantum notat, & tanquam principium quoddam resolui non potest. hoc præter uim illam simplicem, concretã semper aliquam uel qualitatẽ uel quantitatem adsignificat, & ideo per magis & positiuum semper resoluitur. Omnis enim comparatio fit in relatione

latione alicuius accidentis. Est igitur magis planè tale, quo sine nullum esse potest comparatiuum. Huius contrarium est minus. Quemadmodũ enim illud præfert, ita hoc deprimit. Plin. lib. xxi. Nouella uetustis minus odorata. Comparatiuum igitur est, uox ad aliquid significatiua, qua concreto aliquo in accidente quis alteri præfertur. Iuxtà enim significat, ut magis & positiuum. Magis & minus si alteri à uerbo innixa fuerint, authore Plinio, coniunctiones sunt comparandi: sin uerbo, aduerbia. Quatenus enim determinant uerbum, hactenus aduerbia sunt. Comparatio demum, quicquid garriant Græci, fit & ad unum, & ad plures, tam sui generis quàm alieni. De quo inter Grammaticos quia non satis cõuenit, ipsi quid à ueritate sentiendũ sit, pluribus disputabimus, si quemadmodum tamen comparatiua construantur, prius paucis ostenderimus.

Quot, & quibus modis comparatiua ex ui comparationis construantur. Cap. VII.

COmparatiuum ergo, quà comparatiuum, multis modis construitur. Est, cum septimum admittit sine quàm. quod genus, Nerine candidior cygnis, hedera formosior alba. Nam quod idem ipse Vergilius dixit Aeneid. iiij. Haud grauiora timet, quàm morte Sichæi: sanè aut particula quàm superflua est: aut ita supplendum, Quàm ea, quæ in morte Sichæi acciderunt. Est, cum eadem ui ablatiuum cum præpositione à, uel ab, sed parcius. Plin. lib. vij. Age, non exitus mortis uitæ L. Syllæ omnium proscriptionum ab illa

calamitate

calamitate crudelior fuit, erodente se ipso corpore, et supplicia sibi gignente? & lib. xxxv. Candidis uestibus saxum utilius à sulphure. id est, quàm sulphur. Plinianũ tamen superiorẽ locum sunt qui aliter legant. Est, ubi nominatiuũ accipit cum quàm. Aliàs præcedente altero nominatiuo. Fab. lib. v. Melior dux Scipio, quàm Annibal. Aliàs præcedente genitiuo. Aul. Gell. lib. x. Marci Varronis, quàm fuit Claudius, doctioris. Aliàs præcedente datiuo. Cic. in Verrem: Homini gratiosiori, quàm Gn. Calidius est. Aliàs præcedente accusatiuo. Plaut. in Curc. Mulierem peiorem, quàm hæc amica est Phædromi, non audiui. De ablatiuo exemplum legisse non memini. Illud annotatu dignum, quàm de, comparatiuam dictionem apud uetustissimos authores perinde ualuisse, ut quàm apud nos. Lucretius:

Heraclitus init, quorum dux prælia primus
Clarus ob obscuram linguam, magis inter inanes,
Quàm de graueis inter Graios, qui uera requirunt.

Et Liuius Andronicus:

Muro magis fretus, quàm de manus impetu.

Id quod & Petrus Crinitus in eo quem de Honesta disciplina scripsit, ex Sexto Pompeio diligenter obseruauit. Est nihilominus, cum particula quàm similes etiam casus obliquos copulat. Aul. Gell. lib. vij. In uocabulis syllabarum plurium, quàm duarum. Terent. in Phorm. Ego hominem callidiorem uidi neminem, quàm Phormionem. Colum. lib. iij. Cicero testis est, Næuium Pollionem pede longiorem fuisse, quàm

quenquam

quenquam longißimũ. Val. Max. lib. ij. In solo magis fumante, quàm ullas ignis habente reliquias flammam euomuit. Sunt postremò coniunctiones, particulæ quàm in comparatione æquipollentes. Fabius lib. ij. Qui non omnia subijciebant oratori, solicitius ac uerbosius, ut necesse erat, adhibuerunt discrimina. Cic. in Valerium: Nemo tam demens, qui alienam uitam magis, ac suam diligeret. Rursus: Longius oratione mea sum progressus, atq; mihi constitueram. Meminisse tamen oportuerit, relatiuum qui, quæ, quod, & negatiua neuter, nullus, & nemo, casum cum quàm nunquam accipere. Plin. Cæcil. in Paneg. Nullam in eo gloriã ponit, quòd sit omnibus maior, nisi maximi sint, quibus maior est. Liu. lib. xxi. Allobroges nulla Gallica gente opibus inferiores. Electione tamẽ utentes nihil tale uereamur. Cic. in Verrem: Me ut mallent, quàm neminem. Dolabella Ciceroni: Reliquum est, ubi nunc est respublica, ibi simus potius, quàm dum illam ueterem sequamur, simus in nulla. Atq; his omnibus dicendi modis indiscriminatim utamur licebit, ubi comparatio fiet et ad unum, & ad plures tam sui generis, quàm alieni.

De quodam remoto comparandi genere.

Caput VIII.

Vnt tamen nonnullæ comparationes, quibus si casum ex ui comparationis tribuas, his nihil fiat languidius, nihil frigidius. Nam cum Cicero ait tum in Bruto, Gn. Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, quàm quanta in eo facultas

erat: tum lib. iij. de Orat. Cæteri maius quiddam de L. Crassо, quàm quantum à nobis exprimitur, suspicentur. Rursus: Hæc maior ratio uidetur, quàm ut hominum possit sensu, aut cogitatione comprehendi. Quid eo dici potuit rotũdius? Quid uenustius? Quid plenius? At si casum ex ui comparationis tribuas, Gn. Lentulus multo maiorem opinionem dicendi actione faciebat, facultate sua: Cæteri maius quiddam de L. Crassо, expressione nostra, suspicentur. Hæc maior ratio uidetur humana sensuum, aut cogitationis comprehensione. Vides, ut comparatio ipsa statim reflaceſcat, atq; elumbis uietáq; fiat? Consulendæ sunt igitur aures, nec tam quid ratio simplex Grammaticæ, quàm quid decor & grauitas orationis requirat, animipendendum. Huc pertinet, quod & Seneca tum lib. i. Rerum nat. Quædam crassiores, quàm ut solem excipiant: quædã imbecilliores, quàm ut excludant. Tum etiã Epist. xxi. Apertior ista sententia est, quàm ut interpretanda sit, & disertior, quàm adiuuanda. Quodq; Fabius lib. iij. Apertius, quàm ut exemplo sit demonstrandum. Quodq; Moderatus Columella lib. iiij. Modus pro uiribus trunci seruandus est, ne plures palmites submittantur, quàm quibus uitis sufficere queat. Cùm hoc pulcherrimum comparandi genus annotandum est, tum uerò Liuianum illud & lib. xxv. Erat L. Martius impiger iuuenis, animiq; & ingenij aliquãto, quàm pro fortuna, in qua natus erat, maioris. & lib. xxvi. Vereor, ne cui uestrum maius id, audaciusq; cõsilium, quàm pro memoria cladium nuper

nuper acceptarum, aut pro ætate mea uideatur. & libro xxxix. Quicquid dixero, minus quàm pro atrocitate & magnitudine rei dictum scitote esse. Quanquam me haud fallit, excellentißimos authores interdum aliter feciße. Sed nos quod usitatius, id præcipiendum curauimus. Vt quod Fabius lib. iij. Non debes apud prætorem petere fideicommißum, sed apud cõsules, maior prætoria cognitione summa est. Nam potuißet: Maior summa est, quàm ut apud prætorem cognosci debeat.

Contra Laurentium, ad plures eiusdem comparatiuis licere uti. Cap. IX.

NVnc ad institutum reuertor. Minuendaq; in primis illorum opinio, qui ad plures eiusdem minimè comparatiuis utendum contẽdunt. Quorum quidem argumẽta hic ego apposuißem, niſi partim ipſa ſibi repugnarent, partimq; talia forent, quæ ſilentio honeſtius, quàm ulla confutatione redarguerentur. Nam quid ego tempus conteram refellendis Laurẽtij rationibus, cum manifeſtò ſint falſæ? Quia tamen plerique eò inſaniæ proceſſerunt, ut illius dicta perinde habeant, ut Apollinis oracula, haud prætermittendũ quin abæneis (ut aiunt) inexpugnabilibusq; exemplis ſaltem retunderemus. Igitur Cæſar cum lib. iiij. Gall. bel. Ad alteram partem ſuccedunt Vbij, quorum ciuitas ampla, & florens, uti eſt captus Germanorum, qui paulo ſunt eiuſdem generis etiam cæteris humaniores, propterea quòd Rhenum attingunt. Quid, non ne comparatiuo ad plures eiuſdem uſus? Non &

Fabius lib.xij? Transeo Lycurgum, Aristogitona, Isæum, Antiphontem. Quid Aeschines, non ne his latior, audentior, et excelsior? Agè, Plin. Cæcilius non & lib. Epist. vi? Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior, densiorq;. Rursus lib. viij? Hoc in certamine puer quidā audentior cæteris in ulteriora tendebat. Et in Pan. Minus est, Augustum, q̄ omnibus Augustis esse meliorē. Iam quid eo Cornelij Taciti exemplo præclarius lib. xv? Cupido dominandi cunctis affectibus flagrātior est. Adhæc quid illo Valerij Max. expreßius lib. iiij? Fabritius honoribus & authoritate, omni ciue, temporibus suis maior. & lib. vi. Tertium te importuniorē superioribus habere cœpimus rectorem. Nec minus egregie Aul. Gell. lib. i. Curius, & Fabritius, & Coruncanus, & his antiquiores Horatij illi Trigemini, planèac dilucidè cum suis fabulati sunt. Iterum: Hortēsius omnibus fermè oratoribus ætatis suæ, nisi Marco Tullio, clarior. Quæ ipsa quidem exēpla etsi abundè multa iam erant infringendā ad pertinaciam Laurentij, adhuc tamen uel poëtarū candidißimus calculus his fuit nobis addendus. Martialis libro x.

Natales mihi Martiæ calendæ,
Lux formosior omnibus calendis. Et lib. xi.
Hic totus uolo rideat libellus,
Et sit nequior omnibus libellis.

Sed nec minus accommodate Claudianus de Consulatu Theodori: Nilus sed cunctis amnibus extat utilior. Verum receptui iam canendum. Siquidem ubi tot, &

tot, & tam præclara latinitatis lumina tanto consensu ueritatem conteſtantur, nihil eſt quòd ipſi pluribus adducendis ſuperflue laboremus. Quare liquidiſſimũ iam ſit, comparatiuis, quicquid Laurentius, & cum eo Græci ſomniant, uel ad plures eiuſdem generis licere uti.

Comparatiua duobus etiamnum alijs modis, præter antedictos, conſtrui, ſi collatio fiat ad plures eiuſdem. Caput X.

VT clauus clauum pellit, ſic alia ueritas aliam trahit. Proinde collatio ſi fiat ad plures eiuſdem, comparatiua duobus etiamnum alijs, præter antedictos, conſtruantur modis. Aliàs cum genitiuo, nimirũ imitatione Græca. Cicero in Valerium: Cæterarũ rerum præſtantior erat. Plin. lib. vij. Omnium triumphorũ lauream adepte maiorem. Curtius lib. v. In oculis duo maiora omnium nauigia ſubmerſa ſunt. Hieronymus in Daniele: Ad ipſum confluebant Iudæi, eo quòd eſſet honorabilior omnium. Aliàs cum accuſatiuo, addita præpoſitione inter. Lactant. lib. i. Erythræa Sibylla celebrior inter cæteras, & nobilior habetur. Macrobius lib. i. de Somn. Scip. Colotes inter Epicuri auditores loquacitate notabilior. Rurſus: Numenio inter philoſophos occultorum curioſiori offenſam numinum ſomnia prodiderunt. Ex quibus omnibus duplex ueritas colligitur. Comparationem, ſi fiat ad unũ tam ſui, quàm alieni, uel ad plures alieni, ſex modis rectè, Latineq; poſſe fieri. Vt exempli gratia: Cicero eloquentior fuit Varrone, à Varrone, quàm,

ut, ac, atque Varro. Sin ad plures eiusdem, octo modis. ut, Cicero fuit omnibus Romanis, ab omnibus Romanis, quàm, ut, ac, atque omnes Romani, omnium Romanorum, inter omnes Romanos eloquentior.

Comparatiua etiam casus suorum positiuorum accibere. Caput XI.

PRorsùs uix aliud reperias uaria constructione iuxtà fœcundum, ut comparatiuum. Etenim præter supra dictos omneis casus, quibus mira uarietate sese reficit, quotquot etiã positiua exigunt, requirit. Quod ipsum etsi communi omnium Grammaticorum consensu receptum, adhuc tamen aliquot exemplis fulciendum. Cicero de Consularibus prouincijs: Quis plenior inimicorum C. Mario? Colum. lib. vi. Omnis uacca extremi frigoris tolerantior est equino armento. Plin lib. vi. Paleogones auri, margaritarũq; grandium fertiliores, quàm Indos. Huc alia id genus plurima pariter accedunt. Quorum si quis expromptam copiosiorem syluam desideret, de adductis ex optimis authoribus, quæ succenturiauimus, positiuis, sibi satisfaciat, licet.

Amans uirtutis, patiens laboris.
Suspectus sceleris, & scelere.
Dilectus mihi, fortunatus laborum.
Lætus rerum nouissimarum, & rebus nouissimis.
Abundans lactis, & lacte.
Veterum memoriarũ exequẽs, proprietatũ retinens.
Largus opum: indignus auorum, & auis.

Dignus

Dignus salutis, & salute.
Integer uitæ, sceleris purus, integer à uitijs.
Profusus sui, alieni appetens.
Auidus liberorum, & liberis.
Tenax propositi, ferax cinamomi.
Onustus frumenti, & frumento.
Certus experimenti, incertus uiæ.
Fugitans litium, maturus æui.
Ignarus rerum, ingratus beneficij.
Fidus sororis, & sorori.
Plenus rimarum, & rimis.
Refertus prædonum, & prædonibus.
Tolerans frigoris, fertilis auri.
Similis patris, & patri.
Doctus Grammaticæ, indoctus literarum.
Prudens rei bellicæ, compertus flagitij.
Expers rationis, ratione, de ratione.
Calorum intolerans, legum metuens.
Ambiguarum rerum sciens, flagitiorum persequens.
Animi ferox, insolens infamiæ.
Abstinens alieni, diligens artis, & arte.
Manu promptus, districtus causis, & à causis.
Cupiens tui, desperans sui.
Obseruans æqui, studiosus bonorum.
Præstans animi, & animo.
Magnus authoritate, nobilis genere.
Peritus iuris ciuilis, & iure ciuili.
Consultus iuris pontificij, & iure pontificio.
Vtilis homini, appositus literis.

Aptus dialecticæ, habilis geometriæ,
Iucundus cunctis, accommodatus ciuitati.

Verum hæc abundè iam multa. Neq; enim animus est uniuersa recensere. Quid, quòd huiusmodi etiam inter casus positiuos comparatio haud rarò committitur? Vbi tum particula quàm semper similes copulat casus. Fab. lib. xij. Demetrius fuit similitudinis, quàm pulchritudinis amantior. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Habitus corporis quiescēti, quàm defuncto similior. Liu. lib. iiij. Vectius Meßius ex Volscis nobilior uir factis, quàm genere. Sed nemo quisquam mihi dicat, Sum ulterior murum Antonio. Barbarum est enim, & insolens dicendi genus. Quādo huiusmodi comparatiuis minimè is casus tribuitur, quem natura exposcit, sed quem authoritas & usus obtinuit. Mart. lib. i. Aera sed à cuneis ulteriora petis. Valer. Max. lib. ix. Vno gradu à publico supplicio, manuq; carnificis citerior. Cic. lib. vi. de Republica: Vltima à cœlo, citima terris. Quo loquentes modo nihil noui dixerimus. Nobis enim fixum atq; immobile est, ne transuersum quidem (ut dicitur) unguem ab authoribus non discedere. Simulq; illud repetentes, iterumq; iterumq; mo nemus, nulla re alia Grammaticam præceptionem, quàm usu atq; authoritate, magis constare. Alijs si aliter uisum, uiderint ipsi.

Casus ex ui excessus comparatiuis non alia ui, quàm positiui contingere. Cap. XII.

Quid casus excessum notantes, num aliunde quàm positiua è radice petuntur? Mirum uerò in his ut optimi

optimi authores ipsi sibi indulserint. Est autem omni no omnis comparatio duplex, transitiua, & absoluta. Transitiua, quæ aliam in personam, ac rem transit. Cuius tum excessus septimo (quod obseruarim) tantum exprimitur. Plaut. in Trinummo: Sesquipede est, quàm tu, longior. Curtius lib. v. Turres denis pedibus, quàm murus, altiores. Defectus genitiuo etiã. Plinius lib. xxxvi. Is uerò qui est in campo Martio, nouem pedum minor est à Sesotide. Absoluta uerò est, quæ in se ipsa quodam modo absoluitur. Cuius nimirum excessus aliàs genitiuo notatur. Plinius lib. xviij. Non altiore quatuor digitorum sulco. & lib. xxxvi. Nec longiores duodenûm pedum. Aliàs accusatiuo. Lucret. lib. iiij. At commictus aquæ digitũ non altior unum. Aliàs septimo casu. Plin. lib. xvij. Nõ altiores quino semipede, nec latiores duobus pedibus. & lib. xxv. Caulis altior sæpe binis cubitis. Hos autem ipsos casus non aliunde peti, quàm à positiuis, illud clarissimo est argumento, quòd eosdem uel positiuis tribuere licet. Colum. lib. ij. Areas latas pedum denûm, longas pedum quinquagenûm facito. Plinius lib. xxxvi. Singula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm. Columel. lib. v. Esto ager longus pedes mille ducentos. Plin. lib. xxvi. Caulis palmũ unum altus. Liu. lib. xxxvij. Fossam sex cubitis altam, xij. latam cum duxisset. Palladius lib. v. Occupat locũ latum pedibus quinq;, longum pedibus decem. Quapropter excellentissimi authores, quoniam (ut diximus) in his non unum utendi modum usq; retinuerũt, haud ingratum

studiosis facturos arbitramur, si quicquid eiusmodi obseruatũ repererimus, hic paucis conscripserimus. Est, *cum genitiuum cum quàm accipiunt.* Colum. *lib. i.* Classes *non maiores, quàm denûm hominum faciundæ.* Idem *lib. ij.* Sulcum *ducere longiorem, quàm pedum centum uiginti, contrarium est pecori.* & *libro v.* Inter ordinia *relinquenda neque spaciosiora quàm decem pedum, neq; contractiora, quàm quatuor.* & *lib. viij.* Dum ne uetustiora *sint, quàm dierum decem.* Est, *cum accusatiuum itidem cum quàm, sed parcius.* Aul. Gell. *lib. viij.* Pygmeorum, *qui longißimi sunt, non longiores esse, quàm pedes duos,* & *quadrantẽ.* Colum. *lib. iij.* Calamum *non minus altum, quàm duos pedes,* & *semissem.* Prorsus, *ut comparatione absoluta, excessus his ferè modis exprimatur.*

Sum altior trium cubitorum.

Sum altior treis cubitos.

Sum altior tribus cubitis.

Sum altior, quàm trium cubitorum.

Sum altior, quàm treis cubitos.

Sed nulla in re perinde sibi indulgentes fuere, atq; in his quæ explicandam ad ætatem pertinent. Id quod quoniam nulli adhuc plenè fuit obseruatum, pluribus duxi probandum exemplis. Liu. *lib. xxxviij.* Obsides *ne minores octonûm denûm annorum, neu maiores quinûm quadragenûm.* Cic. *ad* Heren. *lib. i.* Maior annis *sexaginta.* Idem *in* Verrem: Minor annis triginta. Liu. *lib. xxij.* Iuniores ab annis xvij. *scribunt.* Plinius Cæcilius Traiano: Secutum *est edictum* Augusti, *quo permisit*

permiſit minores ab annis duobus & uiginti, magiſtratus capere. Columel. lib. vi. Vaccas minores bimis iniri non oportet. Ibidem: Qui quadrimis minores ſunt, maiores quàm duodecim annorum, prohibẽtur admiſſura. Idem lib. vij. Seruare debebit, ne minori quadrimæ prolem ſubmittat. Varro lib. i. Rerũ ruſt. Boues neq; minores bimos, neq; maiores quadrimos parandum. Idem lib. ij. Neque pati oportet minores quàm bimas, ſaliri. Aul. Gell. lib. i. Qui de uirgine capienda ſcripſerunt, minorem quàm annos vi. maiorem quàm annos x. natam, negant capi fas eſſe. Vides, quàta uarietas? Ex his facillimè colligo, minorem ætatẽ ab uno ad quinq; his ferè modis rectè, Latineq; efferri poſſe. Cur enim hæc diſtinctius non explicemẽ?

Sum minor quinq; annorum.
Sum minor quinq; annis.
Sum minor à quinq; annis.
Sum minor quimo.
Sum minor quimus.
Sum minor, quàm quimus.
Sum minor, quàm quinq; annorum.
Sum minor, quàm natus quinq; annos.
Sum minor quinquenni.
Sum iunior à quinq; annis.

Porrò à quinq; in decennium, his fermè: Sum minor ſeptem annorum, ſeptem annis, à ſeptem annis, quàm ſeptem annorum, quàm natus ſeptem annos, ſeptenni, iunior à ſeptem annis. At ſupra decennium, uno minus: hoc eſt, ſex modis. Sum minor duodecim annorum,

norum, xij annis, à xij annis, quàm xij annorũ, quàm natus xij annos, iunior à xij annis. Quem in modum & maior ætati maiori significandæ (ne singula recenseam) omnifariam constituitur, nisi quòd ablatiuum cum præpositione accepisse nunquam legisse memini. In cuius intellectum & melior nonnunquã uenit. Varro lib. ij. Rerum rust. Non meliores, quàm trimæ admissæ. id est, non maiores. Quæ structurarum diuersitas unde sit, equidem adhuc quæro. Nam à positiuo, nihil est quòd arbitremur.

Comparationem syntaxi partitiua, contra Laurentium, uel inter plures quàm duos, rectè Latineq; posse fieri. Caput XIII.

NVllum est autem in Latina lingua erratum paulo insignius, cuius Laurentius non author ferè existat. Ita dum certas quasi ad leges Latinam linguam redigit, non oppressam uindicat, sed teterrimam potius in seruitutem contrudit. Nam, proh pudor, quale erratum illius est, cum comparatiuis structura partitiua minimè genitiuum censet tribuendum, nisi cum inter duo fit comparatio. ut, Aiacum fortior Telamonius? Nam si tres, inquit, aut plures extitissent, necessariò tum superlatiuo utendum fuisset. ut, Aiacum fortissimus Telamonius. At dij te ob tua istæc inuenta Laurenti, ut meritus es, afficiant. Quid prohibet, quo minus eadem syntaxi uel inter plures comparatiuis utamur? Quando comparatiua cum naturam sapiunt partitiuam, non solum inter duo, ut tu sentis, uerumetiam inter plura, & quotquot ipsi uoluerimus, in

mus, in morem diuiduorum conſtruantur. Sic, ut ſeptimum etiam ſine quàm, uel alium caſum cum quàm, ex ui comparatiua noſtro arbitratu accipere queãt. An forte Cicero locutus barbarè cenſendus, cum lib. iij. de Officijs? Ex multis mirabilibus exẽplis haud facilè quis dixerit hoc exẽplo aut laudabilius, aut præſtantius. Et Higinus apud Aul. Gelliũ lib. xvi. Quæ bidens eſt, inquit, hoſtia, oportet habeat dentes octo, ſed ex his duo cæteris altiores. & Pli. lib. ix. Piſcium fœminæ maiores, quàm mares. Rurſus: Grauiores alitum inferiore gena conniuent: &, Apum aduleſcẽtiores ad opera exeunt. & lib. xxxvij. Diligẽtiores poẽtarum Electridas inſulas in mari Hadriatico eſſe dixerunt. Et mox: Callaidum pulchriores oleo colorem deperdunt. Quid, cum idem ſcribit & lib. xxiiij. Inter genera ruborum Rhamnos candidior. & libro xxviij. Inter communia animalium fel præſtantius in effectu. & lib. xij. Recẽtiores ex authoribus Strobon hoc uocant. & lib. xvi. Breuißima uita eſt punicis, fico, malis: ex his, præcocibus breuior, quàm ſerotinis. & lib. xix. Ex omnibus lapathum ſyluestre melius. Quid hæc exempla tibi uidentur? Non luce clarius oſtendunt, comparatiua cum naturam ſapiunt partitiuam, omnifariam diuiduorũ ſtructuram ſectari? Obiter illud etiam obſeruandum, cum inter duo fit partitiua comparatio, non ſolum genitiuo uel ablatiuo, id quod nulli non Grammaticorum admittunt, nobis utendum, uerum etiam accuſatiuo cum præpoſitione inter. Quintilianus libro i. Euphoniæ in eo delectus eſt,

ctus est, ut inter duo quæ idem significant, ac tantundem ualent, quod melius sonet, malis. Sed quo Laurentij exquisita atq; inculpabilis doctrina magis ac magis omnibus innotescat, adhuc pauca libitū est exempla subscribere. Liu. lib. xxxvij. Romanorum cecidere non plus ccc. pedites: & lib. xxxviij. Non plus ex xx. millibus hominum, quàm decem armata erant. Apuleius libro viij. Canum procaciores interficit. et libro ix. E tribus iunior terræ prosternitur. Nec non in Apologia: Filiorum chariores sunt, qui similes uidentur.

Comparationem in uno & eodem sensu, inter diuersas qualitates uel quantitates, tribus modis fieri. Cap. XIIII.

QVoties uerò inter diuersas qualitates, uel quantitates comparatio uenit, ea ab optimis authoribus trifariam usurpari solet. Fit enim persæpe, ut eodem in subiecto una qualitas uel quantitas alteram præcellat. Id quod ubi contingit, non tum quod superatur, septimo casu sine quàm exprimendum est, ut in cæteris, sed eo semper in casu constituendum, in quo ipsa qualitas superans, uel quantitas. Idq; tribus modis. Aliàs per magis, & positiua. Cic. lib i. de Orat. Artem habebitis magis magnam atque uberem, quàm difficilem & obscuram. Aliàs per comparatiuum & positiuum. Plin. lib. x. Tribuit hoc auium generi natura, ut fœcundiores essent fugaces earum, quàm fortes. Tacitus in Agricola: Sublime ingenium speciem excelsæ gloriæ uehementius, quàm cautè appetebat.

Aliàs

Aliàs per duo comparatiua, quorum tamen posterius uim habeat positiui. Liu. lib. iiij. Pestilẽtia minacior, quàm pernicioſior. Colum. lib. iiij. Calidior terra ſit, quam frigidior. Sen. lib. de Conſolatione: Bibuli melioris, quàm fortioris, duo ſimul filij interfecti ſunt. Pomponius Mela lib. i. Africa longior, quàm latior. Quibus quidem tribus dicendi figuris cum una eademq; ſubſit ratio comparandi, nil prorſus referre ſignificationis arbitror, ſi dixero: Sum magis doctus, quàm fortis: Sum doctior, quàm fortis: Sum doctior, quàm fortior. Quanquam hæc poſtrema ut elegantior, ſic etiam uſitatior.

Electionem ſuperiori comparationi eſſe quàm ſimillimam. Caput XV.

Est huic affinis, et quàm ſimillima ea collatio, quam electionem appellamus, in qua magis, aut potius non comparatiuè, ſed diſcretiuè collocatur. Idq; tribus etiamnum modis. Vel per duo poſitiua. Sen. libro de Continentia: Sermones utiles magis, quàm facetos ama. Vel per comparatiuum & poſitiuum. Columel. lib. vij. Breuioribus potius, quàm longis. Vel per duo comparatiua. Cicero de Optimo genere Orat. Alius acutiorem ſe, quàm ornatiorem malit. Seneca de Breuit. Vitæ: Comptior eſſe malit, quàm honeſtior. Palladius lib. i. Longior magis, quàm latior. Poteſt & ſuperlatiuum præcedere ſubſequente poſitiuo. Cic. de Aruſpicum reſponſis: Miſerrimum magis fuit, quàm turpe. In quibus omnibus magis perinde ſignificat, atque potius.

Plus

Plus & Minus. Caput XVI.

RElíqua sunt, *plus & minus*, in Latina lingua maximi cùm usus, tum dignitatis. De quibus etsi Hadrianus Cardinalis, uir ætate nostra latinitatis obseruantißimus, abundè multa disseruit, quia tamen in ordinem ueniunt, haud fuere nobis prætermittenda. Quando uel ipsi prius quàm Hadrianum uidissemus, iam exempla adornaueramus. Ergo *plus*, & *minus*, si ad numerum referuntur, aliàs nominatiuo innitũtur. Liu. lib. xxxix. *Romani paulo plus sexcenti ceciderunt.* Rursus: *Vbi plus tria millia hostium sint cæsa.* Varro lib. iij. Rerum rust. *Ne plus tertia pars eximatur mellis.* Plin. lib. xi. *Animalibus, quibus plus quaterni pedes, nullus sanguis.* Plaut. in Trinum. *Minus quindecim dies sunt, quòd minas quadraginta accepisti à Callicle.* Liu. lib. xxiiij. *Hispani paulo minus mille homines pacti transtulerunt signa.* & lib. xxxi. *Minus sex millia hominum effugerunt.* Aliàs cum genitiuo construuntur, sed parcius. Cic. ad Herennĩ libro iij. *Interualla locorum mediocria esse oportet, ferè paulò plus, aut minus pedum tricenum.* Liu. lib. x. *Paulò plus uiginti millium alius exercitus fuit.* & lib. xxxi. *Alius haud plus, quàm duum millium fuisse scribit.* & lib. xxxi. *Ipse paulo plus quingentorũ passuum inde tumulum suis cepit.* Aliàs cum accusatiuo iunguntur. Plaut. in Menæb. *Suspirabo plus sexcentũ dies.* Idem in Sticho: *At ego illum in aluo gesto plus annos decem.* Terent. in Adel. *Plus quingentos colaphos infregit mihi.* Varro lib. iij. Rerum rust. *Dicebat agrum*

bat agrum minus dena millia reddere, uillam plus tricena. Plinius libro x. Singulos uere parit, nunquam plus ternos. Columella lib. v. Cuneum ne minus digitos tres dimittito. Idem lib. xi. Nec minus mille ducẽtos unus obligat. Tacitus in Agricola: Minus trienniũ in ea legatione fuit. Aliàs cum septimo. Plaut. in Mostell. Velim, ut uno nummo plus petas. Idem in Epid. Decem minis plus attuli, quàm tu daniſtæ debes. Et in Caſina: Te uno adeſt plus, quàm ego uolo. Cicero pro P. Quintio: Tecum plus anno uixit. Liuius lib. xxi. Ab utraq; parte ſexcentis plus peditibus cecidit. Et lib. xxiij. Fama tenuit haud plus fuiſſe modio. Plin. lib. x Et quamuis tria pepererit, nunquã plus duobus educaret. Columella lib. 4. Quod eſt fermentatum plus dupondio ſemiſſe. Plaut. in Perſa: Hic argenti ſunt ſexaginta minæ, duobus nũmis minus. Cato in Reruſt. Dolium quadrantalibus quinq; minus ſit, quàm plenum. Cæſar in Comment. Minus horis tribus munitionem perfecerunt. Ibidem: A millibus paſſuum minus duobus caſtra poſuerunt. Plinius lib. xi. Sues generoſæ duodenas mammas habẽt, uulgares binis minus. Idem lib. xv. Minus quinquennio eſt, quòd prodiere, quæ uocant laurea. Plaut. in Trinum. Frumenti quando albi meſſis maxima eſt, tribus tantis illi minus reddit, quàm obſeueris. At uerò plus & minus ſi ad numerũ minime referantur, cum genitiuo tantum conſtruuntur. Idem in Truc. Nunc lenonũ & ſcortorũ plus eſt ferè, quàm olim muſcarum, cũ caletur maximè. Liu. lib. x. Papirius minus-

quàm collega, cepit hominũ. Plin. lib. xviij. Sandalæ ferè quaternis libris plus reddit panis, q̃ far aliud. Et libro xxiij. Virium plus Surrentino, austeritatis Albano, uehemẽtiæ minus Falerno. Nam quod Liu. dixit libro xxiij. Hostium plus mille cæsi, Romanorum minus mille interfecti: id naturam sapit partitiuam. Et quicquid de Plus hic præcepimus, id de amplius assertum uolumus.

Obseruata quædam in comparatiuis.

Caput XVII.

NE particulæ quidem illæ nobis silentio inuoluendæ, quæ comparationem per se interdum efficiunt. quales, Ante. Vergil. Formaq̃ ante omnes pulcher Iulus. Vltra. Quintilianus: Vltrà nobis quàm oportebat, indulsimus. & Solinus: In Epeiro fons est frigidus ultra omnes aquas. Intra. Plin. Huius uillam intra quàm modicam quadragies piscinæ uendiderunt. pro, minorem quàm modicam. Infra, supra. Cicero: Stomachi autẽ partes, quæ sunt infrà, quàm cibus deuoratur, dilatantur: & arteria aspera hostiũ habet adiunctũ linguæ radicibus, paulo suprà quàm ad linguã stomachus adnectitur. Quod est, inferius quàm ubi cibus, & paulò superius quàm ubi stomachus. Huc pertinent etiam, super, præ, et præter: de quibus nõnihil in sequenti capite. Illud mirũ, in uno & eodem comparatiuo duplicem fieri comparationem. Quod genus Plinianum illud, Pluuias salinas aqua dulciores, q̃ reliquas. et Solini: Breuior hæc cæteris, q̃ in alijs aduertimus orbis partibus. Quibus exem-

bus exemplis facilè Priscianus erroris conuincitur, qui cum duplices huiusmodi collationes fierent, tum comparatiuo magis adiungendum censuit. Non negauerim tamen, magis comparatiuo interdũ accedere, sed cum electiua collatio est, uti paulo suprà iã ostendimus: uel cũ inter casus positiuos cõparatio uenit. quale quod Valer. Max. lib. 3. Vterq; nostrũ inuidia magis quàm pecunia locupletior. Quodq; Iustinus lib. 3. Non inuctione earũ magis, quàm exemplo clarior. Potest nihilominus his etiã magis subtrahi. Valer. Max. lib. ix. Authore cædis quàm ipsa cæde miserior. Nam Plaut. in Bacchid. Amiciorem credã magis sodalem, an Bacchidem, incertum est admodũ. Et illud in Sticho: Magis est dulcius: abusiones planè sunt. de quibus mox. Iã minus postremò simul negare & comparare, annotatu dignũ. Terent. in Hecyra: Non tibi illud factum minus placet, quàm mihi Laches. Vbi placet, non est positum pro displicet, ut quidam somniant: se[illegible] interprete, hic sensus est, Non tibi ô Laches factum illud placet, & minus mihi. Subintelligendum est enim, factum utriq; non placere, sed alteri minus.

Multis modis authores comparatiuis abuti.

Caput XVIII.

QVoniam igitur persæpe usũ uenit, ut optimi authores uel licẽter nimis, uel præter naturã comparatiuis utantur, idq; uel necessitate aliqua ducti, uel potius euphonia, ut qui auribus plerunq; inseruiant, haud prætereundum, quin quot & quibus modis com-

dis comparatio abusiua fiat, perstringamus, ea nimirum multiplici existente. Est igitur primũ, ubi comparatiua nil plus aut minus significant, atq; sua positiua. De quo Fabius etiam Quintilianus. Vtimur uulgò comparatiuis pro absolutis. Idq; dupliciter. Vel cum his quoquo modo utimur absolutis: quale doctior pro doctus, tristior pro tristis. Vel cum particulas illis comparatiuas adiungimus. quod genus Plautinum illud in Capt. Nihil unquam inuenies magis hoc certo certius. Quodq; Suetonius in Galba: Multo præter cæteras altiorem crucem statui iußit. Quodq; Vergilius 1. Aen. Pygmalion scelere ante alios immanior omnes. Quodq; Seneca lib. 4. Controuers. Mitior est plus quàm debet. Quodq; Pomponius Mela lib. 2. Magis, magisq; latior in occidentem abit. Quodq; Solinus in Poly. Forma supra hominem angustiore. Rursus: Muris circundata, ternis in singulos pedes digitis, u'tra quàm mensura nostra est, altioribus. C[illegible]puleius lib. viij. Vnus præ cæteris animo fortior exurgit. Est ubi per nimis et positiuũ exponuntur. Vt cum Cicero ad Appium: Stomachosiores meas literas quas dicas esse, non intelligo. stomachosiores, id est nimis stomachosas. Est, cum uim sapiunt superlatiuam. Cuiusmodi Fabianum illud libro iij. Isocrate iam seniore (octauum enim et nonagesimum impleuit annum) pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriã cœpit. Seniore, id est, ualde sene. Et Plinianũ lib. epist. iij. Pecuniam, qua tũc illi ampliore opus erat, dedi.

ampliore,

ampliore, id est maxima. Est, ubi sensum insinuant contrarium. Ceu cum Claudianus de Plutone lib. ij. de Raptu Proserp. Hæc fatus, ouantes Exhortatur equos, et tartara mitior intrat. id est, minus solito sæuus. Cumq; Solinus: Durissimũ dorso tergus est uentri mollius. id est, minus durum. Est, cum ex nominibus ad comparandũ minime aptis declinãtur. quale Plautinũ illud in Pœnulo, Nullus me est Pœnus Pœnior. Est, cum extrema contrariarũ sunt qualitatum. ut cum Senec. lib. de Vita beata: Exigo à me, ut non optimis par sim, sed ut malis melior. Est, cum dispari ratione de suis collatis dicuntur. Quod genus Vergilianum illud, Nerine Galatea thymo mihi dulcior Hyblæ. Nam quòd Galatea sit dulcis, et thymũ dulce, non est eadem ratio dulcedinis, sed homonyma, id est æquiuoca: propterea quòd illa ad animum, hoc ad gustum refertur. Est postremò, cum maiorem superlatiuo habent significationem. Quale Ciceronianum illud pro M. Marcello: M[illegible]s omnes tibi gratias agimus Cai Cæsar, etiam habemus maiores. Et Plinianum in Paneg. Meliorem optimo genuit: Atq; hæc de comparatiuis.

De superlatiuis. Caput XIX.

AT uerò postremum comparationis genus superlatiua sunt, gradus suapte natura excellens, ac nobilissimus, ut qui nõ humili atq; obscuro iã in loco, sed supremo quodã, ac præclaro in fastigio semper uersetur. His alium natura intellectum, alium ipse usus attribuit. Quandoquidem si naturam sequamur, su-

perlatiuũ quantũ est in se, eousq; ascendit, ut nullius progreßioni locus amplius ab eo fiat reliquus. Metas enim figit, ultra quas progredi minimè liceat. Vt cũ dicimus, Deum optimum maximum, ad hæc Christũ omnium hominum sapientißimum: ibi bonitas, magnitudo, & sapientia ita in summum perducta sunt, ut nullũ præterea incremento habeant locũ. Nam si omnis recta cõparatio (etenim quæ æquat, authore Seruio, similitudo est potius, quàm comparatio) fit in quodã excessu, is excessus uel determinatus sit, necesse est, uel indeterminatus. Si determinatus, is per superlatiuũ: sin indeterminatus, per comparatiuum exprimendus est. Quam differentiam cum alij plerique maxima authoritate philosophi docent, tũ uerò planißimè Anneus Seneca epistola lxvij. Maximo, inquit, non est incrementum. Ibidem: Crescere posse, imperfectæ rei signum est. Rursus alibi: Nam in summũ producta incrementi non habent locũ. Quibus uerbis grauißimus auth[illegible]æclarè docet, suum esse superlatiui, ultimum gradum signare, ultra quem minimè sit progrediendum. At uerò si usum attendamus, longè aliũ sensum sibi uendicarunt. Neq; enim cum Socratem dicimus sapientißimum, Ciceronem eloquentißimum, id intelligimus, Socratem non ultrà sapientem potuisse fieri, nec Ciceronem magis eloquentem: sed illo neminem omnium fuisse sapientiorem, hoc neminem eloquentiorem. aut certè illum quocunq; alio sapientiorem extitisse, hunc quocũq; eloquentiorem. Qui quidem intellectus cum sit duplex, alter

plex, alter affirmatiuus, alter negatiuus: ille nec parem sibi, nec superiorem quenquam admittit: hic parem quidem, sed neminem patitur superiorē. Quam interpretationē superlatiua tum accipiunt, cū simul intrinsecus, simul extrinsecus, uel saltem intrinsecus comparatiua existunt. At ubi utroq; modo absoluta sunt, tum per ualde, & positiuum tantum exponuntur: ut optimus, id est, ualde bonus. Ex quibus omnibus fit, ut si usum naturæ præposuerimus, uix reperias, quid superlatiua differāt à cōparatiuis. Proinde ne illas in ambages, atq; inextricabileis Mæādros incidamus, in quos & Priscianus & Laurentius imprudentes deuenere, placet superlatiuū è natura definire, usum retinere. Superlatiuum igitur est uox ad aliquid significatiua, qua unum ad plures sui generis comparatū, cæteris omnibus definitè antecellit: uel per se prolatum, determinatam naturam significat. Vnum autem, de quo nunc agimus, triplex. Generale, ut Frugum utilissimū frumentum, Homo & Leo animaliū generosissimi, Nationum populus Romanus omni uirtute præstantissimus, Cicero & Hortensius Romanorum eloquentissimi. Speciale, ut Vllosissimum quadrupedū lepus, Socrates et Plato hominum sapientissimi. Numerale, ut Romanorum ingeniosissimus Cæsar.

Quid genus in superlatione, & quotuplex.

Caput XX.

Genus autem, de quo tam frequens mentio, aliud nihil est, quàm multitudo quædā ad unum aliquid

ſeſe habens, cognatione quadam inter ſe coniuncta, qua differat ab alijs. Ceu Romani, Carthaginenſes, Itali, Græci. Vel genus eſt, quod plures partes amplectitur, ut animal. nam huius partes ſunt homo, equus, leo. Quanquã genus etiam pro ſola parte interdum accipitur, ut homo. At Laurentius non ſatis habet ueritatem impugnare, niſi & illuſtriſſimum quenq; ex authoribus erroris infamet. Genus, inquit, pro multitudine eiuſdem numeri accipiendũ eſt. Itaq; in Dialecticis pernegat rectè dici, Sum fortiſſimus aliorum. In cuius ſententiam pleriq; alij pedibus euntes, pariter negant rectè dici, Sum fortiſſimus iſtorũ. Quorum doctrina quoniam tota falſa eſt, exemplis ſtatim oſtendam, nec genus iſto modo accipiendum: atq; adeò rectè, latineq; dici, Sum fortiſſimus aliorũ, Sum fortiſſimus iſtorum. Et proh deum immortalem, quæ ratio iſta præcipiendi eſt, ut latinitatẽ, rectũq; dicendi modum firmè pleriq; omnes noſtro nobis e capite fingamus, relicto uſu, exemplisq; probatiſſimorum authorũ, prora (ut eſt in Græcorum prouerbio) & puppi totius grãmaticæ artis? Sed afferamus ipſi iam exempla, ac poſteriores primũ refellamus. Cicero (nam quem alium ex omnibus potiſſimũ adducam, qui tantam hominũ peruicaciam infringat?) Cicero inquam lib. iij. Tuſcul. Zeno iſtorum acutiſſimus. Idem lib. ij. de Orat. Tum Phalereus ille Demetrius omniũ iſtorum politiſſimus. Ecquid uobis hæc uidentur exempla? Cernitis, ut excellentiſſimus latinitatis magiſter Cicero longe aliter et ſentiat, & doceat?

ceat? Sed nec minus egregiè Plautus in Bœotia: Vetus erat solarium, multo omnium istorum optumum & uerissimum. Adhæc Anneus Seneca epist. cv. Inuenies spem, inuidiam, metum, contemptum. ex omnibus istis leuissimus est contemptus. Nunc ad Laurentiũ. Ain' tandem minimè rectè dici, Sum fortissimus aliorum? Hic porrò arrogantissimus hominum triplex peccatum, & quidem pudendum, committit. Vnum, quòd genus in superlatione præter omnium authorum sententiam statuit, & aliud à comparatiuis. Alterum, quòd secũ ipse pugnat. nam in Elegantijs facundissimum authorem Lactantium erroris perurgens affirmat, celeberrima & nobilissima inter cæteras dicendum fuisse: non autem, celebrior & nobilior inter cæteras. In Dialecticis autem negat, & simul optimum quenq; incessit. Nihil autem refert, utrum quis dicat, nobilissima aliarum, uel inter alias: an nobilissima cæterarum, uel inter cæteras. Quoniam cæterus, alius, et reliquus, intellectu nihil omnino differunt. Tertium, quia tantum sibi assumit, ut præstãtissimos etiã authores suo ipsius arbitrio ac nutu loqui uelit. Quare ut omnium non bipedum modo, uerumetiam quadrupedum petulantissimũ, iam exemplis refillamus. Liuius libr. i. Romulus longè antè alios acceptissimus. Hirtius de bello Africo: Catonem Vticenses, quod dissimillimus reliquorum ducum fuerat, sepultura afficiunt. Plinius lib. xxxiiij. Ostractis cæterarũ fortissima. Tacitus in Agricola: Hi cæterorum Britannorum fugacissimi. Suetonius in Vi-

tellio: Famosissima super cæteras cœna. Aul. Gel. lib. 1. Hunc locum omnium rerum aliarum difficillimam cursim transgressus est. Macrobius lib. vij. Satur. Aegyptus regionum aliarum calidissima. Rursus: Acetum liquidissimum est inter cæteros humores. Hic ego te appello Laurenti. Vtri tandem satius est credere, tibi ne, qui fermè semper ineptis? an excellentissimis his, ac probatissimis authoribus, qui nihil non rectè ac latinè eloquuntur? Genus igitur in superlatione haud diuersum à comparatiuis, idq; duplex: unum dialecticum, ut animal, homo: alterum gentile, uel patrium, ut Itali, Romani. Atq; huius disputationis modum faciam, si unum aut alterum exemplũ prædictis apposuero. Cicero pro Domo sua: Hoc ministro omniũ non bipedum solum, sed etiam quadrupedum impurissimo, rempub. perdidisti. Plinius lib. ix. Velocissimum omnium animalium, non solum marinorũ delphinus. Quibus exemplis quid genus in superlatione, quamq; Laurentius tota aberrauerit uia, iam perspicuum satis.

Superlatiuorum uariam esse structuram.

Caput XXI.

Porrò nec superlatiua uno modo semper construuntur. Primum absoluta quæ nuncupantur, haud alios casus sibi admittunt, quàm quos sua ipsorum positiua requirunt. Plin. lib. vi. Fertilissimi sunt auri Dardæ. Et lib. x. Homini cibus utilissimus simplex. Cic. pro Roscio: Ita dignissimus est scena, propter artificiũ, ut dignissimus sit curia, propter abstinentiam.

tiam. Dehinc respectiua, quæ dicuntur, naturã planè sapiũt partitiuã, in qua pars semp trahitur ex toto. Totum autem in superlatione aliud nihil est, quàm ipsum genus, de quo iam multa. Itaq; præter eos casus, quos ui positiua capere possunt, genitiuum etiam uel ablatiuũ cum præpositione è, uel ex, uel de, aut accusatiuũ cum præpositione inter, pluralem uel singularem nominis collectiui, nempe quo totũ, seu genus ipsum semper exprimitur, sibi assumunt. Plin. libro vij. Gentium in tota orbe præstantißima omni uirtute haud dubie Romana extitit. Columella libro vij. Sues ex omnibus pecudibus impatientißimæ famis sunt. Plinius lib. xxxiiij. Syllanion Apollodorũ fecit fictorem inter cunctos diligentißimum artis. Papinius lib. i. Achill. Nec iam pulcherrima turbæ Deidamia suæ. Sunt, qui septimum ui comparatiua superlatiuis tribuant. Genus dicendi quidem annotatu dignum, sed non usurpandum. Cuiusmodi Apuleianum illud lib. vij. Met. Omnibus ille quidem puer deterrimus. id est, omnium deterrimus. Non abludit quod Liu. lib. xxxiiij. Quid minus conueniret, quàm nos cum eo tyranno instituere amicitiam: & eo tyranno, quàm qui unquam fuit, sæuißimo, & uiolentißimo in suos? Quid, quòd in uno et eodem superlatiuo, uel duplex interdum superlatio fieri uidetur? Idem lib. xxxvij. Erant Rhodiæ naues longè omnium celerrimæ tota classe. Huc spectat quod Cicero in Bruto: Menippius tota Asia illis temporibus disertißimus. Quodq; Solinus in Polyhist. Ioppe oppidũ antiquißi-

antiquißimum orbe toto. Est, cum supremus hic gradus exceptionem patitur. Aemilius in Timot. Venio ad fortißimum uirum omnium barbarorum, exceptis Hamilchare & Annibale. Plin. lib. xix. Ex cunctis Setania minima, excepta Tusculana. Ne illud quidem superferendi genus prætermittendum, quo cum alij autorum plures, tum uerò M. Cicero frequentissimè usus est. Nam in Pison. Instant post hominum memoriam paratißimi, magnificentißimiq; ludi. Et in Philip. Duo hæc capita nata sunt post homines natos spurcißima, Dolobella et Antonius. Huc propè modum tendit uel Terentianum illud in Phorm. Omnium quantum est, qui uiuant, hominum homo honoratißime. Iam uerò superlatiuum respectiuum tam toti in genere, quàm parti respondere, quem fallit? Aul. Gellius lib. xiij. Animaliũ acerrimum leena. Plin. lib. xviij. Hordeum frugum omnium mollißimum. Ad extremum illud annotandum, superlatiua respectiua negationẽ uniuersalem sibi cohærere nũquam pati. Siquidem Ciceronianũ illud, Elephãto belluarũ nulla prudentior: si quis per superlatiuum apposita generali negatione effari uellet, belluarũ nulla prudentißima, non'ne tota uis comparationis statim tolleretur? Igitur seruato superlationis intellectu, comparatiuis necessariò utendum est. Quoniam elephanto belluarum nulla prudentior, iuxtà significat, ut, belluarum prudentißima est elephantus.

Quatuor

Quatuor modis authores superlatiuis abuti.

Caput XXII.

AButuntur autem superlatiuis authores quadrifariam. Vel cum positiui formam, ac ueluti personam induunt. quale Apuleianum illud lib. i. Met. Si quid est nouissimo extremius. Ac de deo Socratis: Nullū animal in terris homine postremius. Quodq; Gracchus in oratione de Parsimonia: Omnium nationum postremissimū æstimatote. Nec non Apuleius in Apologia: Puer cū adulescentulis postremissimis inter scorta conuiuium agitat. Vel cum ex dictionibus comparādo minimè conuenientibus proficiscuntur. cuiusmodi Plautinum illud in Trinū. Ipsissimus abi hinc ab oculis. Et in Pœnulo: Patrue mi patruissime. Et Gellianū illud lib. iij. Qui quoniam sunt Plautinissimi. Vel cum minus significant à suo comparatiuo. ut cum Clc. lib. ij. Tuscul. Vnam esse omnium pulcherrimam, eoq; pulchriorem, si uacet populo. Et Seneca lib. vi. Controuers. Viro fortissimo sum fortior. Vel cum augendam ad propriam significationem aliquid extrinsecus assumunt. id quod haud sine maximo fieri uitio potest. Propterea quòd superlatiua suapte natura cum ultimum gradum significent, ultra quem progredi minimè liceat, nihil est, quòd particulas illis intensiuas adiunganus. Verum abusus, uel potius ambitio quid non? Itaq; factum, ut dum ornatius quàm uerius loqui delectamur, superlatiuis fermè semper abutamur. Quanquam licentia hæc iam consuetudine approbata est. Plautus in Ru-

den.

sitiuis non iungatur, cum & ratio nulla impediat, et authoritas permittat? Lactant. de Opificio: Imbecilliora & timidiora quæq; animalia. Rursus: Placidiora quæq; animalia. Quæ duo quidem Lactantij loca eò in primis adduximus, quoniam cùm ab alijs, tum uerò à Laurentio, ut minus latina reprehendi uideo. quasi quisq; superlatiuis tantũ iungatur, non autem cõparatiuis, neq; positiuis. Sed nimis lautus factus es Laurenti, ut cui optima atq; electißima quæq; iam puteant. Verùm Lactãtio cur non liceat, quod alijs probatißimis authoribus? Vel cur solũ Lactantiũ inceßis, cum et alij eo dicendi genere usi sint? An fortè minus latinè locutus est Cic. cum in Verrem: Quisq; grauior homo, atq; honestior. Num minus latinè Seneca lib. ij. de Ira: Non uides ut maiorẽ quanq; fortunã maior ira comitetur. Nũ barbarè Plin. lib. xxiiij. Ex ijs maiores effectus melioris cuiusq; erunt. Quod si omnes isti latinè, cur non et Lactãtius? Quid, quod uel positiuis quisq; accedit? Tacit. lib. xij. Inualidus quisq;. Et lib. xvij. Quisq; ingenio ualidus. Plin. Cæcil. lib. Epist. i. Bonus quisq; liber. Apul. in Apolog. Peccatũ bonus quisq; solicitius cauet. Lactant. lib. i. Errorẽ prudẽtes quiq; perspiciũt. Quibus exemplis iam quis non uidet, ut Laurẽtius à ueritate desciuerit? Postremò quisq; superlatiuo innixũ, nullis interdũ numeris deseruit. Liu. lib. v. Interim equites, nobilißimus quisq;, alij se interficiunt, alij in deuios montes fugiunt. Et lib. xxiij. Trecenti equites, nobilißimus quisq; Campanorũ, delecti à Romanis. Tacit. li-

bro xix.

bro xix. Optimus quisq; adsciti. Et, Turbidissimus quisq; delecti.

Contra eundem, omnis non comparatiuo, & positiuo tantũ, uerùm et superlatiuo subinde coniungi. Caput XXV.

VT quisq; superlatiuo Laurentius solum permittebat, sic omnis positiuo tantum, et comparatiuo. Verùm qua facilitate superiori capite insolentissimus homo nobis redargutus, uel hic redarguendus. Omnis non minus superlatiuo imponitur, quàm uel positiuo, uel comparatiuo. Cicero pro P. Quintio: Omnia iudicia difficillima. Idem pro Rabirio: Omnes clarissimi uiri. Et lib. ij. de Orat. Omnes tenuissimas particulas, atq; omnia minima. Idem ad Lentulum: Omnes grauissimas iniurias. Et ad Leptã: Ocium omni disertissima regione maius. Et ad Plancum: Omnibus amplissimis honoribus. Et ad Trebatium: Omni gradu amplissimo dignissimus. Iterũ: Omnes familiarissimi eius. Liuius lib. xxxiiij. In consule eauis animi, ut omnia maxima, minimáq; per se ageret. Et Plin. lib. xxix. Laudatissima omnis è collo. Nam positiuo & comparatiuo frequenter imponi, longè illustrius est, q̃ ut pluribus sit demonstrandum. Sallust. in Cat. Omnes bonos perditum eant. Plin. lib. xvi. Syluestriora omnia tardiora.

In eundem, quàm pro ualdè tam positiuo, quàm superlatiuo inniti. Caput XXVI.

QVàm pro ualde, idem superlatiuo tantum accedere contendit. quale Plinianum illud lib. xxxij. Probatissi-

Probatißimum quàm maximè rubet, & q̃ ramoſißimum. Laurenti nihil ſapis, niſi peruerſum. Qui ſi rationem tamen aliquã tuæ iſtius præceptionis, uel potius temeritatis afferres, eſſet quo mitius tecũ agere mus. Verùm cum inſania quadam tantum feraris, ne nobis quidem ulla ratio tui fuit habenda. Quàm prualde cũ poſitiuo, excellentißimi autores paßim uſi ſunt. Cicero in Verrẽ: Quod hoc genus prædandi q̃ improbum, quàm indignum eſſe uideretur. Idem lib. iij. Tuſc. Atqui ſtirpes ſunt ægritudinis quàm multæ, quàm amaræ, quæ ipſo trunco euerſo, omnes elidendæ ſunt. Cæſar lib. iiij. Gall. bel. Monuit, ut maritimæ res quàm celerem atq; inſtabilem motum haberent. Et libro i. Ciuil. bel. Qui inopinantes pabulatores aggreßi, quàm magnum numerum iumentorum intercipiunt. Cœlius ad Ciceronẽ: Habeo quàm multa. Plinius libro xxiiij. Ex gutta aquæ propolis remedium eſt quàm efficax. Apuleius libro iiij. Met. Me loro quàm ualido deſtinatũ confeciſſent. At comparatiuo quàm pro ualde nũquam uidi coniunctum. nam qui Ciceronis illud, & ſimilia citant, Abacos quàm plures ornauit argento: nonnihil ipſi quidem dicere uidentur. ſed Complures ibi legendũ ego cenſuerim. primùm quia uim nullam ſapit comparatiui: eſt enim abſolutum. dehinc eruditis omnibus complures, non autem quàm plures uſurpantibus.

Quàm pro quantum omnes gradus admittere.

Caput XXVII.

NEgat præterea Laurentius, quàm pro quantum

